BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
32 N
25

L N. 7351

Digitized by Google

Digitized by Google

SUMMA THEOLOGIÆ

AD USUM SCHOLÆ ACCOMODATA

TOMUS SEPTIMUS,

QUI TRES COMPLECTITUR TRACTATUS.

I. De Fide.
II. De Spe.
III. De Charitate.

AUCTORE


NICOLAO L'HERMINIER

Sacræ Facultatis Parisiensis Doctore,
INSIGNIS ECCLESIÆ CENOMANENSIS CANONICO THEOLOGO,
ET IN EADEM ECCLESIA ARCHIDIACONO DE PASSAIO.

EDITIO PRIMA VENETA

Ad postremam Parisiensem

Ab innumeris mendis expurgata, ac Indicibus locupletiſſimis auctâ.



VENETIIS

MDCCLXI.

Typis Jo. Baptistæ Pasquali.

CUM APPROBATIONE ET PRIVILEGIO.

[illegible] by Google

TRACTATUS
DE
VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

POſtquam diximus de Actibus humanis in genere & duplicem eſſe actum humanum obſervavimus, nempe bonum & malum, his poſtea examinatis quæ ad actus malos attinent in tractatu noſtro de Peccatis, ſequitur ut dicamus de Actibus bonis & de Virtutibus quæ illorum principia ſunt.

Virtus in genere eſt bona qualitas animi qua nullus male utitur, quilibet vero ad bene agendum inclinatur. Et duplex primum diſtinguitur, nimirum virtus intellectualis & virtus moralis, pro ratione ſcilicet ſubjecti; virtus enim intellectualis eſt in intellectu, & virtus moralis in voluntate. Omiſſis autem aliis paſſim virtutis diviſionibus, qualis eſt illa, qua virtus dividitur in Philoſophicam & Theologicam, huic adhæremus potiſſimum qua virtus dividitur in Theologicam & Moralem, animus eſt enim in præſenti loco virtutum Theologicarum explicationem tradere.

Virtutes igitur dividuntur a Theologis in Theologicas & morales. Theologicæ dicuntur illæ quæ Deum habent pro objecto ſuo immediato, unde dicuntur Theologicæ, nomen ſuum ab ipſo Deo accipientes, & tres vulgo agnoſcuntur, fides, ſpes & charitas. Morales ſunt illæ omnes quæ immediate non attingunt Deum, ſed aliquid creatum, inter quas præcipuæ ſunt Prudentia, Juſtitia, Fortitudo, & Temperantia, quæ propterea dicuntur Cardinales. Quanquam aliquo ſenſu virtutes Theologicæ dici poſſint morales, quia omnis virtus voluntatis ut ſpes & charitas, cum ſit principium per ſe actus liberi, & honeſti, recte dici poteſt virtus moralis.

De tribus itaque virtutibus Theologicis, nimirum de fide, ſpe & charitate, tractatum hunc inſtituimus. Sed quoniam iſtæ virtutes Theologicæ ſunt de genere habituum infuſorum; de habitibus eorumque natura & neceſſitate nonnulla præmittenda ſunt.

De habitibus infuſis.

IN hac quæſtione tria præſtabimus: afferemus primum varias notiones & diviſiones habituum. Secundo examinabimus utrum dentur habitus infuſi ſupernaturales, quales vulgo reputantur fides, ſpes, & charitas, de quibus potiſſimum hic inſtituitur tractatus. Tertio utrum de fide ſit dari ejuſmodi habitus qui veræ ſint qualitates habitualiter permanentes in homine.

Quid & quotuplex ſit Habitus.

HAbitus in genere definitur apud Philoſophos facilitas, dexteritas, promptitudo ad agendum; ſed iſtam definitionem minus accuratam cenſent Theologi, quod nimirum non competit habitibus infuſis & ſupernaturalibus qui non ſolum dant facultatibus facilius operari, ſed agere ſimpliciter, unde ſequitur præfatam definitionem proprie non explicare niſi naturam habituum naturalium. Atque ita ſatius eſt dicere habitum univerſim eſſe qualitatem

A 2 pec-

permanentem quæ facultati dat facilius vel ſimpliciter agere, facilius quidem ſi ſit habitus naturalis; ſimpliciter autem, ſi ſit infuſus & ſupernaturalis.

Non me latet ægre ferre recentiores Philoſophos, a quibus non multum recedunt nonnulli etiam Theologi, quod admittantur ejuſmodi qualitates permanentes facultatibus ſuperadditæ velut quædam accidentia abſoluta, quædam entitates creatæ ab agentibus eorumque potentiis diſtinctæ, quo fit inter illos alii dicant habitus non eſſe niſi quaſdam denominationes extrinſecas, alii meras relationes, alii vero aliter ratiocinantur. Verum dicant quidquid libuerit hujus ſententiæ defenſores, certum atque indubitatum mihi videtur hoc pacto explicari non poſſe naturam habituum ſupernaturalium, qualis eſt gratia ſanctificans ſeu habitualiter permanens in juſtis; ſic enim de illa loquuntur Scripturæ, Patres, & Concilia, ut niſi his autoritatibus vis maxima inferatur, manifeſte ſignificent illam eſſe entitatem abſolutam potentiis animæ ſuperadditam; dicitur enim infundi, diffundi, inhærere, manere, quæ quidem & alia id genus ſimilia probant gratiam non eſſe relationem nec denominationem extrinſecam.

Habitus duplex diſtinguitur, naturalis & ſupernaturalis. Naturalis ſic dicitur vel ratione principii a quo oritur: quia per ſtudium & laborem, per frequentem actuum repetitionem comparari poteſt; vel in ordine ad ſuos effectus qui dat facultati facilius agere ſeu producere actus naturales, qualis eſt Philoſophia in Philoſopho. Habitus ſupernaturalis dicitur quoque ſupernaturalis, vel in ſua origine, quia propriis naturæ viribus comparari non poteſt, ſed debet a Deo infundi, vel in ordine ad actus, quia potentiam complet atque erigit ad eliciendos actus ſupernaturales, qualis eſt fides divina, qualis etiam charitas.

Habitus iterum duplex, acquiſitus & infuſus: Acquiſitus idem fere eſt cum habitu naturali, omnes quippe habitus naturales ſolent labore & ſtudio acquiri; differunt tamen in eo quod habitus naturalis poſſet dari per infuſionem, quomodo philoſophiam habuiſſe dicitur primus parens; quo poſito ut rectius loquamur, duplex diſtingui debet habitus infuſus, nimirum infuſus per ſe & ex natura ſua, qui ita poſtulat a Deo dari, ut nullo labore, nullo conatu ab homine acquiri poſſit, cujuſmodi ſunt omnes habitus naturales. Habitus infuſus per accidens eſt ille qui revera fuit infuſus, ſed præter ejus naturam quatenus poterat acquiri per frequentem actuum repetitionem, quales ſunt habitus omnes naturales.

Porro præſens inſtituitur controverſia de habitibus ſupernaturalibus & per ſe infuſis, de alio enim habituum genere negotium remittimus ad Philoſophos.

Utrum dentur habitus ſupernaturales in facultatibus vere permanentes.

Quæſtio eſt utrum gratia ſanctificans, fides, ſpes, charitas, & alia ejuſmodi bona quæ juſtificatis infunduntur, ſive adultis, ſive parvulis, ſint veri habitus permanenter inhærentes; ita ut omnia Scripturæ, Patrum & Conciliorum teſtimonia quæ declarant homines juſtos Deo eſſe gratos, ſanctos, juſtificatos, habere gratiam, juſtitiam, ſanctitatem, accepiſſe Spiritum ſanctum, de actu ſolo explicari non poſſint, ſed gratiam habitualem in homine permanentem ſignificent, unde etiam aperte ſequitur virtutes Theologicas, fidem, ſpem & charitatem eſſe habitus infuſos.

Teſtatur Eſtius in 2. diſt. 26. §. 2. præter Calvinum & alios Novatores, quibus placuit impii juſtificationem explicare per juſtitiam imputativam, ut in Tractatu de juſtificatione & merito dictum eſt, Albertum etiam Pigium doctorem

ctorem catholicum omnino rejicere quæ tradere ſolent Theologi de gratia habituali: quæ quidem ſententia, ut optime obſervat præfatus Theologus, inſigni temeritate non vacat ex hoc ipſo quod communi omnium ſcholarum doctrinæ adverſatur: ſit igitur

Conclusio.

Dantur habitus infuſi, hoc eſt qualitates vere permanentes ab actibus diſtinctæ.

Probatur 1. ex Scripturis quæ hoc potiſſimum declarant, cum de gratia ſanctificante loquuntur, eam quippe deſignant tanquam formam inhærentem, qualitatem permanentem, infuſam, effuſam, diffuſam: actus enim proprie loquendo non infunduntur, ſic v. g. loquitur Apoſtolus ad Rom. cap. 5. *Si enim ex unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiæ & donationis juſtitiæ accipientes in vitâ regnabunt per unum Jeſum Chriſtum*. Hæc verba, *abundantiam gratiæ & donationis juſtitiæ accipientes*, aperte denotant infuſionem gratiæ inhærentis, quod idem confirmatur ex verbis ſequentibus, *ita & per unius obeditionem juſti conſtituentur multi*. Vox enim illa, *conſtituentur*, ſignificat ſtatum permanentem.

Ait ibidem Apoſtolus, *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis*. Item ad Titum 3. cap. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis S. ſancti quem effundit in nos abunde*. Certe voces illæ infuſionis & effuſionis manifeſte denotant gratiam permanentem, non actiones tranſeuntes, quemadmodum liquor remanet in vaſe cui infunditur.

Præterea id habetur expreſſe in quibusdam aliis locis, 1. Joan. 2. cap. gratia dicitur manere in nobis: *Et vox*, inquit, *unctionem quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis*. Ut ſignificetur, inquit Eſtius, gratiam velut unguentum in nos effuſum permanere ac reſidere in nobis. Cap. 3. *Qui natus eſt ex Deo peccatum non facit, quia ſemen ejus manet in eo*.

Eadem veritas oſtenditur de tribus virtutibus Theologicis, quas quidem eſſe habitus infuſos & vere permanentes nemo ſine magna abſurditate negare poteſt qui attenderit ad hunc ſcripturæ locum 1. ad Corinth. cap. 1. depromptum. *Nunc autem*, inquit Apoſtolus, *manent fides, ſpes, charitas, tria hæc, major autem horum eſt charitas*. Quibus verbis nihil expreſſius deſiderari poteſt.

Neque vero quis dixerit Apoſtolum loqui de actuali dilectione cum ait charitatem eſſe diffuſam, nam alia ejusdem Apoſtoli loca non poſſunt de actu tranſitorio intelligi, ut iſtud: *Si charitatem non habuero, nihil mihi prodeſt*: Et illud, *charitas nunquam excidit*. Tum aliud Galat. 5. *Fructus autem Spiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia*. Hæc omnia totidem ſunt habitus.

Probatur 2. ex ſanctis Patribus qui hoc potiſſimum ſentire ſe ſignificant, cum loquuntur de gratia ſanctificante. Aiunt enim illam eſſe animis noſtris inſidentem & inhærentem, putantque eam eſſe in juſto tanquam rem permanentem. Quædam tantum ſelectiora eorum loca exſcribam, in re ſcilicet omnibus obvia.

S. Hieronymus in hæc poſtrema verba Epiſtolæ ad Philemonem, *gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum Spiritu veſtro*, ſic habet: *Cum in ſpiritu gratia fuerit, totum facit hominem ſpiritualem, ut & caro ſpiritui ſerviat, & anima non vincatur a carne, & redacta ſimul in ſubſtantiam ſpiritualem adhæreat Domino, quia qui adhæret Domino, unus Spiritus eſt*.

Clarius adhuc loquitur S. Baſilius lib. de Spiritu ſancto cap. 26. *Sicut*, inquit, *vis cernendi eſt in oculo ſano, ſic operatio Spiritus in anima purgatâ; & ſicut ars eſt in eo qui nactus eſt illam, ita gratia Spiritus in eo qui recepit, ſemper qui-*

Digitized by Google

quidem præſens, *at non perpetuo operans*. Ecce vera Theologorum doctrina de gratia habituali & de cæteris habitibus a Deo infuſis qui ſemper præſentes ſunt, permanent enim in facultatibus, quamquam in iis ſemper non operentur.

Item S. Chryſoſtomus diſertiſſime loquitur homilia ad Neophitos, quæ legitur apud S. Auguſtinum lib. 1. contra Julianum, quod ea abutebantur Pelagiani qui negabant peccatum originale: ibi autem juſtitiam, ſanctitatem, & alia quam multa dona parvulis conferri in baptiſmo ſcribit Chryſoſtomus. *Vides*, inquit, *quot ſunt baptiſmatis largitates*, *& nonnulli deputant cœleſtem gratiam in peccatorum tantum remiſſione conſiſtere*, *nos autem honores computavimus decem*. *Hac de cauſa etiam infantes baptizamus*, *cum non ſint coinquinati peccato*, *ut eis addatur ſanctitas*, *juſtitia*, *adoptio*, *hereditas*, *fraternitas Chriſti*, *ut ejus membra ſint*. Certe de alia gratia quam de habituali non loquitur ſanctus Doctor, juſtitiæ enim & ſanctitatis actualis capaces non ſunt parvuli.

Similiter S. Auguſtinus ut oſtendat peccatum originale vere eſſe in unoquoque noſtrum, adduxit comparationem petitam ex juſtitia Chriſti quæ non ſolum eſt in nobis per imitationem, ſed per veram infuſionem, lib. 1. de peccatorum meritis cap. 9. *Sed præter hanc imitationem*, inquit, *gratia ejus illuminationem juſtificationemque noſtram etiam intrinſecus operatur* .... *ſicut ergo ille in quo omnes vivificantur*, *præter quod ſe ad juſtitiam exemplum imitantibus præbuit*, *dat etiam ſui Spiritus occultiſſimam fidelibus gratiam quam latenter infundit & parvulis*.

Apertum eſt inſuper quod ſcribit lib. de Spiritu & littera cap. 32. *Charitas Dei*, inquit, *dicta eſt diffundi in cordibus noſtris*, *non qua nos diligit*, *ſed qua nos facit dilectores ſuos*, *ſicut juſtitia Dei qua juſti ejus munere efficimur*, *& Domini ſalus qua ſalvos facit*, *& fides Jeſu Chriſti qua nos fideles facit*. Hæc nempe vocabula *dilectores*, *juſti*, *fideles*, non actus ſignificant ſed habitus. Quod idem eodem modo tradunt alii ſancti Patres.

Inſigne eſt ſuper ea re decretum Concilii Viennenſis generalis, quod hanc veritatem catholicam definit ſanctorum Patrum & Theologorum doctrinæ magis conſonam adeoque oppoſita veriorem Clementina, nimirum titulo de ſumma Trinitate & fide catholica, his verbis loquens de Baptiſmo: *Verum quantum ad effectum*, *cum Theologi opiniones varias habeant*, *videlicet dicentibus quibuſdam parvulis culpam remitti*, *ſed gratiam non conferri*, *aliis e contra aſſerentibus quod & culpa eiſdem in baptiſmo remittitur*, *& virtutes ac informans gratia infunduntur quoad habitum*, *etſi non pro illo tempore quoad uſum*, *nos attendentes generalem efficaciam mortis Chriſti quæ per baptiſma applicatur pariter omnibus baptizatis*, *opinionem ſecundam quæ dicit tam parvulis quam adultis conferri in baptiſmo gratiam informantem & virtutes*, *tanquam probabiliorem*, *& dictis ſanctorum ac doctorum modernorum Theologiæ magis conſonam & concordem ſacro approbante Concilio*, *duximus eligendam*.

Probantur inſuper ex Concilio Tridentino in quo hæc eadem doctrina expreſſe legitur multis in locis. Nam v. g. ſeſſ. 6. cap. 7. ſic habetur de juſtificatione impii: *Demum unica formalis cauſa eſt juſtitia Dei*, *non qua ipſe juſtus eſt*, *ſed qua nos juſtos facit*, *qua videlicet ab eo donati renovamur ſpiritu mentis noſtræ*, *& non modo reputamur*, *ſed vere juſti nominamur & ſumus*, *juſtitiam in nobis recipientes*, *unuſquiſque ſuam*, *ſecundum menſuram quam Spiritus ſanctus partitur ſingulis prout vult & ſecundum propriam cujuſque diſpoſitionem & cooperationem*. *Quamquam enim nemo poſſit eſſe juſtus*, *niſi cui merita Paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti communicantur*,

Digitized by Google

tantur, id tamen in hac impii juſtificatione fit, dum ejuſdem ſanctiſſimæ Paſſionis merito per Spiritum ſanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui juſtificantur, atque ipſis inhæret; unde in ipſa juſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Jeſum Chriſtum cui inſeritur, fidem, ſpem & charitatem. In his verbis manifeſte legitur hæc noſtra doctrina, quandoquidem definiunt Patres Tridentini in juſtificatione infundi gratiam ſimul & fidem, ſpem, & charitatem; quæ procul dubio de actibus gratiæ, fidei, ſpei & charitatis, intelligi non poſſunt; tum quia loquuntur non de cauſa efficiente, ſed de forma juſtificationis; tum quia actus non inhærent, non infunduntur.

Id confirmatur ex canone tertio ejuſdem ſeſſionis his verbis concepto. *Si quis dixerit ſine præveniente Spiritus ſancti inſpiratione atque ejus adjutorio hominem credere, ſperare, diligere aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* Ubi manifeſtum eſt Patres Tridentinos diſtinguere gratiam juſtificationis ab actionibus fidei, ſpei & charitatis.

Canone 11. definiunt hominem juſtificari per charitatem quæ inhæret & diffunditur. *Si quis dixerit homines juſtificari vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione excluſa gratia & charitate quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum diffundatur, quæ illis inhæreat, aut etiam gratiam quâ juſtificamur, eſſe tantum favorem Dei, anathema ſit.*

Canone 24. diſtinguunt juſtitiam acceptam a bonis operibus. *Si quis dixerit juſtitiam acceptam non conſervari atque etiam non augeri coram Deo per bona opera, ſed opera ipſa fructus ſolummodo & ſigna eſſe juſtificationis adeptæ, non autem ipſius augendæ cauſam, anathema ſit.* Igitur manet juſtitia accepta & augetur ceſſantibus actionibus.

Difertus eſt canon 23. *Si quis dixerit amiſſa per peccatum gratia ſimul & fidem ſemper amitti, aut fidem quæ remanet, non eſſe veram fidem, licet non ſit viva, aut eum qui ſine charitate fidem habet, non eſſe chriſtianum, anathema ſit.* Certe forma tranſiens non dicitur amitti, non dicitur remanere, niſi ſignificatio verborum penitus invertatur.

Denique ſeſſ. 14. cap. 4. ſic de contritione loquuntur Patres Tridentini, ut eam velut diſpoſitionem ad juſtificationem habendam reſpiciant, non autem ut ejus formam. *Contritio quæ primum locum inter dictos actus pœnitentis habet, animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius, & in homine poſt baptiſmum lapſo ita demum præparat ad remiſſionem peccatorum.* Igitur ex Patribus Tridentinis in juſtificatione actus diſponunt & præparant, ſed præterea infunditur gratia quæ verus eſt habitus permanens, infunduntur que fides, ſpes & charitas.

Probatur demum nonnullis rationibus Theologicis.

Prima eſt, quia & ex Scripturis & ex ſanctis Patribus certo conſtat contritionem & alios bonos hominis actus non eſſe niſi diſpoſitiones vel cauſas meritorias juſtitiæ quam Deus dicitur largiri credentibus, diligentibus, & contritis: atqui hoc poſito actus pœnitentiæ, fidei, dilectionis & alii ejuſmodi, non ſunt forma juſtificationis, ſed inſuper in juſtificatione infunditur gratia habitualis ſeu qualitas quædam permanens: ergo dantur habitus infuſi.

Secunda eſt, quia cum adulti juſtificantur in Sacramento pœnitentiæ cum attritione, quæ legitima eſt & ſufficiens hujus Sacramenti materia, non poteſt intelligi quomodo fiat illa juſtificatio & quæ alia talis juſtificationis forma ſit quam habitualis quædam gratia collata homi-

homini juſtificato virtute Sacramenti. Attritio enim non eſt actus per ſe juſtificans, niſi quatenus conjuncta cum Sacramento Deum determinat ad conferendam pœnitenti juſtitiam, quæ quidem eſt habitus: igitur.

Tertia eſt, qua docet Catholica fides parvulos in baptiſmo juſtificari & recipere gratiam ſanctificantem, ita ut non ſolum in iis fiat remiſſio peccati originalis, ſed & renovatio interior per gratiam quam Deus, inquit S Auguſtinus loco ſupra citato, *latenter infundit & parvulis*; ſed iſtud intelligi non poteſt de gratia actuali, cujus omnino incapaces ſunt parvuli; reſtat igitur ut agnoſcantur habitus ſupernaturales infuſi.

Quarta ratio eſt, quia contrariorum contrariæ ſunt rationes: ſed in hominibus malis & vitioſis, mali ſunt habitus; homo eſt incontinens & intemperans per habitus incontinentiæ & intemperantiæ. Igitur homines ſunt boni & juſti per virtutes quæ ſint veri ac proprie dicti habitus. Inſuper cum homines dicuntur conſtituti peccatores per Adam, id intelligitur de quodam peccato permanenter in ipſis exiſtente: igitur quando juſtificantur per Chriſtum, id explicari debet de juſtitia hominibus inhærente & habituali.

Quinta eſt, quia juxta communem omnium Theologorum doctrinam & uſitatam loquendi rationem, homo ceſſante omni actione dicitur fidelis, juſtus, fortis & temperans; hæc, inquam, dicuntur de homine dormiente, quanquam nullum exerceat actum fidei, juſtitiæ, fortitudinis & temperantiæ: igitur virtutes ſunt habitus, virtutes autem quædam ſunt infuſæ, ac proinde dantur habitus infuſi.

Cæterum omitto hic uti quibuſdam rationibus quæ mihi non probantur, quanquam a nonnullis Theologis poſt S. Thomam laudari ſoleant, cujuſmodi eſt iſta, pertinet ad ſuavem Dei diſpoſitionem qua creaturas adminiſtrat, ut ad actionem propriam & naturalem nulla res moveatur niſi per formam naturalem in ipſa permanentem. Quod autem in naturalibus fit, id etiam ac multo magis conſentaneum eſt in ſupernaturalibus fieri, ſcilicet ut quos movet Deus ad bonum ſupernaturale conſequendum, formas ſupernaturales eis infundat, ſecundum quas prompte moveantur ad illud bonum; ſed hujuſmodi formam vocamus gratiam; igitur gratia eſt forma permanens. Non ſunt, inquam, meo quidem judicio ejuſmodi rationes quas appellant convenientiæ in re tanti momenti uſurpandæ, quia ex illis nihil conficitur, nihil judicare debemus Deo conveniens niſi quod ipſe ſapientia ſua infinita decrevit & omnipotenti ſua virtute operatus eſt.

Utrum ſit de fide dari habitus ſupernaturales infuſos.

Communis eſt, ut mox diximus, omnium Theologorum ſententia dari habitus ſupernaturales per ſe & ex natura ſua infuſos, quales ſunt gratia ſanctificans quæ datur juſtis, eſtque in iis forma juſtificationis, tum vero fides, ſpes, & charitas, quæ ſimul infunduntur juſtificatis vel etiam parvulis in Baptiſmo. Verum inſuper controvertitur, utrum iſtud ad fidem catholicam pertineat, ita ut citra hæreſim negari non poſſit.

Quæſtionem hanc fuſe magis quam quivis alius tractavit Vaſquez in 1. 2. diſputatione 203. ubi primum ait aliter ratiocinandum eſſe de parvulorum juſtificatione & eorum qui virtute Sacramenti cum ſola attritione juſtificantur ex una parte, ac de adultis qui per contritionem juſtificantur ex altera parte. Tametſi enim, inquit iſte Theologus, Eccleſia expreſſe non definierit parvulorum juſtificationem & eorum qui virtute Sacramenti cum ſola attritione juſtificantur, fieri per habitum, ſed in univerſum duntaxat declaraverit omnem ju-

ſtifica-

ſtificationem fieri per juſtitiam inhærentem: ex ea tamen definitione aperte colligitur parvulos & adultos qui virtute Sacramenti remiſſionem peccatorum conſequuntur, ſolo habitu & qualitate permanente juſtificari, ac proinde hanc ſententiam ita ad fidem catholicam pertinere ut ſine errore negari non poſſit.

De parvulis quidem hoc conſtat. Nam certa fide credendum eſt quemlibet juſtum per juſtitiam inhærentem juſtificari. Hoc enim expreſſe definitum eſt a Concilio Tridentino, ut videre eſt in locis ſupra laudatis; ſed ita juſtitia inhærens, quæ dubio procul creatum quoddam accidens, non poteſt aliud eſſe quam qualitas permanens & habitus, non eſt enim operatio cujus incapaces ſunt parvuli: ergo.

De adultis vero, qui virtute Sacramenti juſtificantur a peccatis cum ſola attritione, id eſt, licet non habeant contritionem perfectam, idem ex principiis fidei oſtenditur. Nam ut habetur in Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 4. attritio quæ extra Sacramentum non ſufficit ad delendum peccatum, neque conjunctam habet gratiam qua peccatum deleatur, tamen ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ obtinendam diſponit. Atqui accedente Sacramento non alia juſtitia datur aliaque gratia quam habitualis: ergo certum eſſe debet ſecundum fidem catholicam adulto juſtificato virtute Sacramenti infundi habitum aliquem gratiæ & ſanctitatis.

Sed quod ſpectat alios adultos qui nempe juſtificantur extra Sacramentum, putat Vaſquez hactenus non fuiſſe definitum ab Eccleſia, eos formaliter juſtificari per habitum quemdam ſeu gratiam habitualem, quaſi ad id non ſufficiant actus contritionis & dilectionis Dei, idque probare conatur.

1. Autoritate nonnullorum Theologorum qui expreſſe dicunt hactenus non fuiſſe definitum ab Eccleſia juſtitiam nobis inhærentem habitum eſſe. Ita tradunt Dominicus Sotus in 4. diſt. 1. q. 3. art. 1. & 2. lib. de nat. & grat. c. 17. Melchior Canus relectione de Sacramentis 4. parte poſt quintam concluſionem & lib. 7. de locis cap. 2. Stapletonius lib. 5. de juſtificatione cap. 8. Janſenius Gandavenſis cap. 46. Concordiæ Evangelicæ, explicans illud Lucæ 7. *Ideo dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Ruardus Tapperus art. 2. Hoſius in confeſſione catholica cap. 75.

Alios deinde laudat doctores Scholaſticos non infimi nominis, qui affirmant pro culpa mortali condigne ſatisfieri per contritionem, uti Cajetanus ſcribit 1. part. q. 1. art. 2. quem ſequitur Medina docens, ſi homo poſſet viribus propriis diligere Deum & veram habere contritionem, hos actus fore tantæ virtutis ut delerent peccatum.

Teſte eodem Vaſqueſio huic ſententiæ favent Sotus in 4. diſt. 49. q. 6. Gabriel in 4. diſt. 49. q. 2. art. 3. & in 2. diſt. 7. q. 1. art. 1. Gregorius in 2. diſt. 7. q. 2. & Ochamus in 2. q. 19. qui majorem agnoſcunt oppoſitionem inter dilectionem Dei & peccatum, quam inter peccatum & gratiam habitualem; unde, inquit, mirum non eſt, ſi dicatur probabile eſſe tam actu quam habitu hominem recte juſtificari poſſe, cui etiam opinioni favet S. Thomas. Ac proinde licet de facto juſtificatio omnis fiat per habitum, tamen ex mente illorum Theologorum id non eſt definitum ab Eccleſia.

Laudat poſtea alium Theologum ſibi coætaneum Joannem Vincentium e familia Dominicana & in Salmanticenſi Academia profeſſorem, qui libro de gratia Chriſti quæſt. diſputans an in Chriſti anima fuerit gratia habitualis, circa ſextam concluſionem quærit pag. 86. qua certitudine tenendum ſit impium juſtificari per habitum, & docet non

non eſſe de fide, quod & aliorum teſtimonio & aliis momentis confirmat. *Ipſe charitatis actus*, inquit, *ex propria ſui natura & ratione vim habet efficiendi immutationem prædictam in voluntate creata, cujus ratione voluntas etiamſi Deus non infunderet ei habitum charitatis, habitualiter maneret converſa ad Deum*.

2. Eandem ſententiam aſtruere conatur Vaſquez ex multis Scripturæ & Patrum teſtimoniis, quæ longius eſſet ac moleſtius afferre, eo tendunt ſingula ut oſtendatur contritionem & dilectionem Dei ſuper omnia eſſe veram animæ ſanctitatem cum qua peccatum mortale minime eſſe queat, licet de facto omnis juſtificatio tam in Sacramento quam extra fiat per habitum, ut ipſe arbitratur.

E Scripturis v. g. Prov. 10. *Univerſa delicta operit charitas*. Joan. 14. *Si quis diligit me, mandata mea ſervabit & Pater meus diliget eum, & ad eum venimus, & manſionem apud eum faciemus*. Item 1. Petri 4. cap. *Charitas operit multitudinem peccatorum*.

Quo prorſus pacto loquuntur SS. Patres, S. Auguſtinus lib. de natura & gratia, cap. 42. *Charitas veriſſima, pleniſſima, perfectiſſimaque juſtitia eſt*. Et c. ultimo, *Charitas inchoata, inchoata juſtitia eſt; charitas provecta, provecta juſtitia eſt; charitas magna, magna juſtitia eſt*. Quæ verba non de habitu charitatis ſed de actu intelligi debent, uti colligere eſt e lib. 3. de Doctrina Chriſtiana cap. 10. ubi ſic definit charitatem: *Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipſum, & ſe atque proximo propter Deum*.

3. His auctoritatibus nonnullas rationes Theologicas adjungit Vaſquez.

Prima eſt, quia ſi quis exiſtens in ſtatu peccati, antequam in hac vita juſtificaretur, aſſumeretur ad videndum clare Deum & diligendum abſque ullo habitu gratiæ & charitatis, nemo negaret eum fore beatum, beatitudo quippe non in habitibus ſed in operationibus poſita eſt: ergo & juſtus ille foret ſine ullo tamen habitu.

Secunda eſt, qui diligeret Deum ex toto corde & affectu ſine habitu gratiæ & charitatis, diceretur unus ſpiritus cum Deo, quia eſſet unus cum eo in affectu & voluntate: ergo ab injuſtitia & peccato purgaretur, adeoque juſtus eſſet ſine ullo habitu infuſo.

Tertia ratio, qui diligeret Deum ſine habitu vere diceretur manere in Deo, & Deus in eo, & habere ſemen Dei intra ſe ipſum; nam amor hanc habet virtutem, pugnat enim maxime cum macula peccati, ita ut eam tollat & abluat, juxta illud 1. Joan. 3. *Omnis qui in eo manet non peccat, omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare*. Igitur non requiritur habitus.

Quarta eſt, quia per amorem charitatis ſine habitu vere diceremur Deum diligere ut amicum, quia cum gratia ipſius diligeremus vero amore amicitiæ: ergo pariter & nos a Deo diligeremur tanquam amici, amor enim ſua natura reciprocus eſt, eſſemus itaque Dei amatores ſine habitu.

Quinta ratio, qui juſtificatur contritione & inſuper habitu gratiæ infuſo, ſi Deus auferret hunc gratiæ habitum, nihilominus ille maneret juſtus, nempe ea juſtitia quam habuiſſet per contritionem & actualem Dei dilectionem: ergo juſtitia non pendet eſſentialiter ab aliquo habitu.

Sexta ratio, dilectio Dei potentior eſt ut convertat animam ad Deum finem ultimum, quam voluntas primi parentis ad avertendum poſteros a Deo: poterit igitur quilibet exiſtens in peccato originali per ſolam dilectionem ſine habitu ab eo peccato juſtificari & emundari.

Poſtrema demum ratio eſt, quia niſi con-

contritio perfecta vim haberet ex ſe juſtificandi, ſequeretur veram eſſe ſententiam Joannis Medinæ codice de pœnitentia qu. 2. nempe pœnitentiam & dolorem peccatorum non jure naturali, ſed ſolo poſitivo divino neceſſarium eſſe ad juſtificationem quæ fit actu proprio extra Sacramentum, quoniam, niſi perfecta contritio ex ſe vim haberet juſtificandi, jure naturali neceſſaria non eſſet ad juſtificationem tanquam forma, ut patet, neque ut diſpoſitio ad gratiam habitualem. Oppoſitum tamen merito docent S. Thomas 3. p. q. 84. art. 7. ad 1. Cajetanus ibidem. Sotus in 4. diſt. 14. art. 7. Latomus art. 3. contra Lutherum. Canus relectione de pœnit. part. 3. & Vega l. 13. ſuper Conc. c. 2.

Eſt alia nonnullorum Theologorum ſententia ſuper iſta quæſtione, num de fide ſit dari habitus ſupernaturales infuſos, qui videlicet putant diſtinguenda eſſe tempora, & aliter judicandum, ſi ſermo ſit de tempore quod præceſſit Concilium Tridentinum, aliter vero ſi ſumatur quæſtio poſt idem Concilium. Ajuntque hoc non fuiſſe de fide antequam res definiretur in hoc eodem Concilio. Immo ſentire videntur iſti Theologi ante Concil. Viennenſe rem fuiſſe problematicam, quia Innocentius III. in cap. *majores* de baptiſmo, hanc eandem quæſtionem pertractans, diverſas & oppoſitas Theologorum opiniones recenſet, nihil vero abſolute definit, hæc ſunt ejus verba. *Et ob hoc tota autoritas hic intelligenda eſt de adultis, ne ad alios prima, & ad alios ſecunda clauſula referatur, quamvis nonnulli concedant quod parvuli credant non per uſum ſed per habitum fidei quem ſuſcipiunt in Baptiſmo, ſicut & alia multa verba ſecundum communem uſum loquendi non ad acta ſed ad aptitudinem referuntur. Illud vero quod opponentes inducunt fidem aut charitatem aliaſque virtutes parvulis utpote non conſentientibus non infundi, a pleriſque non conceditur abſolute, cum propter hoc inter doctores Theologos quæſtio referatur, aliis aſſerentibus per virtutem Baptiſmi parvulis quidem culpam remitti, ſed gratiam non conferri, nonnullis dicentibus dimitti peccatum & virtutes infundi habentibus illas quoad habitum, non quoad uſum, donec perveniant ad ætatem adultam.*

Quin immo ajunt in eo ſtatu controverſiam perſeveraſſe inter Theologos uſque ad tempora Concilii Tridentini propter modum loquendi uſurpatum a Concilio Viennenſi loco ſupra citato. Cum enim quæſtionem iſtam de infuſione gratiæ & aliarum virtutum expendit, non habet ſententiam quam amplectitur, niſi *tanquam probabiliorem & dictis modernorum Theologiæ doctorum magis conſonam opinionem*. Quæ verba non denotant jam tum in Eccleſia fuiſſe definitum dari habitus ſupernaturales infuſos; fidei enim dogma non ſolet commendari duntaxat tanquam probabilius in Concilio generali.

Addunt illi Theologi non multum ante Innocentii III. ætatem Petrum Lombardum docuiſſe lib. 1. diſt. 17. charitatem qua nos Deum & proximum diligimus, non eſſe aliquid creatum in anima, ſed ipſum ſubſtantialiter Spiritum ſanctum, unde manifeſte ſequitur charitatem in mente hujus Magiſtri non eſſe habitum infuſum, adeoque nec alios dari ſupernaturales & infuſos. Hanc porro ſententiam viderunt omnes Theologi, qui ſuos in illius opera commentarios adornarunt; nec illam dixerunt hæreticam; vidit & expreſſe refutavit S. Thomas 2. 2. q. 23. art. 2. quam tamen nec hæreſeos nec erroris nota inuſſit; fuiſſet autem damnanda, ſi tum ea fuiſſet in Eccleſia communis & recepta doctrina, dari gratiam habitualem, licet enim fortaſſe potuiſſet Magiſter ſententiarum alium præterea agnoſcere habitum infuſum, de nullo tamen clarius loquitur Scriptura quam charitate.

Aliter ſuper iſto argumento ratiocinatur Suarez tractatu de gratia part. 3. lib. *6*. cap. 3. ubi ait utendum eſſe diſtinctione Theologis uſitata. Duobus ſcilicet modis, inquit, aliquid poteſt eſſe de fide vel in ſe vel quoad ſufficientem promulgationem in univerſa Eccleſia factam: Cum autem, inquit, negamus ſententiam quæ aſſerit, dari habitus ſupernaturales, fuiſſe de fide ante Concilii Tridentini tempora, hoc ſolum poſteriori modo intelligi debet. Et nihilominus tamen verum cenſeo, hoc dogma in ſe ſpectatum ſemper fuiſſe de fide, quia revera erat in Scriptura contentum, licet nondum eſſet per Eccleſiam univerſam aperte declaratum.

Dehinc obſervat ille Theologus totam nunc quæſtionem eſſe de tempore poſt Conc. Trid. an ſcilicet hanc veritatem expreſſe definierit, tum vero multos graves Thelogos, qui poſt Concilium ſcripſerunt, hoc negare; videlicet Soto, Canum, Medinam, Bannez, Joannem Vincentium, Vaſquezium quod attinet ad adultos: Et ipſe nihilominus pronuntiat veritatem hanc definitam fuiſſe tanquam de fide a Conc. Tridentino, ſaltem eo ſenſu quod gratia qua ſumus permanenter juſti, eſt res aliqua creata diſtincta ab actibus, ceſſantibus illis in homine permanens.

Hanc aſſertionem ſic poſitam probat ex variis Conc. Trid. teſtimoniis quæ ſupra adduximus, idque confirmat autoritate Catechiſmi Romani ad Parochos Pii V. juſſu editi in materia de Baptiſmo dicentis: *Eſt autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum pœna anathematis propoſita decrevit, non ſolum per quam peccatorum ſit remiſſio, ſed divina qualitas in anima inhærens*.

Addit poſtea Suarez hanc veritatem de gratia permanente juſtorum, locum etiam habere pro juſtificatis ante Chriſti adventum in mente ſcilicet Conc. Trid. 1. Quia generalem pro quocumque ſtatu juſtificationis deſcriptionem ubique tradit Synodus. 2. Quia in decurſu illius doctrinæ æque illam confirmat teſtimoniis veteris & novi Teſtamenti, ut patet ex cap. 5. & *6*. Seſſionis ſextæ. 3. demum, quia hoc ſatis declaravit Conc. Seſſ. 14. cap. 4. explicans quomodo contritio omni tempore fuerit neceſſaria diſpoſitio ad juſtitiam. Quin & Concilium dubio procul cenſuit juſtitiam originalem ante peccatum primi Parentis fuiſſe in eo verum habitum & qualitatem inhærentem, nam in Seſſ. 5. can. 1. definit Adamum peccando *ſtatim ſanctitatem & juſtitiam in qua conditus fuerat, amiſiſſe*.

His porro præmiſſis noſtra nunc utcunque declaranda eſt ſententia circa propoſitam quæſtionem, quod certe non omni vacat difficultate propter varias & oppoſitas Theologorum opiniones, quas non licet prudenter velut hæreticos habere, niſi doctrinam tradant falſam, erroneam & aperte damnatam ab Eccleſia.

Vera ſtatuitur Sententia.

IN hoc igitur opinionum conflictu duo mihi videntur certiſſima, primo non tantum recte probari poſſe ex Scripturis & ſanctis Patribus gratiam ſanctificantem in juſtificatis, uti & alias virtutes, quandam eſſe qualitatem permanentem & infuſam, ſed & hanc ſine ulla dubitatione fuiſſe doctrinam tum Concilii Viennenſis, tum Tridentini, quorum verba neutiquam explicari poſſunt in ſententia eorum qui contendunt Deum operari juſtitiam & ſanctitatem in juſtis per ſolam gratiam actualem.

Alterum eſt illud tamen non fuiſſe verbis expreſſis definitum in ullo ex ipſis duobus Conciliis gratiam & virtutes quæ conferuntur in juſtificatione eſſe habitus, ſtricte ſumpto nomine habitus, quod utrumque paucis & nullo negotio oſtendi poteſt.

Ac

Ac primum quidem caput conſtat de Concilio Viennenſi, quia loquitur de gratia quam infantes in Baptiſmo recipiunt: ſed fingi nequit infantes fieri juſtos & ſanctos per motionem gratiæ actualis; approbat autem illorum doctorum opinionem qui affirmant gratiam & virtutes his infantibus infundi quoad habitum: Igitur hæc pro certo fuit ſententia Conc. Viennenſis, gratiam & alias virtutes ſupernaturales eſſe habitus infuſos.

Deinde vero idem manifeſtum eſt de Conc. Trid. cujus teſtimonia jam ad hunc noſtrum ſenſum facile adduximus: loquitur enim Synodus de gratia per quam homines formaliter juſtificantur, tanquam de forma infuſa & inhærente, quæ augetur, amittitur & manifeſte diſtincta eſt ab actibus fidei, contritionis & charitatis, quæ dubio procul oſtendunt juxta veram Concilii doctrinam dari habitus ſupernaturales infuſos: actus enim non infunduntur, non inhærent, proprie non augentur, non amittuntur.

In hunc ſenſum verba Conc. Trid. interpretatur auctor Catechiſmi Romani ad Parochos in Tractatu de Baptiſmo his nimirum verbis: *Eſt autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum pœna anathematis propoſita decrevit, non ſolum per quam peccatorum fit remiſſio, ſed divina qualitas in anima inhærens.*

Jam vero non multum difficile eſt reſpondere adductis ſupra objectionibus quas proponit Vaſquez, ut oſtendat nihil omnino neceſſe eſſe quemdam admittere habitum ad explicandam hominum juſtorum ſanctitatem, quam quidem putat explicari poſſe per actus dilectionis Dei ſine ullo habitu infuſo, quæcunque enim in ſubſidium ſuæ ſententiæ profert ille Theologus, tum ex Scripturis, tum ex ſanctis Patribus, tum denique ex rationibus Theologicis, duo ſolummodo probant.

Primum eſt actus fidei, contritionis & dilectionis Dei juſtificare quidem diſpoſitive, quia totidem ſunt actus qui ut ait Conc. Trid. hominem ad remiſſionem peccatorum & ſanctitatem conſequendam præparant, non autem juſtificare formaliter.

Alterum eſt, ex illis omnibus momentis ad ſummum colligi abſolute loquendo, & per omnipotentem Dei virtutem, impii juſtificationem fieri poſſe per actus bonos, per contritionem & amorem Dei ſine habitu ſuperaddito, quatenus qui Deum toto corde & affectu diligeret juſtus eſſe poſſet ac ſanctus, Deo nullum infundente habitum gratiæ ſanctificantis; ſed non inde ſequi actu & de facto ſic fieri juſtificationem ut nullus infundatur habitus, qua tamen de re hic quæſtio eſt inter Theologos. Neque enim controvertitur utrum Deo ita volente per ſolos pœnitentis actus ſine ullo habitu fieri poſſet juſtificatio, ſed utrum juxta ordinem a Deo conſtitutum, prout nimirum innoteſcit ex Scripturis, ſanctis Patribus & Concilior. decretis, hoc præciſe modo juſtificentur homines per ſolos actus ſine habitu infuſo, quod quidem ſi attente conſideraveris, illico videbis ſingula Vaſqueſii momenta penitus ruere.

Deinde quod alii Theologi opponunt autoritatem Innocentii III. quaſi doceat ſummus Pontifex contrarias & maxime oppoſitas fuiſſe Theologorum opiniones ſuper hoc argumento, adeoque non omnino certum tunc fuiſſe dari habitus infuſos.

Reſpondeo Innocentium non aſſerere, contrarias fuiſſe Theologorum opiniones circa quæſtionem iſtam, an dentur habitus infuſi reſpectu omnium univerſim hominum, ſed ſolum in deliberationem mittere utrum ejuſmodi habitus infundantur parvulis in Baptiſmo: quæ duo magnopere differunt. Immo ſtatim atque Innocentius quæſtionem reſtringit ad parvulos, ſupponere videtur

non

Digitized by Google

non dubitari inter Theologos quin adultis dentur virtutes infuſæ.

Teſtatur Suarez loco ſupra citato Concilium Viennenſe cum eadem reſtrictione locutum eligendo opinionem affirmantem quæ docet virtutes ſupernaturales infundi parvulis in Baptiſmo. Legitur enim hoc in Concilio: *Nos attendentes generalem efficaciam mortis Chriſti, quæ per Baptiſma pariter omnibus applicatur, opinionem ſecundam, &c.* Quæ quidem ratio manifeſte ſupponit, certum fuiſſe inter Theologos ejuſmodi virtutes adultis infundi. Quapropter, inquit, nunquam probabilis fuit opinio negans omnem gratiam habitualem infuſam etiam adultis, quia quando contrariam opinionem referunt Scholaſtici, aiunt eam fuiſſe fundatam in peculiari impedimento parvulorum ad uſum virtutum.

Neque etiam opponi debet opinio Magiſtri ſententiarum ſuperius commemorata, tum quia non omnem habitum ſed charitatis tantum rejecit, tum quia ab aliis Theologis fuit ſemper improbata, conſuli poteſt ſuper ea re Eſtius in 1. diſtinct. 17.

Alterum quod ſuper iſta controverſia teneri poſſe putamus aliquo nimirum ſenſu, eſt, clare & expreſſe non fuiſſe definitum gratiam & virtutes quæ conferuntur in juſtificatione, eſſe habitus infuſos, ſi nimirum, ut diximus, ſtricte ſumatur habitus nomen, quam ſententiam tradit Eſtius in 2. diſt. §. 3. Non enim, inquit iſte Theologus, ſine cauſa tam Viennenſes Patres quam Tridentini in ſuis definitionibus abſtinuerunt a nomine habitus, quanquam ſatis aperte mentem ſuam aperuerint circa infuſionem gratiæ ſanctificantis permanentis. Scilicet aliud eſt quod dicatur dari gratiam ſanctificantem quæ ſit permanens & in infantibus; aliud vero quod dicatur illam gratiam eſſe habitum proprie dictum, cujus quidem habitus quatenus habitus ratio in eo poſita eſt, quod inclinet ad actus ſibi proprios & ad quos ordinatur.

Hoc itaque ſenſu dici poteſt non fuiſſe definitum ab Eccleſia dari habitus ſupernaturales infuſos, ſi per habitum intelligatur qualitas inclinans ad actus ſibi proprios, fides inclinans ad actus fidei, charitas ad actus charitatis, ut enim mox d xi, ab illo nomine habitus abſtinuerunt Concilia, profecto quia non ſatis apparet parvulos per gratiam & virtutes infuſas, inclinari ad actus proprios illarum virtutum; quantumvis definiverint expreſſiſſime gratiam eſſe qualitatem permanentem & inhærentem cujuſcunque tandem conditionis & naturæ ſit ejuſmodi qualitas inhærens.

Addit Eſtius nihil opus fuiſſe ut Concilia in ſuis decretis nomen habitus uſurparent, quia nomine habitus in ſcholis intelligi ſolet qualitas inclinans ad ſuos actus quorum repetitione acquiritur. Hactenus de habitibus univerſim, nunc de tribus Virtutibus Theologicis ſigillatim agendum, primum vero ac latius de Fide.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS
DE FIDE.

Cum ita ſe habeat iſte Tractatus, ut in eo non de Myſteriis fidei, ſed de ipſa fide qua creduntur myſteria diſputetur; convenientius, ni fallor, & Theologiæ ſtudioſis longe utilius fuiſſet totum Theologiæ opus ab iſto Tractatu ordiri; cum aliunde totus fere poſitus ſit in variis difficultatibus ope ſcholaſticæ enucleandis. Sed uſitatam in ſcholis methodum ſolito de more ſequimur, liberum erit iis, quibus Theologiæ ſtudium colere juvabit, ab iſto Tractatu in ipſis ſuis ſtudiis initium facere. Hæc potiſſimum capita, iſtas quæſtiones complectetur.

Prima erit de nomine, notione, definitione, & natura fidei.
Secunda, de ejus objecto materiali.
Tertia, de objecto formali.
Quarta, de ſubjecto fidei.
Quinta, de regulis fidei.
Sexta, de habitu fidei.
Septima erit de actu fidei.
Ultima denique pars erit de vitiis fidei oppoſitis.

Nomen, definitio, & natura Fidei.

Multis modis ſumitur nomen fidei. 1. Sumitur interdum pro objecto fidei, quæ virtus eſt Theologica, ad Epheſios cap. 4. *Unus Deus, una fides.* Ad Galatas I. cap. *Cum veniſſet fides &c.* Et in Symbolo quod dicitur S. Athanaſii adductis fidei noſtræ præcipuis myſteriis, *hæc eſt fides Catholica*, id eſt, hæc ſunt fidei Catholicæ capita objecta.

2. Sumitur pro fidelitate ſeu conſtantia in ſervandis promiſſis, Levit. 6. cap. *Anima quæ negaverit depoſitum fidei ſuæ commiſſum reddet*. Eccleſiaſtici 27. *Qui revelat arcana fidem perdit*, id eſt, fidelitatem. Immo conjiciunt multi *fidem* inde dictam eſſe quod per eam fit quod dicitur, quomodo etiam fides ſumitur in jure civili.

3. Sumitur pro fiducia, Matt. 8. *quid timidi eſtis modicæ fidei?* Timor enim opponitur fiduciæ, Lucæ 17. *ſi habueritis fidem, &c.* Jacobi 1. *poſtulet autem in fide nihil hæſitans.*

4. Fides accipitur quandoque pro veracitate, & opponitur mendacio, Jerem. 7. cap. *Periit fides & ablata eſt de ore eorum*. Et Apocalypſ. cap. 1. Chriſtus appellatur teſtis fidelis, id eſt verax.

5. Solet etiam iſtud vocabulum tribui publicis inſtrumentis, aut potius ſumitur pro autoritate publicorum inſtrumentorum, quæ dicuntur fidem facere, hoc eſt, autoritatem habere apud judices & in judiciis.

6. Sumitur pro conſcientia, Rom. 14. cap. *Quod non eſt ex fide, peccatum eſt*. Hoc eſt, ut alibi explicuimus, quod non eſt ſecundum conſcientiam, vel contra conſcientiam.

7. Fides ſignificat virtutem propriam veræ Religionis, per quam diſtinguuntur fideles ab infidelibus, Act. 10. *Fideles, qui erant ex circumciſione*. 1. ad Corint. 6. *& hoc apud infideles*. cap. 7. *Si quis frater habet conjugem infidelem*.

Denique ſumitur pro aſſenſu dato veritatibus ab aliquo revelatis, ſi ab homine, dicitur fides humana, ſi a Deo, dicitur fides divina; quo ſenſu nunc ſumitur & ſumi debet, ut mox oſtenſuri ſumus: fidem igitur divinam habere idem eſt ac credere, ſeu Deo revelanti aſſenſum præbere, de qua fide ait Apoſtolus, Hebræorum 11. cap. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo, credere enim oportet accedentem*

Digitized by Google

tem ad Deum quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit.

Definitur accurate virtus infuſa, Theologica de ſe inclinans intellectum ad aſſentiendum rebus a Deo revelatis propter ipſius Dei revelationem, quæ quidem definitio eſt habitus fidei ut per ſe patet, non autem actus.

Dicitur *virtus*, tum quia habitus eſt bonus, quo boni nimirum Chriſtiani efficimur, tum quia principium eſt bonorum actuum, nempe actuum fidei; tum denique, quia inter virtutes numeratur in decreto Concilii Viennenſis.

Dicitur *infuſa*, fides enim eſt ſupernaturalis, nec proprio hominum labore acquiri poteſt, unde ad Epheſ. 2. cap. dicitur Dei donum, *Gratia eſtis ſalvati per fidem, at hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt*; præterquamquod fides eſt in infantibus, in quibus aliter eſſe non poteſt, quam per infuſionem.

Dicitur *Theologica*, quia, ut ſupra diximus, Deum habet pro immediato objecto.

Dicitur *de ſe inclinans*, ut diſtinguatur a gratia actuali, quæ neceſſaria eſt ad quemlibet fidei actum eliciendum, ſed quæ tamen non magis inclinat ad actus fidei, quam ad alios actus ſupernaturales.

Additur *rebus a Deo revelatis*, quæ quidem definitionis pars deſignat objectum materiale fidei divinæ, de quo poſtea tractabitur.

Denique *propter ipſius Dei revelationem*, quæ quidem definitionis verba denotant objectum formale fidei divinæ; revelatio enim eſt ratio formalis, ſub qua fides conſiderat ſuum objectum materiale, in quo ab aliis habitibus eſſentialiter diſtinguitur; uti etiam infra dicemus.

Præterire hic non poſſumus quandam fidei definitionem toties in ſcriptis omnium Theologorum commendatam; quæ nimirum legitur Epiſt. ad Hebræos cap. 11. his verbis: *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.*

Subſtantia, inquit Apoſtolus, græce ὑπόστασις, vel quia ſicut ſubſtantia ſubſtat accidentibus eaque ſuſtinet, ita fides ſpem noſtram ſuſtentat; vel ita ut ſubſtantia idem ſit ac exiſtentia, quaſi dicat fidem divinam facere ut bona futuræ vitæ quæ nondum poſſidemus, certa nunc habeamus ac veluti præſentia, perinde ac ſi jam ea poſſideremus.

Rerum ſperandarum, græce ἐλπιζομένων, ſcilicet rerum quæ ſperantur, quia potiſſimum fidei noſtræ objectum in bonis cœleſtibus quæ ſperare & expectare debent Chriſtiani, poſitum eſt.

Argumentum, græce ἔλεγχος, id eſt, convictio, demonſtratio, quia fide convincimur ad ea credenda quæ nobis revelata ſunt, nimirum fides cum autoritate Dei revelantis innitatur, firmum in mente noſtra & certum producit aſſenſum.

Non apparentium, græce οὐ βλεπομένων, id eſt, rerum quæ non videntur, quælibet enim fidei noſtræ myſteria, quæ nec oculis cernuntur nec intellectu clare percipiuntur, certiſſime tamen vera eſſe creduntur, perinde ac ſi manifeſtis demonſtrationibus paterent.

Allata hac Apoſtoli definitione quærunt nonnulli Theologi, utrum accurata ſit, & ad omnes veræ definitionis leges accommodata. Sunt qui putent illam eſſe valde propriam & accuratam, & in illos acriter inſurgunt qui contrariam tenent ſententiam. Gregorius de Valentia temeritatis arguit Eraſmum, quod in annotationibus ad hunc Apoſtoli locum ſcribit fidem eo loci non definiri ſed laudari, quia, inquit ille Theologus, SS. Patres eam Apoſtoli ſententiam accipiunt tanquam fidei definitionem, ſic v. g. S. Auguſt. lib. 2. de peccatorum meritis c. 21. *Fides ita definita eſt, fides eſt ſperantium ſubſtantia & convictio rerum quæ non videntur.* S. Hieronymus in cap. 5. Epiſt. ad Galatas, *Nec nimirum*, inquit, *ſi ſpes in hoc catalogo non refertur, cum in fide ſit quod ſperatur, & ita eam Apoſtolus ad Hebræos ſcribens definiat. Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum*

rerum argumentum necdum apparentium. Et S. Bernardus Epiſt. 190. ad Innotium, *Ego ſecurus in magiſtri gentium ſententiam pergo, & ſcio quoniam non confundar. Placet mihi fateor illius de fide definitio; fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium*. Quibus etiam conſentiunt multi vel antiquiores Theologi, qui afferunt fidem eſſe definitam in hoc divi Pauli teſtimonio.

Dicendum nihilominus eſt hanc fidei definitionem non eſſe ex omni parte accuratam, idque his potiſſimum conſtat momentis.

1. Quia deſcriptio eſt potius deſignans proprietates fidei, quam vera ac proprie dicta definitio quæ naturam ejus explicet per genus & differentiam, quod enim v. g. dicatur ſubſtantia rerum ſperandarum, hoc eſt, baſis & fundamentum ſpei chriſtianæ, in hoc certe commendatur fides, non definitur.

2. Quia minus adæquata eſt hæc definitio, nec totam rem definitam complectitur in utraque ſui parte. In priori quidem dicitur ſubſtantia rerum ſperandarum, quaſi fides ſe extendat ad res ſperandas tantum; at fides tam eſt ſubſtantia rerum timendarum quam ſperandarum, fide enim eredimus infernum quem timemus, non ſperamus. In poſteriori vero parte hujus definitionis fides dicitur argumentum ſeu convictio rerum non apparentium, ſed in hoc non deſignatur totum & adæquatum ejus objectum; fides enim non modo verſatur circa myſteria quæ ſunt obſcura & inevidentia, ſed & circa res claras, evidentes & ſenſibiles, puta circa exiſtentiam Dei, immortalitatem animæ rationalis, plurima facta hiſtorica & rerum ſenſibilium exiſtentiam, quæ quidem omnia aperte revelata ſunt in Scripturis.

Quamobrem cum Cornelius a Lapide doctiſſimus Scripturæ Interpres obſervat Eraſmum dixiſſe, non eſſe in his Apoſtoli verbis niſi encomium fidei, hujus ſententiam non arguit temeritatis, ſed addit ſolummodo verius hic agnoſci fidei deſcriptionem per duplicem fidei proprietatem, quarum prior eſt, quod fides ſit baſis & fundamentum ſpei, poſterior quod per illam intellectus aſſentiatur iis quæ non intelligit neque ſuo lumine comprehendit.

Quod autem nonnulli e ſanctis Patribus expreſſe dicant fidem ſic fuiſſe definitam ab Apoſtolo, nihil moror, certum quippe non eſt eos loqui de accurata & proprie dicta definitione, immo notum eſt omnibus deſcriptionem rei cujuſpiam tametſi valde imperfectam, nec rem explicet per genus & differentiam, aut in alias veræ definitionis leges peccet, appellari tamen non modo a ſanctis Patribus ſed & a Theologis definitionem.

Dehinc cum fidei catholicæ naturam explicamus, non poſſumus non animadvertere in hæreticos noſtros, qui quidem hac in materia aut perverſe ſentiunt aut, ſaltem male omnino loquuntur.

Expenditur Sententia Hæreticorum de natura Fidei Catholicæ.

TAnta eſt Novatorum varietas in aſſignanda notione ac natura fidei, ut vix aliquid certi de eorum mente & doctrina colligere poſſint Catholici: Quod enim aſſeveranter ſcripſit ſuper ea re Calvinus, hoc ipſum rejiciunt multi ex ejus diſcipulis, aut ſaltem variis ſuis interpretationibus enervant, quin & nonnulli ex iſtis contendunt in omnibus fere controverſiis quæ de fide moveri ſolent inter ipſos & Catholicos Romanos, non eſſe niſi meras altercationes de vocibus. Quod idem confiteri non dubitant quidam e Theologis noſtris.

Duo ſunt tamen, quoad præſentem ſpectat materiam circa veram fidei catholicæ, quæ hujuſce Tractatus objectum eſt, notionem aſſignandam, in quibus ſententia Proteſtantium conciliari non poteſt cum doctrina catholica, & Concilii Tridentini definitionibus. Primum eſt, illos docere fidem proprie dictam

non eſſe aſſenſum quo credantur veritates a Deo revelatæ, ſed certam firmamque divinæ miſericordiæ fiduciam. Alterum eſt, illos nullam fidem informem, hoc eſt, charitate deſtitutam agnoſcere, quod utrumque nunc impugnare juvat.

Utrum fides ſit idem quod fiducia.

AGitur de fide chriſtiana, de illa fide quæ in Scripturis commendatur, tanquam initium ſalutis, fides juſtificans, tanquam ad ſalutem & juſtitiam neceſſaria, de qua demum loquitur S. Paulus tres enumerans Virtutes Theologicas 1. Corint. 13. *Nunc autem*, inquit, *manent fides*, *ſpes*, *charitas*, *tria hæc*.

Hanc ipſam fidem ſic definit Calvinus lib. 3. inſt. c. 2. §. 16. *In ſumma vere fidelis non eſt, niſi qui ſolida perſuaſione Deum ſibi propitium benevolumque Patrem eſſe perſuaſus, de ejus benignitate omnia ſibi pollicetur, niſi qui divinæ erga ſe benevolentiæ promiſſionibus fretus indubitatam ſalutis expectationem præſumit*. Num. 29. *Fidei fundamentum facimus gratuitam promiſſionem quod in ipſa proprie fides conſiſtat. Tametſi enim Deum per omnia veracem eſſe ſtatuat, ſive jubeat, ſive prohibeat, ſive promittat, ſive minetur, juſſa etiam ejus obedienter excipiat, interdicta obſervet, ad minas animadvertat, proprie tamen a promiſſione incipit, in ipſa conſtat, in ipſam deſinit*.

Sic totus eſt ibi Calvinus ut fidem aſtruat tanquam certam in promiſſiones Dei fiduciam, eamque fidei notionem rejiciat, qua dicitur a Catholicis aſſenſus qui præbetur veritatibus a Deo revelatis: *Si quis*, addit ille ibidem num. 30. *Deum & juſte præcipere quicquid præcipit & vere minari credat, an propterea fidelis vocabitur? Nihil minus, firmus ergo fidei ſtatus non erit, niſi in Dei miſericordia ſiſtatur*.

Eodem modo loquuntur Melancton in locis communibus cap. de vocabulo fidei, Beza confeſſionis cap. 4. art. 5. Chamier tom. 3. lib. 13. cap. 1. ubi in probationem hujus ſententiæ refert hunc articulum 20. confeſſionis Gallicæ; *Credimus nos ſola fide fieri hujus juſtitiæ participes, ſicut ſcriptum eſt, ipſum paſſum eſſe acquirendæ nobis ſaluti, ut quicunque crediderit in eum, non pereat. Hoc autem ideo fit, quod promiſſiones vitæ nobis in ipſo oblatæ, tunc uſui noſtro applicantur; & nobis redduntur efficaces, cum eas amplectimur, nihil ambigentes nobis eventura, de quibus ore Dei certiores ſimus*.

Dehinc fidem triplicem diſtinguunt Hæretici, Hiſtoricam, miraculorum, & promiſſionum. Fidem Hiſtoricam eam dicunt quæ eſt firmus aſſenſus intellectus quo credimus verum eſſe quicquid Deus revelavit, Hebræorum 11. cap. *Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei &c.* Fidem miraculorum appellant donum patrandi miracula, juxta illud 1. ad Cor. cap. 15. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam*. Fidem denique promiſſionum quæ verſatur circa Dei promiſſiones de remiſſione peccatorum & juſtitia conſequenda per Chriſtum, uti eam deſcribit Calvinus loco mox citato.

Hanc fiduciam, in qua proprie conſiſtere fidem docent, ut mox diximus, duplicem iterum diſtinguunt. Unam generalem quæ verſatur circa divinas promiſſiones in genere, puta quod Deus omnibus credentibus ſalutem promiſerit, Marci ultimo, *qui crediderit & baptiſatus fuerit, ſalvus erit*. Alteram ſpecialem qua unuſquiſque in particulari ſibi applicans Dei promiſſionem, certo credit & confidit peccata ſibi eſſe remiſſa, in qua perſuaſione & fiducia de propria ſalute putant conſiſtere veram fidem chriſtianam, Theologicam, juſtificantem, ita ut utraque alia fides proprie appellari non debeat fides: in quam doctrinam ſit

CONCLUSIO.

Fides chriſtiana quæ paſſim commendatur in Scripturis tanquam juſtificans & ad ſalutem neceſſaria, male dicitur poſita

in

in quadam fiducia hominum in divinas promiſſiones, ſed dici debet firmus aſſenſus quo creduntur veritates a Deo revelatæ, uti illam ſupra definivimus.

Probatur 1. ex Scripturis in quibus aperte nec ſemel inculcatur hæc doctrina.

Primo enim ex innumeris propemodum locis patet, fidem nihil aliud eſſe quam aſſenſum mentis quo creduntur dogmata à promiſſionibus Dei longe diverſa, uti ſunt Exiſtentia Dei, Divinitas Chriſti, ejus Reſurrectio, & alia id genus. Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipſum non pereat*. Cap. 20. *Quia vidiſti me Thoma credidiſti, beati qui non viderunt & crediderunt*. Ubi agitur de ea fide qua creditur Chriſtum eſſe Meſſiam & reſurrexiſſe à mortuis. Act. 8. cap. cum Philippus Eunucho prædicaſſet Evangelium, Eunuchus petiit Baptiſmum. *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* Reſpondit Philippus, *Si credis ex toto corde, licet:* ait autem Eunuchus, *Credo Filium Dei eſſe Jeſum Chriſtum*. Quapropter Philippus illum baptizavit. Unde ſequitur hanc fidem quæ juſtificat, quatenus nempe præparat ad juſtificationem, eſſe fidem dogmatum, non fiduciàm in promiſſiones divinas.

2. Sunt alia prope innumera Scripturarum loca, in quibus declaratur actum fidei chriſtianæ, idem eſſe ac ſcire, intelligere, credere, quæ quidem toto cœlo diſcrèpant a fiducia quæ eſt actus voluntatis, Rom. 4. *Confortatus eſt fide* Abraham, *dans gloriam Deo, pleniſſime ſciens, quia quæcunque promiſit potens eſt ei facere*. Ad Hebræos 11. cap. *Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei, ut ex inviſibilibus viſibilia fierent*. Ubi Apoſtolus commendat fidem *qua Abel plurimam hoſtiam contulit quam Cain*, quæ fides fuit de Deo ipſo & ejus beneficentia. Item laudat fidem Noe, qui *reſponſo accepto de his quæ non videbantur*, ita credidit, ut juxta fidem obedierit, *& juſtitiæ quæ per fidem eſt hæres ſit inſtitutus*.

3. Fidem a ſpe & fiducia ſexcenties diſtinguunt Scripturæ, inſignis præ cæteris eſt ille locus 1. Corint. 13. cap. *Nunc autem manet fides, ſpes, charitas, tria hæc*. Ad Epheſios cap. 3. *in quo habemus fiduciam & acceſſum in confidentia per fidem ejus*. Ad Coloſſ. c. 1. *Si tamen permanetis in fide fundati & ſtabiles & immobiles a ſpe Evangelii quod audiſtis*. 1. ad Tim. 3. *Qui enim bene miniſtraverint, gradum bonum ſibi acquirent, & multam fiduciam in fide quæ eſt in Chriſto Jeſu*. 1. Petr. 1. cap. *Qui ſuſcitavit eum a mortuis & dedit ei gloriam, ut fides veſtra, & ſpes eſſet in Deo*. Igitur perperam aſſerunt Hæretici fidem in fiducia conſiſtere.

Probatur 2. ex ſanctis Patribus qui conſentenee ad loca Scripturæ adducta fidem diſtinguunt a ſpe & fiducia, illam collocantes in actu intellectus quo creduntur dogmata, iſtam vero in actu voluntatis quo ſperantur res promiſſæ. Unum aut alterum ex eorum teſtimoniis proferam in præſenti loco, multa alia paſſim occurrent in decurſu hujuſce Tractatus.

S. Irenæus lib. 1. c. 3. loques de fide chriſtiana, *Prædicatio veritatis*, inquit, *ubique lucet & illuminat omnes homines qui volunt ad veritatis cogitationem venire*.

S. Ambroſius ſerm. 20. in Pſal. 118. *Cum principium*, inquit, *verborum Dei veritas ſit, veritas utique fidei fundamentum eſt; primum oportet ut credamus vera eſſe Dei ſummi quæ in divinis Scripturis legimus oracula*.

S. Auguſtinus lib. de prædeſtinatione Sanctorum, cap. 2. *Ipſum credere*, inquit, *nihil aliud eſt quam cum aſſenſione cogitare, non enim omnis qui cogitat credit, cum ideo cogitent plerique ne credant. Sed cogitat omnis qui credit & credendo cogitat, & cogitando credit*.

S. Gregorius M. lib. 2. in 1. Regum, cap. 4. *Fide*, inquit, *velut fama Deum cognoſcimus, amore autem contemplationis is qui fama innotuit, nobis velut ex oſtenſione præſentiæ revelatur*.

Probatur demum nonnullis rationibus.

Prima eſt, quia manifeſtus eſt error in eo quod dicunt Hæretici chriſtianam fidem proprie conſiſtere in certa perſuaſione, qua unuſquiſque credit ſua peccata eſſe remiſſa & ſe per merita Chriſti eſſe juſtificatum: Namque ut ipſi fatentur, vera fides juſtificans, de qua nunc loquimur, nititur verbo Dei revelantis, *fide intelligimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei, &c.* Sed illa perſuaſio de propria uniuſcujuſque ſalute non nititur verbo & revelatione Dei; nemo citra abſurdam & ſtolidam præſumptionem credere & affirmare poteſt ſe eſſe juſtum & infallibiliter ſalvandum, quandoquidem id nemini Deus revelavit.

Neque eſt quod dicant Deum illud revelaſſe revelatione generali, quando nempe omnibus ſemel baptizatis & credentibus in Chriſtum ſalutem & vitam æternam promittit, Marci ultimo, *qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Rom. 3. v. 22. *Juſtitia Dei per fidem Jeſu Chriſti omnes & ſuper omnes qui credunt in eum.* Quaſi propter generales illas promiſſiones poſſit quivis credere certo ſe infallibiliter habiturum vitam æternam.

Hæc, inquam, reſponſio omnino frivola eſt ac plena ſuperbiæ & periculi, ſiquidem conſtat præfata Scripturæ loca de credentibus ut oportet, eſſe intelligenda, non de credentibus & Dei nomen qualitercunque invocantibus, uti manifeſte colligitur ex aliis teſtimoniis, Math. 11. *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; ſed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum.* Quis vero ex Hæreticis affirmare audeat ſe credere in Chriſtum ſicut oportet? Quis ſcit an ſit odio vel amore dignus?

Quamobrem contra ſtultam illam Novatorum præſumptionem ſic pronunciavit Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. can. 15. *Si quis dixerit hominem renatum & juſtificatum teneri ex fide ad credendum ſe certo eſſe in numero prædeſtinatorum, anathema ſit.* Et can. 16. *ſi quis magnum illud uſque in finem perſeverantiæ donum ſe certo habiturum abſoluta & infallibili certitudine dixerit, niſi hoc & ſpeciali revelatione didicerit, anathema ſit.* Quæ quidem ſanctæ Synodi ſanctio in iis fundatur Scripturæ locis, ubi docet debere fideles cum metu & tremore operari ſalutem, tum vero ſatagere ut per bona opera certam faciant ſuam vocationem: conſule quæ diximus in brevi noſtro Tractatu de Juſtificatione.

Secunda ratio eſt, quia hoc præcipue fundamento nituntur Hæretici quod triplex ſit fides, ut ſupra diximus, hiſtorica, miraculorum & promiſſionum; ut inde aſtruant ſolam fidem promiſſionum eſſe veram ac proprie dictam fidem, chriſtianam, juſtificantem, & ad ſalutem neceſſariam. Sed iſtud fundamentum eſt aperte falſum ex Scripturis: Nam ex Apoſtolo Epiſt. ad Hebræos conſtat eandem eſſe fidem quæ eſt hiſtorica, miraculorum & promiſſionum. Cap. 10. poſtquam dixit juſtum vivere ex fide, *Juſtus autem meus ex fide vivit*, immediate ſubjunxit initio capitis 11. v. 1. *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium*, verſ. 3. *Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei.* verſ. 6. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo, credere enim oportet accedentem ad Deum quia eſt & inquirentibus ſe remunerator ſit.* verſ. 13. *Juxta fidem defuncti ſunt omnes iſti non acceptis repromiſſionibus, ſed a longe eas aſpicientes, &c.* Ubi manifeſtum eſt S. Paulum eidem fidei tribuere, quod per illam credamus exiſtentiam Dei & futuras Dei repromiſſiones, quod ex æquo reſpicit dogmata & futuram ſalutem, adeoque probat fidem hiſtoricam quæ verſatur circa dogmata, eſſe proprio nomine fidem chriſtianam.

Quibus accedit, quod ſequenti articulo probaturi ſumus, fidem remanere in peccatoribus omni gratia ſanctificante & charitate deſtitutis, unde ſequitur fidem non

eſſe

eſſe poſitam in certa perſuaſione qua unuſquiſque credit infallibiliter ſe eſſe juſtum.

Objicies: Docent paſſim Scripturæ fidem nihil aliud eſſe quam fiduciam. Epheſ. 3. cap. *in quo habemus fiduciam & acceſſum in confidentia per fidem ejus*. Ad Hebræos cap. 3. *Chriſtus vero tanquam Filius in domo ſua, quæ domus ſumus nos, ſi fiduciam & gloriam ſpei uſque ad finem firmam retineamus*. 1. Jo. 3. *Cariſſimi ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum*. Igitur fides in ſpe & fiducia conſiſtit, ita Chamierus cap. 11. libri jam citati.

Nego ant. Neque vero id vel leviter inſinuatur in allatis Scripturæ teſtimoniis, nam in primo legitur quidem fiduciam cum fide ſæpiſſime conjunctam, quod non diffitemur, non autem idem eſſe cum fide ipſa juſtificante; unde ſequitur, ut ſupra obſervavimus, fidem eſſe diſtinctam a fiducia; ſi enim quandoque conjunguntur, certe ex hoc ipſo diſtinguuntur. In duobus aliis locis quæ objiciuntur fit quidem mentio de fiducia, ſed non de fide, eamque non aliud eſſe quam fiduciam in divinas promiſſiones ne minimum quidem verbum.

Quæ porro in hanc noſtram ſententiam objiciunt Hæretici, aut nullam omnino difficultatem continent, aut breviter diluta ſunt in Tractatu de Juſtificatione & merito, eum oſtendimus neminem eſſe certum fide divina de ſua ſalute, fidem proprie dictam eſſe amiſſibilem, nec fidem ſolam ſufficere ad juſtificationem; huc enim tendunt omnes Hæreticorum probationes, quas in præſenti controverſia proponunt.

An detur Fides informis.

Fides chriſtiana quoad præſens inſtitutum duplex diſtinguitur. Una dicitur informis, alia vero formata. Fides informis eſt ea quæ eſt in homine ſine charitate, quod quidem ita dicitur quia charitas reſpicitur velut forma & perfectio fidei. Fides formata eſt fides juncta charitati. Et quæritur utrum ea ſit fidei natura, quod ſeparari non poſſit a charitate, adeoque non detur fides informis; & ita non remaneat fides ſecundum id quod ipſi eſſentiale eſt in ratione fidei in iis peccatoribus qui per aliquod peccatum mortale admiſſum amiſerunt chatatem.

Docuit Calvinus lib. 3. inſt. c. 2. ſupra citato, talem eſſe fidem quam appellat veram, chriſtianam, juſtificantem, & præter quam alia nulla datur, ut fruſta quæratur in eo qui charitatem non haber. *Fidelis non eſt*, inquit, *niſi qui ſuæ ſalutis ſecuritati innixus diabolo & morti confidenter inſultet, quomodo ex præclaro illo Pauli epiphonemate docemur. Confiſus ſum*, inquit, *quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque poteſtates, neque præſentia, neque futura poterunt nos a charitate Dei divellere qua nos complectitur in Chriſto Jeſu*.

Idem clarius docet Chamierus parte 3. lib. 12. c. 10. *Catholici*, inquit ſic appellans Calviniſtas, *pro certo habent non poſſe ſeparari fidem veram ab operibus bonis. At Papiſtæ fidem diſtinxerunt informatam & informem: illam definiunt quæ ſit cum charitate & bonis operibus, at hanc quæ ſit in aliquo ſine charitate*. Quam doctrinam totis viribus impugnat, quia, inquit, vera fides non poteſt eſſe abſque confeſſione & amore Chriſti, quia credere eſt venire ad Chriſtum, quia demum non omnes qui ſunt in Eccleſia habent fidem veram ſed illam tantum quæ in aſſenſu hiſtorico poſita eſt.

Non deſunt tum inter Heterodoxos recentiores, tum & inter Catholicos qui affirment ſinceram non eſſe hanc controverſiam ſed meram altercationem de nomine: Sed quia cum dicunt Proteſtantes ſolam fidem charitate formatam, eſſe veram fidem, loquuntur de fide perfecta & perfecte juſticante, quod neutiquam negant Catholici qui fatentur fidem in aſſenſu intellectus poſitam non juſti-

juſtificare ſolam ſine charitate & bonis operibus.

Sed ut dicam quod res eſt, non eſt hic mera quæſtio de nomine, apertum eſt enim Hæreticos nullam fidem agnoſcere quæ ſit charitate deſtituta, quam quidem doctrinam ex alia in præcedenti articulo impugnata eruunt, qua nempe contendunt fidem nihil aliud eſſe quam fiduciam miſericordiæ Dei quæ cum mala conſcientia cohærere non poteſt; unde inferunt charitatem numquam ſine fide amitti, quapropter in eos ſit

Conclusio.

Datur vera fides ſine charitate.

Probatur 1. ex Scripturis, Matth. 7. ait Chriſtus. *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei*. Quaſi nempe dixiſſet, *non omnis qui* me invocat, & qui in me credit, propterea ſalvabitur; Jo. 12. de Judæorum principibus dicitur, *crediderunt in eum, ſed non confitebantur, dilexerunt enim magis gloriam hominum, quam gloriam Dei*.

Inſignis eſt locus e 1. Corinth. 13. ubi ſic habet Apoſtolus, *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum*. Quibus verbis ſimillimum eſt quod ſcribit Jacobus Epiſt. cap. 2. *Quid proderit, fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat, nunquid poteſt fides ſalvare illum?* Igitur fides eſſe poteſt ſine charitate & bonis operibus.

Neque eſt quod dicatur in ejuſmodi locis ſermonem non eſſe de vera fide, hoc quippe unum eſt Hæreticorum ſubterfugium, qua tamen in re aperte hallucinantur, nam fides non vera, nequaquam fides eſt, aiunt autem Scriptores ſacri fidem eſſe ſine bonis operibus & ſine charitate; ſi exiſtimaſſent fidem charitate deſtitutam non eſſe veram fidem, dubio procul dixiſſent ejuſmodi fidem non eſſe niſi larvam fidei, eſſe fidem nomine tenus, ſed dicunt ſolummodo ad ſalutem ſatis non eſſe habere fidem, quia charitas & bona opera ſunt inſuper neceſſaria.

Probatur 2. ex ſanctis Patribus.

S. Ireneus lib. 4. adverſus hæreſes c. 25. manifeſte ſupponit fidem quandoque reperiri ſine charitate, quanquam illa ſit inutilis. *Et Paulus autem, adimpletio inquit, legis dilectio, & omnibus cæteris evacuatis, manere fidem, ſpem, dilectionem, majorem autem eſſe omnium dilectionem. Et neque agnitionem ſine dilectione, quæ eſt erga Deum præſtare aliquid, neque myſteriorum comprehenſionem, neque fidem, neque prophetiam, ſed omnia vacua & fruſtrata eſſe ſine dilectione*.

Item S. Ambroſius in Pſal. 1. ſuper illa verba, *ideo non reſurgent in judicio*, idem docet: *Vides*, inquit, *quia ſurgunt impii & non ſurgunt in judicio juſtorum, quia peccatores etſi non reſurgunt in conſilio juſtorum, reſurgunt tamen in judicio. Unde videntur qui bene crediderunt, & fidem ſuam etiam operibus executi ſunt, ipſi non judicari, ſed ſurgere in conſilio juſtorum; peccatores autem qui non poſſunt inter juſtos ſurgere, ſurgent in judicio. Habes duos ordines. Tertius ſupereſt impiorum, qui quoniam non crediderunt, jam judicati ſunt, & ideo non ſurgunt in judicium, ſed ad pœnam*.

S. Hieronymus ſupponit etiam contingere interdum, ut qui Deum per fidem norunt, ab eo tamen recedant, adeoque fidem habeant ſine charitate, in cap. 32. Jeremiæ. *Qui habet notitiam Dei, & recedit ab eo, ſolus peccat in oculis Dei; qui vero increduli permanſerint, quaſi illo non vidente & negligente delinquunt. Unde & David vir ſanctus quia corruerat in peccatum uxoris Uriæ Betſabeæ agens poſtea pœnitentiam loquitur, tibi ſoli peccavi, &c.*

Omium vero diſertiſſime ſcribit S. Auguſtinus multis in locis; in Pſal. 32. enarrat. 2. *Si fides*, inquit, *ſine dilectione ſit, ſine opere erit. Ne autem multa*

coge-

Digitized by Google

cogites de opere fidei, adde illi ſpem & dilectionem, & noli cogitare quid operaris, lib. 15. de Trinitate cap. 18. *Ipſam fidem non facit utilem niſi charitas, ſine charitate quippe fides poteſt eſſe ſed non prodeſſe*. Quod idem expreſſiſſime docet libro de fide & operibus. Item & S. Gregorius M. lib. 25. moral. c. 18. & alii paſſim Patres ac Theologi, qui quidem omnes ac ſinguli ſentiunt malos perinde ac bonos eſſe in Eccleſia, unde ſequitur fidem interdum ſeparari a charitate.

Probatur 3. ex Concilio Tridentino hanc veritatem aperte definiente ſeſſ. 6. can. 28. his verbis: *Si quis dixerit amiſſa per peccatum gratia ſimul & ſemper fidem amitti, aut fidem quæ remanet non eſſe veram fidem, licet non ſit viva, aut eum, qui fidem ſine charitate habet non eſſe Chriſtianum, anathema ſit*. Ubi hoc apprime notandum eſt quod dicunt Patres Tridentini fidem quæ remanet amiſſa gratia, eſſe veram fidem, licet non ſit viva, qua in re nulla eſt contradictio, quidquid contrarium afferant Hæretici. Homo, inquiunt, non vivus ſeu mortuus, non eſt verus homo: Igitur nec fides mortua cenſeri debet vera fides. Verum par utrobique non eſt ratio, ſi quidem fides remanens in peccatoribus ſine charitate dicitur vera per ſe & quoad ſubſtantiam, eſt enim in peccatore charitatem & gratiam ſanctificantem non habente, verus aſſenſus per quem credit ea omnia quæ a Deo revelata ſunt, quanquam hæc eadem fides ſit mortua defectu ſcilicet charitatis & bonorum operum; quatenus charitas reſpicitur tanquam forma & perfectio aut quaſi vita fidei, tametſi ad ejus eſſentiam non pertineat.

Neque vero appoſita eſt comparatio quam hac in re adhibent Hæretici: non deberet enim inſtitui comparatio inter fidem & hominem mortuum, ſed inter fidem & corpus mortuum, quatenus nempe ſicut corpus mortuum ſeu cadaver non eſt vivum, ſed tamen eſt verum corpus, ita etiam fides ſine operibus mortua, non eſt quidem fides viva, ſed tamen eſt vera fides. Ita enim concludit ſanctus Jacobus a quo deſumpta videtur metaphora quæ huic argumento locum præbet, capite nimirum ſecundo ſuæ Epiſtolæ his verbis: *Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt*.

Probatur demum ratione. Nimirum ſi fides nunquam manet ſine charitate vel ita res ſe habet quia ſtatuit Deus numquam ſeparare fidem a charitate, vel quia revera fides ex natura ſua eſſe non poteſt ſine charitate: ſed neutrum dici poteſt; non primum quia nullo Scripturæ teſtimonio colligi certo poteſt hunc a Deo conſtitutum fuiſſe ordinem; immo contrarium manifeſte liquet ex locis mox adductis. Non ſecundum, quia fides, ſi ſpectetur ejus natura, nihil eſt aliud quam aſſenſus qui datur veritatibus a Deo revelatis propter ipſius Dei revelationem, ſed recte intelligitur ejuſmodi aſſenſum reperiri ſine charitate, poteſt enim quivis alteri credere & ipſum non diligere, tum quia virtus eſt intellectualis, charitas autem eſt in voluntate; tum quia prior eſt charitate, tum denique quia fides fundamentum eſt charitatis, fundamentum autem poteſt exiſtere ſine ædificio, quamvis ædificium non poſſit eſſe ſine fundamento: Igitur fides eſſe poteſt ſine charitate, adeoque datur fides informis.

Objicies cum Calvino: Ex Apoſtolo fides eſt potius cordis affectus quam quædam intellectus aſſenſio, juxta illud Rom. 10. cap. *Corde creditur ad juſtitiam*, unde ille Hæreſiarcha, *ſi expenderent hunc locum, intelligerent aſſenſionem ipſam fidei, affectus eſſe magis quam intelligentiæ, cordis quam cerebri*. Igitur fides ſeparari non poteſt a charitate.

Nego ant. Ex illo enim Apoſtoli teſtimonio inferri tantum poteſt charitatem, ſi tamen charitas intelligatur per illa verba *corde creditur, &c.* requiri ad juſtitiam comparandam, quod utique confitemur, ſed ſi hæc verba deſignant tantum

tum

Digitized by Google

tum piam quandam voluntatis motionem, quam dicemus neceſſariam eſſe ad fidem; certe ejuſmodi voluntatis affectio non eſt ipſa charitas, & reperitur in peccatoribus.

Objicies: Extant in Scripturis teſtimonia prope innumera in quibus affirmatur charitatem cum fide ſemper conjunctam. Habacuc. 2. *Juſtus ex fide vivit*, 1. ad Timoth. 5. cap. *Si quis ſuorum & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior*. Ad Titum, 1. cap. *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant, cum ſint abominati & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi*. 1. Joan. 2. c. *Et in hoc ſcimus quoniam cognovimus eum, ſi mandata ejus obſervemus. Qui dicit ſe noſſe eum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt*. Jacobi 2. *Sic & fides ſi non habeat operam, mortua eſt in ſemetipſa*.

Quomodo etiam loquuntur SS. Patres, Clemens Alex. lib. 2. Stromatum. *Charitas*, inquit, *amore in fidem fideles facit, fides charitatis fundamentum eſt viciſſim bonam operationem proferens*. S. Auguſtinus in Epiſt. Joan. tract. 10. *Quis eſt qui non credit quod Jeſus ſit Chriſtus? Qui non ſic vivit quomodo præcepit Chriſtus; multi enim dicunt, Credo, ſed fides ſine operibus non ſalvat*. Lib. de fide & operibus cap. 16. *Aperte dictum eſt, fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus. Si autem Chriſtus, procul dubio fides Chriſti, per fidem quippe habitat Chriſtus in cordibus noſtris; ſicut Apoſtolus dicit, porro fides Chriſti illa utique quam definivit Apoſtolus quæ per dilectionem operatur*.

Idem docet S. Gregorius Mag. Homil. 29. in Evangel. *Fortaſſe*, inquit, *unuſquiſque apud ſemetipſum dicat, Ego jam credidi, ſalvus ero. Verum dicit ſi fidem operibus tenet, vera etenim fides eſt, quæ in hoc quod verbis dicit, moribus non contradicit*.

Item Salvianus de providentia lib. 3. *Quid eſt*, inquit, *credulitas vel fides? Opinor fideliter hominem Chriſto credere, id eſt, fidelem Deo eſſe, fideliter Dei mandata ſervare*. Et lib. 4. *Cum, ut diximus, hoc ſit hominis chriſtiani fides, fideliter Chriſti mandata ſervare, ſic abſque dubio et nec fidem habeat qui infidelis eſt, nec Chriſtum credat qui Chriſti mandata conculcat*. Igitur fides vera ſeparari non poteſt a charitate.

Reſpondeo ex his aliiſque ſimilibus tum Scripturæ tum SS. Patrum teſtimoniis colligi ſolummodo poſſe, hominem juſtificari per fidem charitate formatam, juſtum ex fide illa cum bonis operibus & dilectione Dei conjunctam vivere: Denique ſatis non eſſe homini chriſtiano quod fidem habeat, niſi mandata Dei obſervet, & bonum operetur, ejuſmodi fidem ſine operibus eſſe mortuam. Sed non inferendum eſſe propterea nullam dari fidem ſine charitate & bonis operibus, hoc enim nec leviter inſinuant præfata hæc loca quæ in medium proferunt Calviniſtæ: & contrarium manifeſte legitur in ſelectis quibuſdam teſtimoniis quæ a nobis ſuperius allegata ſunt.

Quod autem nonnulli e ſanctis Patribus clarius loquantur, ita ut nullam videantur agnoſcere fidem ubi non eſt charitas, quommodo differit S. Hieronymus in cap. 5. Epiſt. ad Galatas, his verbis, *Cum dilectio procul abſuerit, & fides pariter aſcendit*, & Proœmio in lamentationes Jeremiæ dicens *nudari etiam fide animam fidelem, cum a Deo recedit per peccatum*. Certe his loquendi modis ſignificant dumtaxat Patres fidem ſine charitate non eſſe vivam & perfectam qualis eſſe deberet, atque ita homini prorſus inutilem in ordine ad ſalutem conſequendam perinde ac ſi nullam haberet; quo ſenſu teſtatur Apoſtolus Chriſtianum qui eam fidem haberet qua montes transferret, neque tamen haberet charitatem, factum eſſe velut æs ſonans & cymbalum tinniens.

Inſtabis ex ſancto Auguſtino lib. de gratia Chriſti cap. 21. non poteſt haberi

pia

Digitized by Google

pia voluntatis affectio ſine charitate : *quaſi vero*, inquit, *aliud ſit bona voluntas quam charitas*. Sed nulla eſt fides ſine pia voluntatis actione, nemo enim adduci poteſt ad credendum quin per gratiam pie determinetur : igitur nulla eſt fides ſine charitate.

Diſt. maj. Bona voluntas eſt charitas vel inchoata vel perfecta, C. Semper charitas perfecta, quo ſenſu proprie ſumitur charitas quæ eſt virtus Theologica, N. Revera omnis charitas eſt bona voluntas, ſed omnia bona voluntas non eſt charitas ſaltem ſi charitas ſumatur proprie pro virtute Theologica; nam in iis qui credere & accedere ad Deum incipiunt, reperitur quidem bona voluntas, volunt enim pia quadam voluntatis affectione erga Deum captivare ſuum intellectum & credere quæcumque revelavit Deus; ſed nondum reperitur charitas quæ fidei complementum eſt, ut docet idem S. Auguſtinus Epiſt. 145. *Lex igitur*, inquit, *adduxit ad fidem*, *fides impetrat ſpiritum largiorem*, *diffundit ſpiritus charitatem*, *implet charitas legem*.

Hinc facile intelligitur, quod dicunt adverſarii fidem neceſſario pendere a voluntate ſeu pio voluntatis affectu, adeoque a charitate, ita ut ſine illa eſſe non poſſit. Reſpondemus enim fidem pendere quidem a voluntate credendi, ſed non pendere ab amore Dei ſuper omnia ſeu charitate.

Objicies : Communis eſt Theologorum ſententia, omnes virtutes amitti amiſſa gratia, ſaltem eas omnes quæ neceſſario pendent a voluntate : igitur fides amittitur amiſſa gratia, ſaltem fides quoad habitum; unde licet actus credendi poſſit eſſe ſine actu amoris Dei & charitatis, tamen habitus infuſus fidei non poteſt eſſe ſine charitate, adeoque amittitur amiſſa per peccatum charitate.

Diſt. ant. omnes virtutes morales, C. omnes virtutes intellectuales, qualis eſt fides Theologica, N. Nec movor quod habitus fidei ſecum importet neceſſario habitum quemdam voluntatis, qui principium eſt piæ motionis qua credimus; certum eſt enim ejuſmodi habitum non amitti amiſſa gratia, ſed remanere in peccatore, qui dubio procul nonnulla voluntatis affectione movetur ad credendum, tametſi mandata Dei non ſervet.

Non deſunt revera inter Theologos qui dicant affectum credendi ab ipſa ipſa charitate manare; vel ſaltem ab aliqua alia virtute morali quæ cum gratia ſanctificante amittitur; verum ex altera parte putant in peccatore qui gratiam amiſit, remanere fidei ſubſtantiam, quæ juxta illos Theologos in habitu aſſenſionis quæ eſt intellectus, poſita eſt.

Ex quibus ſequitur per ſolam infidelitatem amitti fidem, quia ſcilicet nullum ex aliis peccatis ſpecialem habet cum fide oppoſitionem; unde certo videmus experimento chriſtianos in moribus ſuis perditiſſimos, homicidas, fures, adulteros, aliosque id genus, tamen in fide catholica eſſe firmiſſimos, omnemque hæreſim abhorrere; quo fit ut nunquam juxta communem Eccleſiæ uſum cum infidelibus confundantur, ſed tanquam fideles & catholici habeantur.

Cæterum fides illa informis quam diximus remanere in peccatoribus ſine charitate, eſt virtus, quia eſt habitus bonus qui opponitur infidelitati, errori, hæreſi, quanquam S. Auguſtinus dicat paſſim contra Julianum non eſſe veram virtutem, ubi non eſt charitas; loquitur enim ſanctus Doctor de virtute perfecta, non de ſimpliciter.

Dehinc fides illa informis donum Dei eſt, Joan. 6. *Hoc eſt opus Dei ut credatis in eum quem miſit ille*. Epheſ. 2. *gratia eſtis ſalvati per fidem*, *& hoc non ex vobis*, *Dei enim donum eſt*. Si ſermo ſit de fide habituali, habitus eſt a Deo

a Deo infuſus, qui nullo ſtudio, nullo labore comparari poteſt. Si agatur de actu fidei, certum eſt neminem actu credere poſſe ſine gratia: quandoquidem initium fidei non eſt a nobis, ſed a Deo, uti fuſe oſtendimus in Tractatu de Gratia; cui doctrinæ favet aperte Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. can. 3. ubi pronunciat *anathema ei qui dixerit ſine præveniente Spiritus ſancti inſpiratione atque adjutorio hominem credere poſſe, ſicut oportet*. Quibus verbis *ſicut oportet*, non excluditur fides informis, nam hæc verba adjecta ſunt duntaxat a Patribus Tridentinis, ut ſignificarent ibi ſermonem eſſe de fide chriſtiana, non de quocunque aſſenſu humano vel etiam probabili.

De Objecto Fidei.

OBjectum fidei uti & cujuſcunque alterius habitus duplex diſtinguitur, materiale & formale. Objectum materiale fidei eſt illud circa quod verſatur fides, eſt illud quod creditur per fidem. Objectum formale eſt ratio ſub qua objectum materiale fidei attingitur a fide. Aliter dicitur motivum aſſentiendi, motivum propter quod rebus creditis per fidem præbetur aſſenſus. De utroque objecto nunc agendum eſt.

De Objecto materiali Fidei.

CIrca objectum materiale fidei hæc veniunt in controverſiam apud Theologos.

Quæritur 1. quodnam ſit objectum materiale fidei.

2. An objectum fidei debeat eſſe ſimplex vel complexum.

3. An objectum fidei abſolute & neceſſario debeat eſſe obſcurum.

4. Utrum objectum fidei ſit ſemper verum.

Quodnam ſit Objectum materiale Fidei.

MIrum eſt quantum laborent pleriquе Theologi in aſſignando fidei divinæ objecto: ſtupenda illorum pugna in re tam facili & cuilibet ad nudam & ſimplicem terminorum intelligentiam attendenti facile obvia. Quidam dicunt objectum fidei eſſe actum meritorium, quatenus omnia quæ in Scriptura traduntur, ordinantur ad meritum gloriæ in hac vita obtinendum. Volunt alii ſolum Deum eſſe objectum fidei, & ex iſtis quidam contendunt Deum eſſe objectum fidei ſub ratione Deitatis tantum, alii hoc aſſerunt de Deo ſub ratione Salvatoris aut Glorificatoris. Sunt qui docent objectum fidei eſſe quodlibet ens a Deo revelabile, ex iſtis aliqui addunt obſcura revelatione quod non addunt alii, quid ſuper ea re ſentiamus facile aperiemus.

CONCLUSIO.

Objectum materiale fidei ſunt veritates omnes a Deo revelatæ.

Probatur quia illud eſt objectum materiale fidei circa quod verſatur fides, quod creditur per fidem divinam: ſed fides divina verſatur circa veritates omnes a Deo revelatas: neque enim quicquam eſſe poteſt de fide divina quod non fuerit a Deo pronunciatum & revelatum, & aliunde nulla eſt veritas a Deo revelata hominibus quæ non pertineat ad fidem; actum fidei divinæ elicere, eſt credere Deo dicenti & revelanti, quemadmodum elicere actum fidei humanæ, eſt credere homini revelanti, loquenti, ut ſimplex fidei notio aperte monſtrat. Igitur objectum materiale fidei divinæ ſunt veritates omnes a Deo revelatæ.

Hæ porro veritates a Deo revelatæ quæ objectum materiale fidei conſtituunt,

Digitized by Google

tuunt, continentur ſingulæ in verbo Dei ſcripto & tradito; præter quod utrumque nullum eſt verbum Dei, unde duo fidei divinæ capita dicuntur vulgo Scriptura ſacra & traditio divina. Unde etiam ſequitur jam in novo Teſtamento nihil contineri intra fidei divinæ objectum, quod non fuerit a Chriſto, vel ab ſacris Scriptoribus inſpiratis prolatum, ita ut ſi quædam credendæ proponuntur veritates, quæ fuerint ab Eccleſia determinatæ, & aliunde conſtet illas non fuiſſe a Chriſto aut divinis Scriptoribus pronunciatas, poterunt pertinere ad fidem humanam, ſed non ad fidem divinam.

Scilicet, ut fuſius ſuo loco poſtea dicetur, veritates determinatæ ab Eccleſia duplicis ſunt generis, quædam ita determinantur ab Eccleſia, ut tamen ipſæ contineantur in verbo Dei vel ſcripto vel tradito ſaltem implicite, quo fit ut illæ veritates credantur fide divina, ſic v. g. Filium Dei eſſe conſubſtantialem Patri æterno, definitum fuit in Concilio Nicæno, pertinet tamen ad fidem divinam, quia eſt veritas contenta in Scripturis. Sed ſi definiantur ab Eccleſia veritates quæ hujus ſint conditionis, ut certo non ſint contentæ in verbo Dei tum ſcripto tum tradito, ejuſmodi veritates poſſunt quidem pertinere ad fidem humanam, ut ajunt, Eccleſiaſticam; vel etiam ad fidem catholicam, quatenus univerſam reſpiciunt Eccleſiam, iiſque aſſenſus interior debetur ab omnibus fidelibus; ſed non poſſunt credi fide divina, quia non ſunt veritates a Deo revelatæ, cujusmodi eſt v. gr. hæc propoſitio, Concilium Tridentinum eſt generale, hæc enim propoſitio nunquam fuit a Deo revelata.

Ex noſtra porro concluſione, qua dicimus objectum fidei eſſe veritates omnes a Deo revelatas, ſequitur manifeſte objectum fidei non eſſe ſolum Deum, adeoque fruſtra litigare inter ſe Theologos, utrum id magis proprie dicatur de Deo ratione ſuæ Deitatis, vel de Deo Salvatore; certum eſt enim non modo fidem noſtram verſari circa Deum, ſed etiam circa multa alia præter Deum, nimirum circa Incarnationem, peccatum originale, Sacramenta & alia id genus.

Verum quidem eſt præcipuum fidei objectum eſſe Deum, tum ratione dignitatis, quia, ut per ſe patet, Deus eſt ens omnium perfectiſſimum; tum ratione neceſſitatis, quia primus fidei noſtræ articulus eſt ille Symboli *Credo in Deum*; ſed non niſi abſurde propterea dicitur ſolum Deum eſſe objectum fidei.

Unde S. Auguſtinus Enchiridio c. 8. hæc ſcribit, *Eſt itaque fides & bonarum rerum & malarum, quia & bona creduntur & mala, & hoc fide bona non mala. Eſt etiam fides & præteritarum rerum & præſentium & futurarum.* Quibus verbis nihil expreſſius deſiderari poteſt ſuper iſto negotio.

Hinc etiam ſequitur perperam a nonnullis aſſeri objectum materiale fidei eſſe omne & quodlibet a Deo revelabile. Siquidem hoc ſolum modo eſt fidei noſtræ objectum, quod ab Eccleſia proponitur credendum: ſed Eccleſia credendum fidelibus non proponit omne & quodlibet a Deo revelabile, ſed tantum proponit veritates a Deo revelatas, quæ continentur in verbo Dei ſcripto & tradito: igitur objectum fidei divinæ non eſt omne revelabile.

Denique hinc manifeſtum eſt objectum fidei non eſſe actum meritorium; certe qui hanc ſententiam propugnant hoc ſcilicet momento, quod quæ in Scriptura traduntur ordinantur ad meritum gloriæ in hac vita obtinendum, objectum confundunt cum fine; ex eo quod enim omnia ordinentur ad gloriam immo ad Deum, non inde ſequitur gloriam vel Deum, eſſe objectum fidei, ſed ſolummodo ejus eſſe finem;

Digitized by Google

finis enim eſt illud propter quod aliquid fit, objectum autem habitus eſt illud circa quod verſatur ille habitus.

Objicies: vel ſolus Deus eſt objectum fidei, vel fides non eſt virtus Theologica; ſed ex conſenſu omnium fides eſt virtus Theologica, quæ virtus ſic dicitur quod Deum habet pro objecto: igitur.

Nego maj. ut enim fides ſit virtus Theologica, ſatis eſt ſi Deum habeat pro objecto immediato primario, ſatis eſt quod per ſe & primario circa Deum occupetur: ſed fides per ſe & primario eſt de Deo uno, trino & incarnato, hæc ſunt enim præcipua fidei divinæ objecta: igitur fides merito cenſetur virtus Theologica, tametſi habeat pro objecto non ſolum Deum, ſed & inſuper veritates omnes a Deo revelatas.

An Objectum Fidei ſit aliquid ſimplex vel complexum.

HAnc quæſtionem, quæ meo quidem judicio nullius momenti eſt, omnino prætermiſiſſem, niſi mos eſſet apud omnes Theologos, præeunte S. Thoma, diligenter eam excutere.

Quæſtio eſt, utrum objectum fidei ſit complexum quid vel incomplexum per modum enunciabilis, teſtantur plerique Theologi hoc eſſe Gregorii Ariminenſis commentum, aliqua eſſe complexe ſignificabilia quæ vere ſint a parte rei, & tamen neque ſint ſubſtantia neque modus ſe habendi ſubſtantiæ, quia, inquiunt, dantur enunciabilia complexe non aliter diſtincte ſignificabilia quam complexe verbaliter, id eſt, per aliquam propoſitionem, quæ nulla ſunt entitas incomplexa, nulla ſcilicet ſubſtantia, nullus modus. Et hæc ſunt complexa quæ in illorum mente ſunt objecta fidei noſtræ, cum ea ſint objecta adæquata omnium propoſitionum.

Hanc ſuam ſententiam probant variis momentis. 1. Quia hoc idem ſentiunt omnes Philoſophi, quando affirmant poſt Ariſtotelem objecta ſcientiarum eſſe neceſſaria, æterna, ingenita, & eſſe vera ſive res exiſtant ſive non exiſtant. 2. Quia objectum adæquatum alicujus propoſitionis non eſt tantum id de quo aliquid enunciatur, ſed illud totum complexum quod per propoſitionem ſignificatur. 3. Quando unum poteſt exiſtere alio non exiſtente, certum eſt ea non eſſe unum & idem: ſed ſi v. g. mundus non eſſet duraturus, tota entitas quæ nunc exiſtit, exiſteret: Et tamen objectum hujus propoſitionis, *mundus eſt duraturus*, non exiſteret: ergo illa propoſitio quæ illa aſſerit, eſt vera. Cæteras ejuſmodi ratiocinationes referre piget nedum refellere.

Omiſſis itaque his abſurdis ac Theologo plane indignis diſputationibus, quærenti, utrum objectum fidei ſit aliquid ſimplex vel complexum, hoc ſolum mihi videtur reſpondendum, objectum fidei aliquando eſſe ſimplex, & aliquando eſſe complexum. Scilicet, ut diximus, objectum fidei ſunt res a Deo revelatæ, ſunt res creditæ; liquet autem manifeſte inter ea quæ a Deo revelata ſunt, quædam eſſe maxime ſimplicia, qualis eſt Deus; alia eſſe complexa, qualis eſt Eccleſia.

Sed quia ſermonem hic haberi volunt illi Theologi non de complexo vel ſimplici phyſice, ſed de complexo vel incomplexo logice per modum enunciabilis, duo hæc dicimus.

Primum eſt, objectum fidei proprie loquendo non eſſe res ſimplices aut ſimplicia vocabula, ſed enunciationes vel potius res per enunciationes ſignificatas; credimus enim per fidem non Deum ſimpliciter ſed eſſe trinum, vel incarnatum, & ita de quolibet fidei objecto quod non voce ſimplici ſed enunciatione ſignificatur; deinde fides eſt aſſenſus qui præbetur veritati cuidam, aſſenſus au-

autem non eſt ſimplex apprehenſio, ſed judicium duo per apprehenſionem cognita conjungens.

Alterum vero eſt, præfatam illam opinionem de complexo enunciabili quod eſt fidei noſtræ objectum, eſſe omnino abſurdam ac plane intelligibilem, ſi hæc complexa enunciabilia ſupponantur, uti cenſent, a rebus ipſis a Deo revelatis diſtincta; ſequeretur enim res ipſas non eſſe fidei noſtræ objectum quod poſitum eſſet in meris entibus rationis.

Hac poſita ſententia quando profitemur in Symbolo nos credere Eccleſiam Catholicam, carnis reſurrectionem, vitam æternam, &c. res iſtæ non eſſent fidei noſtræ objectum, non crederemus Eccleſiam, reſurrectionem, vitam æternam, uti nec Deum trinum nec Incarnationem nec alia myſteria, ſed tantum illa complexe ſignificabilia ab ipſis rebus diſtincta, id eſt, propoſitiones, non res ipſas in propoſitionibus enunciatas, quod nemo non percipit abſurdiſſimum eſſe.

Scilicet propoſitiones ad fidem noſtram pertinentes duplicis ſunt generis, aliæ affirmantes, ut Deus eſt trinus in perſonis; aliæ negantes, ut iſta, mundus non eſt ab æterno; ſed omnes utriuſque generis propoſitiones non ſunt illa complexe ſignificabilia; in illis enim propoſitionibus duo tantum diſtingui poſſunt, res nimirum ſignificatæ per voces, & voces quibus exprimuntur res, aliud quid admitti nequit ſine figmento. Sed voces non ſunt objectum fidei noſtræ quæ nimirum non ſunt a Deo revelatæ, ſed a grammatica vel ab uſu communi inſtitutæ; ſupereſt igitur ut ſolæ res dicantur objectum fidei.

Certe quod ſpectat propoſitiones affirmantes quæ ad fidem noſtram pertinent, illud eſt objectum adæquatum propoſitionum fidei affirmantium, quo poſito hæ propoſitiones ſunt veræ, quo ſublato ſunt falſæ: ſed poſitis rebus quæ per propoſitiones affirmantes enunciantur, ejuſmodi propoſitiones veræ ſunt; nam poſito Deo & tribus perſonis divinis revera exiſtentibus, hæc propoſitio, Deus eſt trinus in perſonis, eſt vera, quæ quidem falſa eſſet, ſi revera non eſſent in uno Deo tres perſonæ: igitur objectum propoſitionum affirmantium fidei, ſunt res ipſæ per propoſitiones enunciatæ.

Et ſimiliter id manifeſtum eſt de propoſitionibus negantibus; illud enim eſt objectum propoſitionis negantis, quo ſublato propoſitio negans eſt vera: ſed ſublata re per propoſitionem negantem ejuſmodi propoſitio eſt vera, dummodo enim v. g. Chriſtus ſit Deus & non ſit purus homo, hæc propoſitio negans, Chriſtus non eſt purus homo, eſt vera: igitur objectum cujuſcunque propoſitionis fidei in rebus ipſis poſitum eſt, non autem in illo fictitio complexe enuntiabili ab ipſis rebus diſtincto.

Utrum objectum Fidei divinæ debeat eſſe obſcurum & inevidens.

QUæſtionem iſtam nonnihil attigimus in primo hujus operis volumine, cum oſtendimus exiſtentiam Dei pertinere ad fidem, quantumvis ratione naturali demonſtretur. Tractatur etiam apud Philoſophos qui diſputare ſolent, utrum fides & ſcientia ſtare ſimul poſſint in uno eodemque intellectu circa idem objectum quod ut hic, ſuo nimirum loco fuſius & clarius a nobis diſcutiatur.

Notandum 1. evidens eſſe illud quod clare videri poteſt, vel ſenſu vel intellectu ſine beneficio cujuſcumque revelationis: evidens eſt v. g. color vel quantitas alicujus corporis, quia utrumque ſenſibus viſu & actu clare percipitur. Item evidens eſt animam rationalem hominis eſſe immortalem, quia hujus immortalitas clare ab intellectu infertur ex variis hominis operationibus. Unde per oppoſitionem inevidens & obſcurum dici-

dicitur, quod nec ſenſibus nec mente percipi poteſt, ſed ſolum per revelationem Dei, qualis eſt Trinitas perſonarum in Deo, quæ nullo ſenſu nulloque ratiocinio detegi poteſt.

Notandum 2. quæſtionem eſſe de objecto materiali fidei, hoc eſt, de re ipſa credita, de rebus a Deo revelatis, non de ipſa revelatione ſumpta ex parte Dei revelantis; oſtendemus enim infra, claram eſſe & evidentem revelationem eorum omnium quæ per fidem divinam credimus, hoc eſt clarum eſſe Deum revelaſſe omnia quæ nobis credenda proponuntur, tametſi obſcura in ſe & inevidentia remaneant pleraque illa fidei noſtræ objecta.

Dehinc non poſſum non reprehendere modum quo quæſtionem iſtam proponere ſolent plerique Theologi, quærunt enim utrum objectum fidei quatenus eſt objectum fidei, quatenus tale, quatenus per fidem attingitur, ſit aliquid obſcurum & inevidens; quo quidem ſic propoſito, nonnulli inter illos etiam qui merito putant eandem veritatem cognoſci poſſe per ſcientiam, & credi per fidem, dicunt tamen objectum fidei eſſentialiter eſſe aliquid obſcurum, quia inquiunt id quod per fidem creditur inevidens eſt quatenus creditur, lectorem ſuper ea re monitum velim, quia hac in parte deceptos video multos Theologos.

Certe ſi multæ ſunt veritates de fide, quæ tamen clare vel per ſenſus vel per demonſtrationes innoteſcunt, non video quomodo affirmare poſſint illi Theologi ejuſmodi veritates eſſe obſcuras quatenus per fidem creduntur; abſurdum eſt v. g. dicere exiſtentiam Dei quam habemus clare & evidenter notam ante quemlibet fidei actum, obſcuram eſſe & inevidentem quatenus creditur; in illa enim reduplicatione, quatenus creditur, nihil aliud includitur quam aſſenſus qui præbetur veritati creditæ: ſed talis aſſenſus non efficit formaliter eandem veritatem eſſe obſcuram & inevidentem; aſſenſus enim ille eſt actus judicii, quo creditur firmiter rem creditam eſſe veram, abſtrahendo ab eo quod illa veritas ſit clara vel obſcura; an ſit clara vel obſcura non eſt judicandum ex ipſo aſſenſu, ſed ex prævia ejuſdem veritatis cognitione, ut per ſe patet. Quamobrem qui credit Deum eſſe trinum in perſonis, elicit actum fidei de objecto obſcuro: qui autem credit Deum exiſtere, elicit actum fidei de objecto evidenti, quia nimirum nulla ratione naturali prævia innoteſcere poteſt Deum eſſe trinum, illum autem exiſtere ratione naturali demonſtratur.

Quæ cum ita ſint, plane non intelligo quid ſibi velit Eſtius, cum in 3. diſt. 24. §. 2. docet fidem eſſe neceſſario de obſcuris: *Verſatur*, inquit, *fides Theologica tantummodo circa ea quæ non videntur, id eſt circa ea quæ non ejuſmodi ſunt, ut vel intellectum vel ſenſum noſtrum per ſe ipſa moveant ad ſui cognitionem*. Et poſtea, *ſicut fides non eſt eorum quæ videntur, ita nec eorum quæ ſciuntur, id eſt, demonſtrative cognoſcuntur*. Et in capite ſequenti contrarium manifeſte ſcribit his verbis, *imo Doctores Theologi paſſim ſic loquuntur, ut quaſdam propoſitiones ſtatuant eſſe de fide, ac nihilominus doceant eas evidenter notas eſſe per demonſtrationem, velut iſtas, animam eſſe immortalem, in homine eſſe liberum arbitrium, unum eſſe Deum &c.* in hanc profecto contradictionem impegit Eſtius hac deceptus loquendi ratione qua dicere ſolent plerique objectum fidei quod creditur, eſſe obſcurum quatenus creditur; quantumvis aliunde ſit evidens & clare cognitum.

Quæſtio eſt igitur, utrum inevidentia & obſcuritas ita pertineat ad objectum fidei, ut per fidem credi non poſſit objectum clare & evidenter aliunde & per ſcientiam cognitum; quod quidem ita eſſet, ſi quis v. g. per actum ſcientiæ notam habens exiſtentiam Dei, de eadem exiſtentia eliceret actum fidei, quo plane

Digitized by Google

plane modo ſolent vulgo Theologi ac præſertim Thomiſtæ hanc quæſtionem intelligere ac proponere ; ſic enim Conetus diſp. 1. de objecto fidei art. 5. ſuam ponit aſſertionem, *Dico tertio, obſcuritas ex parte ſubjecti conſiſtens in eo quod ſubjectum fidei per nullum alium actum videat veritatem creditam, eſt conditio eſſentialiter requiſita ex parte ſubjecti ad actum fidei. Hæc concluſio conſtabit ex dicendis art. ſequenti, ubi oſtendemus fidem & ſcientiam non poſſe eſſe ſimul reſpectu ejuſdem veritatis*. Quam ſententiam, quæ ſecum trahit conſequentias manifeſte erroneas, mox ſumus oppugnaturi.

Mirari ſatis nequeo quomodo eandem hanc ſententiam amplexus fuerit D. Thomas conſequenter docens quod potiſſimum ex iſta doctrina ſequitur, exiſtentiam Dei non eſſe de fide pro viris doctis & Philoſophis: is enim 2. 2. q. 1. art. 4. aſſerit, id quod videtur non eſſe objectum fidei, & articulo ſequenti, non poſſe fidem & ſcientiam eſſe de eodem, ubi cum loco objectionis ſibi propoſuiſſet quædam in fide contineri quæ ſunt demonſtrative probata a Philoſophis, ſicut Deum eſſe, & Deum eſſe unum, & alia hujuſmodi, reſpondet ea quæ demonſtrative poſſunt probari, inter credenda numerari, non quia de ipſis ſimpliciter ſit fides apud omnes, ſed quia præexiguntur ad ea quæ ſunt fidei, magiſtrum ſuum hac in parte ſecuti ſunt ejus diſcipuli, in quos ſit

CONCLUSIO.

Objectum fidei non debet neceſſario eſſe aliquid obſcurum & inevidens.

Probatur 1. hac ratione fundamentali: Objectum fidei non debet ſemper eſſe obſcurum quid & inevidens, ſi multæ ſint veritates ſenſu vel intellectu clare & evidenter cognitæ, quæ ad fidem divinam, ad fidem catholicam pertineant; atqui multæ ſunt veritates ſenſu vel intellectu clare & evidenter cognitæ quæ ad fidem divinam & catholicam pertinent tanquam ejus verum ac legitimum objectum: ſi quidem objectum fidei eſt illud omne quod eſt a Deo revelatum, quodque tanquam credendum ab Eccleſia proponitur omnibus fidelibus: ſed multæ ſunt veritates clare & evidenter cognitæ vel beneficio ſenſuum vel per demonſtrationes philoſophicas, & quæ tamen ſunt a Deo revelatæ, & credendæ omnibus fidelibus præcipiuntur ab Eccleſia.

1. Multæ ſunt veritates a Deo revelatæ quæ & ſenſibus & mente evidenter cognitæ ſunt: Namque juxta communem omnium Theologorum ſententiam a Deo revelatum cenſetur id omne quod continetur in Scripturis ſacris, hæc omnis doctrina a Deo inſpirata dicitur, & nemo vel minimam ejus partem negare poſſet citra manifeſtam hæreſim; unde ſequitur omnem penitus veritatem in hoc libro contentam, ſeu ſit hiſtorica, ſeu chronologica, ſeu dogmatica, eſſe de fide. Sed inter illas veritates quam multæ ſunt per ſe & ſenſibus & intellectui evidentes, qualia ſunt facta hiſtorica, genealogiæ Patriarcharum & Regum Iſrael, ædificatio templi Jeruſalem, exiſtentia ſolis, lunæ, terræ & maris, aliaque id genus, quæ quidem talia eſſe qualia leguntur in Scripturis ſacris fide catholica tenendum eſt, igitur multæ ſunt veritates clare & evidenter cognitæ, & quæ tamen ſunt de fide.

2. Et nonnulla omnibus fidelibus credenda præcipiuntur ab Eccleſia, quæ tamen per ſcientiam & demonſtrationem conſtare poſſunt & plerique etiam conſtant, ejuſmodi eſt exiſtentia Dei ejuſque unitas, Deuteron. 6. cap. *Hæc ſunt præcepta quæ mandavit Dominus Deus veſter ut docerem vos*, inquit Moyſes, *Audi Iſrael, Dominus Deus noſter, Dominus unus eſt*. Quod tamen per demonſtrationem omnibus innoteſcit. Item

Digitized by Google

rem eandem expreſſiſſime affirmat S. Paulus Epiſt. ad Hebræos cap. 11. ubi primum dicit conſtare de fide Deum eſſe Autorem ſæculorum: *Fide intelligimus*, inquit, *aptata eſſe ſæcula verbo Dei*. Quod certe invicte demonſtramus. Deinde addit *oportere accedentem ad Deum credere quia eſt*. Quod itidem clare & evidenter evincitur adverſus Atheos, ac proinde falſum eſt objectum fidei eſſe neceſſario aliquid obſcurum & inevidens.

Neque vero audiendus eſt Gonetus, cum huic argumento quod fatetur difficile admodum eſſe reſpondet, Apoſtolum *ibi non loqui de illis qui ſcientiam ſeu demonſtrationem habet de exiſtentia Dei*, *ſed de iis duntaxat qui ea carent*. Quaſi Philoſophi & Doctores non teneantur fide credere Deum exiſtere, unum eſſe, omnipotentem, Creatorem cœli & terræ, & alia id genus quæ per ſcientiam clare & evidenter norunt. Certe hanc opinionem valde temerariam eſſe ex eo maxime liquet.

1. Quia non modo in hoc Apoſtoli teſtimonio, ſed nec in aliis Scripturæ locis quæ adduximus & quæ innumera laudari poſſent, ubi videlicet credenda proponuntur exiſtentia Dei & alia quæ evidenter quoque ſciri poſſunt, excipiuntur nullatenus homines eruditi, quaſi non teneantur omnia credere quæ credenda præcipiuntur aliis hominibus & quæ ipſi evidenter per ſcientiam norunt, gratis igitur hoc commenti ſunt Thomiſtæ.

2. Et hoc incaute prorſus affirmat Gonetus adverſus expreſſiſſimum Symboli Apoſtolorum contextum, ubi primum fidei Catholicæ caput, hoc eſt, *Credo in unum Deum . . . . Creatorem cœli & terræ*. Ubi omnibus indiſcriminatim fidelibus, ſive docti ſint ſive indocti, credendum proponitur, Deum exiſtere, eſſe unum, & orbis univerſi Creatorem; regula ibi eſt generalis, nulla eſt exceptio, nullum exceptionis eſt fundamentum; cum præſertim ex Apoſtolo fides ſit una, hoc eſt, de iiſdem prorſus articulis in omnibus Chriſtianis.

3. Quia conſentanee ad Scripturam & Symbolum locuti ſunt SS. Patres, quorum nonnulla tantum adducam teſtimonia in re ſcilicet omnibus obvia. Cum enim loquuntur de iis quæ per demonſtrationem doctioribus innoteſcunt, teſtantur ea eſſe ab omnibus chriſtianis credenda, nunquam vero excipiunt doctos. Ita v. g. S. Cyrillus Jeroſolymitanus, Catecheſi 6. explicans hunc Symboli articulum, *Credo in Deum*, ait hoc inprimis credendum præcipi, quod *Deum habemus Deum unum*, *exiſtentem*, *& ſemper exiſtentem*, *ſibi perpetuo ſimilem*. Hæc certe & ab omnibus Philoſophis clare & evidenter cognoſcuntur, & credenda omnibus præcipiuntur, uti & alia ſymboli capita, Symbolum quippe eſt fidei chriſtianæ & catholicæ, hoc eſt, omnium profeſſio.

Item S. Auguſtinus lib. de Fide & Symbolo cap. 1. docet inibi contentam eſſe fidem noſtram quam unuſquiſque tenetur corde credere ad juſtitiam & ore confiteri ad ſalutem. *Eſt autem*, inquit, *catholica fides in Symbolo nota fidelibus*, *memoriæque mandata*, *quanta res paſſa eſt brevitate ſermonis &c.* Et cap. 2. *quapropter rectiſſime credimus*, *omnia Deum feciſſe ex nihilo*. Et in fine libri, *Hæc eſt fides quæ paucis verbis tenenda in Symbolo novellis Chriſtianis datur*. *Quæ pauca verba fidelibus nota ſunt*, *ut credendo ſubjugentur Deo*, *ſubjugati recte vivant*. Igitur ſatis non eſt ſcire omnia Symboli capita modo Philoſophorum & per diſcurſum, ea ſingula a ſingulis credenda ſunt fidelibus qui ſub jugo fidei ponantur, horumque fidei capitum actus fidei identidem exerceant.

Idem docet S. Cryſoſtomus hom. 2. in Symbolum Apoſtolor. ubi doctos & indoctos indiſcriminatim alloquitur: *Dicite*, inquit, *quod a nobis auditis*, *Cre-*

Credo in Deum Patrem omnipotentem, videte unde cepiſtis, credo dixiſtis, hæc credulitas vobis confert præſentis vitæ ſecuritatem & futuræ vitæ æternitatem. Ergo ponite in fundamento cordis hanc credulitatem, ſed in quo? Videte in Patre quod dixiſtis in capite orationis, Pater noſter qui es in cœlis, hoc dicitis, & in Symboli confeſſione, Credo in Deum Patrem omnipotentem. Hæc porro credulitas quam vult Chryſoſtomus poni in fundamento cordis, ad multa capita extenditur, ad exiſtentiam, unitatem, omnipotentiam Dei quæ a multis ratione naturali evidenter cognoſcuntur.

Sed quia divus Thomas ejuſque diſcipuli fatendo evidens eſſe, Deum exiſtere, eſſe unum, veracem &c. ajunt illas veritates eſſe præambula fidei, non ipſas vero eſſe de fide, aliud adverſus illos urgeo momentum quod nullam omnino dubitationem relinquit. Dico nempe alias eſſe quam multas veritates Catholicas, quæ totidem ſunt fidei noſtræ articuli, & tamen ſunt de numero veritatum evidentium, ſeu evidenter cognitarum, ſcilicet propoſitiones ad fidem divinam vere pertinentes ſunt, quod Chriſtus in Bethleem ſit natus, quod fuerit octavo die circumciſus, quod fuerit in Ægyptum, quod in Judæa fecerit multa miracula, denique quod cruci fuerit affixus & mortuus; hæc certe non ſunt præambula fidei, ſed vere ac proprie ſunt de fide: atqui tamen hæc ipſa ſunt de numero rerum evidentium, non modo reſpectu eorum qui propriis oculis viderunt Chriſtum naſcentem, facientem miracula, & morientem in cruce, ſed etiam reſpectu noſtri qui nunc vivimus: quod ut intelligatur.

Sciendum eſt tribus modis aliquid eſſe evidens. 1. Evidentia ſenſuum, quomodo evidens eſt exiſtere corpora quæ videntur oculis & tanguntur. 2. Evidentia mentis, quomodo evidens eſt exiſtere Deum, quia ex affectibus cum eo connexis certo judicatur exiſtens. 3. Demum aliquid eſt evidens evidentia teſtimonii, quod nempe factum eſſe & ita contigiſſe refertur ab autoribus fidei probatiſſimæ rem iſtam teſtificantibus quam propriis oculis viderunt, quomodo nobis evidens eſt extitiſſe olim Cæſarem & Alexandrum Magnum, nunc exiſtere urbem in Italia quæ dicitur Roma.

Jam vero certum eſt præfatas veritates catholicas, quæ nemine diſſentiente ſunt totidem fidei noſtræ articuli, evidentes eſſe hac evidentia teſtimonii, quæ tametſi per fidem divinam non crederentur, tam certæ tamen eſſent quam quod certiſſimum, eodemque gradu certitudinis quo certa & indubitata ſunt alia facta hiſtorica quæ ab Hiſtoricis coætaneis & fidei probatiſſimæ referuntur: hanc autem certitudinem parit evidentia teſtimonii quam modo deſcripſimus; igitur illæ ipſæ veritates, quæ ſunt de fide & inter præcipua fidei noſtræ capita, ſunt evidentes.

Certe propter illam teſtimonii evidendentiam tam evidens cenſeri debet, Chriſtum eſſe natum, circumciſum, paſſum & in cruce mortuum, quam evidens eſt illum multa feciſſe ſigna & miracula, ſunt enim utrinque facta quæ ab iiſdem Scriptoribus & Hiſtoricis referuntur, idem eſt teſtimonium, eadem auctoritas: ſed apud omnes Theologos conſtat evidentia eſſe Chriſti miracula; ex ea enim potiſſimum cauſa docent religionem chriſtianam eſſe evidentem, hoc eſt evidens eſſe religionem chriſtianam eſſe veram, quia evidens eſt Chriſtum non eſſe Pſeudoprophetam, ſed vere a Deo miſſum fuiſſe: at validius non ſuppetit argumentum quo invicte probetur Chriſtum vere a Deo miſſum quam miracula quæ ipſe patravit ut huic veritati fidem faceret, uti poſtea docebimus; igitur præfatæ veritates, quibus plurimæ aliæ pene innumeræ adjungi potuiſſent, ſunt ſimul evidentes & fide divina credendæ; proin-

Digitized by Google

proindeque objectum fidei non debet eſſe aliquid obſcurum & inevidens.

Probatur 2. hæc noſtra concluſio, quia actus fidei nihil eſt aliud quam aſſenſus datus propoſitioni a Deo revelatæ. Quod illa propoſitio ſit obſcura & inevidens, omnino indifferens eſt ad fidem, ſit illa veritas clare per ſcientiam cognita, ut exiſtentia Dei & immortalitas animæ rationalis, vel ſit omnino obſcura & ſupra omnem humanæ mentis captum poſita, ut Trinitas & Incarnatio, hoc mere accidentale eſt fidei, ut patet ex ejus definitione; quiſquis enim aſſentitur veritati revelatæ a Deo, & quia revelata eſt ab eo, hoc ipſo elicit actum fidei, ita ut ſi Deus alicui revelet bis duo eſſe quatuor, hæc veritas quæ omnibus clare & evidenter innoteſcit, protinus eſſet objectum fidei divinæ; quemadmodum actus fidei humanæ elicitur ab eo qui aſſentitur homini aliquam veritatem revelanti, ſeu illa veritas ſit credenti obſcura ſeu ſit evidens, quia generatim loquendo perinde eſt in ordine ad fidem quod res credita ſit credenti evidens vel inevidens. Non eſt certe alia fidei notio a qua quidem nunquam recedendum eſt; adeoque manifeſte & graviter falluntur. Merum eſt in iis commentum, qui re non ſatis examinata propugnare non deſinunt objectum fidei habere ſemper eſſe obſcurum; ex eo quod plerumque tale eſt quoad nimirum myſteria quæ complectitur.

Probatur 3. ex eo quod iſta Thomiſtarum opinio multa ſecum infert incommoda jam a nobis commemorata, cum de Deo agebamus. Hoc unum nunc urgemus, ſi aſſenſus fidei & aſſenſus ſcientiæ ita opponerentur, ut quicunque evidenter cognoſceret exiſtentiam Dei, non poſſet de ea elicere actum fidei, ſequeretur Philoſophum qui clare & per demonſtrationes ſcientificas novit exiſtentiam Dei, nunquam poſſe de eadem exiſtentia elicere actum fidei: ſed iſtud dubio procul eſt abſurdiſſimum, hujus enim Philoſophi conditio deterior eſſet propter talem ſcientiam propter quam fraudaretur fidei aſſenſus qui foret ipſi impoſſibilis, quapropter minorem haberet certitudinem de exiſtentia Dei quam ruſticus; quandoquidem ut omnes vulgo docent Theologi, certitudo fidei major eſt certitudine ſcientiæ: igitur omnino abſurdum eſt affirmare Philoſophum Chriſtianum non modo non habere ſed nec habere poſſe fidem de exiſtentia Dei.

Huic argumento reſpondet Thomiſta Gonetus. *Habitum fidei in Philoſopho Chriſtiano non poſſe quidem per ſe & directe ſe extendere ad illam propoſitionem, Deus eſt, nec proinde directe in eum influere certitudinem ſupernaturalem; indirecte tamen & per accidens poſſe illam attingere, quatenus ſcilicet illa virtualiter & implicite continetur in aliis propoſitionibus, obſcure revelatis, & per ſe ad fidem pertinentibus, quales ſunt iſtæ, Deus eſt trinus, Deus eſt incarnatus; ex quo fit quod Philoſophus Chriſtianus acquirendo ſcientiam de illa propoſitione, non fiat deterioris conditionis quam antea, nec minorem habeat de illa certitudinem quam ruſticus fidelis.*

Sed quam frivola ſit hæc reſponſio, nemo non videt; admiſſo enim quod in iſta propoſitione, Deus eſt trinus, implicite contineatur Dei exiſtentia, remanet adhuc difficultas utrum Philoſophus ille fidei actum eliciat de ipſa Dei exiſtentia. Sic enim adverſus Gonetum argumentor: vel ille Philoſophus Criſtianus qui actu fidei credit Deum eſſe trinum, actu & explicite credidit Deum exiſtere, vel non credidit: ſi primum dicatur; habemus propoſitum, fides & ſcientia ſunt in eodem homine de eadem Dei exiſtentia. Secundum vero dici non poteſt, quia propter momenta a nobis adducta, nemo fidelis quantumvis doctus diſpenſatur ab actu fidei explicito circa exiſtentiam Dei.

Hoc

Hoc primum eſt ſymboli Apoſtolici caput, hic primus articulus, de quo proculdubio homo Chriſtianus certus eſſe non poteſt certitudine ſupernaturali fidei, niſi de eo explicitum eliciat fidei actum; gratis enim pertendit Thomiſta ex certitudine fidei formaliter terminata ad has propoſitiones *Deus eſt trinus*, *Deus eſt incarnatus*, per accidens reſilire, verba ſunt Goneti in aſſenſum ſcientificum hujus propoſitionis *Deus eſt*, certitudinem quandam ſupernaturalem & majorem quam ſcientia nata ſit parere.

Deinde non minus abſurdum eſt quod ibidem loco ſecundæ reſponſionis profert ille Theologus nimirum fatetur Philoſophum chriſtianum hanc propoſitionem *Deus eſt* cognoſcere poſſe, illique aſſentiri & per medium demonſtrativum & propter auctoritatem Dei in ſacra Scriptura hoc ſæpe dicentis, ſed tamen talem cognitionem & aſſenſum propter Dei auctoritatem, non eſſe actum fidei, quia non eſt cum inevidentia, nec Dei auctoritas eſt totalis & præciſa cauſa aſſentiendi, ſed eſt actus ſecundarius ſcientiæ.

At vero qua auctoritate rerum notiones ubique & ab omnibus receptiſſimas immutat ac pervertit Gonetus, ſcilicet veritate & rerum evidentia; coactus tandem confitetur Philoſophum Chriſtianum credere poſſe propter auctoritatem Dei revelantis hanc propoſitionem *Deus eſt*, ſed placet illi negare hunc aſſenſum eſſe actum fidei, quod certe ab omni ratione alienum eſt, cum actus fidei nihil aliud ſit quam aſſenſus datus veritati propter auctoritatem Dei revelantis. Piget in iſtis refellendis diutius immorari.

Solvuntur Objectiones.

Objicies, fidem eſſe de obſcuris & non viſis conſtat e Scripturis & ſanctis Patribus. E Scripturis quidem hoc potiſſimum celebri Apoſtoli teſtimonio in Epiſt. ad Hebræos cap. 11. *Eſt autem*, inquit, *fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium*. Hoc eſt perſuaſio, convictio non viſorum, græce *οὐ βλεπομένων*, quaſi dicat Apoſtolus ſpecificum fidei characterem eſſe quod ſit de rebus minime viſis & obſcure tantum cognitis.

Idem docent SS. Patres; ita S. Athanaſius libro de ſalutari adventu Chriſti, *Non enim*, inquit, *fides de re evidenti concepta, fides dici poterit, ſed fides eſt qua in impoſſibili poſſibilitatem, & robur in imbecillitate credit*.

S. Greg. Nazianz. orat. 2. de Theolog. *Ducem*, inquit, *fidem potius quam rationem ſequamur, ſi modo ingenii tui infirmitatem in propinquioribus rebus didiciſti; rationemque in hoc poſitam eſſe cognoviſti, ut quænam ſint ea quæ humanæ rationis captum excedant, cognoſcas*.

S. Hilarius lib. 8. de Trinitate. *Habet*, inquit, *non tam veniam quam præmium ignorare quod credas, quam maximum fidei ſtipendium eſſe ſperare quæ neſcias*.

Item S. Ambroſius lib. 1. de Abraham cap. 3. *Bonum eſt*, inquit, *ut rationem præveniat fides, ne tamquam ab homine ita a Domino Deo rationem videamur exigere, etenim quam indignum, ut humanis teſtimoniis de alio credamus, Dei oraculis de ſe non credamus*.

S. Auguſt. Tractatu 40. in Joannem, *Credimus*, inquit, *ut cognoſcamus, non cognoſcimus ut credamus; quod enim cogniturí ſumus, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit*.

Digitized by Google

Quid enim eſt fides niſi credere quod non vides? Fides ergo eſt quod non vides credere, veritas quod credidiſti, videre. Et Tractatu 79. *Hæc eſt laus fidei, ſi quod creditur, non videtur*.

Inſigne eſt quod ſcribit Gregorius M. hom. 26. in Evangelia, *Divina*, inquit, *operatio ſi ratione comprehenditur, non eſt admirabilis; nec fides habet meritum cui humana ratio præbet experimentum*.

Igitur objectum fidei debet neceſſario eſſe aliquid obſcurum & inevidens.

Diſt. ant. Ex Scripturis & ſanctis Patribus conſtat fidem eſſe de obſcuris, plerumque & ratione aliquarum virtutum quæ per fidem divinam creduntur, C. ſimpliciter, univerſim & quoad ſingula ſui objecti capita, N. Hoc unum itaque ſignificant teſtimonia Scripturæ & ſanctorum Patrum mox adducta, fidem divinam habere interdum pro ſuo objecto aliquid obſcurum, quod ſupra humanæ mentis captum poſitum eſt, quod nemini clare & evidenter innoteſcit, cujuſmodi ſunt omnia myſteria, Trinitas, Incarnatio Verbi, ſubſtantialis præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia &c. Sed inde nequaquam ſequitur ſingulas veritates ad fidem pertinentes & fide divina credendas, debere neceſſario eſſe obſcuras & ratiocinio humano impervias; quandoquidem multa ſunt, ut oſtendimus fidei noſtræ capita quæ ſinguli fideles docti vel indocti tenentur credere, & quæ tamen ſunt de numero rerum evidentium quæ non modo capit ratio humana ſed & invicte demonſtrat, puta exiſtentia Dei, immortalitas animæ rationalis, &c.

Nec peculiarem vel majorem continet difficultatem locus ex Epiſt. ad Hebræos toties decantatus, *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium*. Immo patet manifeſte Apoſtolum eo loci non commemorare niſi partem aliquam eorum quæ per fidem creduntur, videlicet ea quæ ſperantur & futuram ſpectant vitam, *ſubſtantia rerum ſperandarum*: unde cum addit illam eſſe argumentum ſeu convictionem *non apparentium*, merito inferre poſſumus Apoſtolum duntaxat denotare quædam fidei objecta, quæ ſunt inevidentia, non apparentia & ſupra rationem poſita, quod utique veriſſimum eſt.

Quod autem profiteantur nonnulli Patres hanc præcipuam fidei laudem eſſe, quod per illam credamus veritates a Deo revelatas, minime claras & evidentes, quaſi hoc neutiquam ſpectet illa quæ per evidentiam & ratiocinium innoteſcunt, quia, ut ait S. Greg. Mag. *fides non habet meritum ubi ratio præbet experimentum*. Procul dubio nihil moror. Inde enim ſolum colligi poteſt præcipuum fidei meritum eſſe, quod per illam captivetur intellectus & credantur veritates incomprehenſibiles, quod non impedit quominus habeamus quoque meritum credendo alias veritates per ſcientiam clare cognitas; tum quia per unum & eumdem fidei actum omnia a Deo revelata perſæpe creduntur, ut ſi quis dicat, credo verum eſſe quicquid continetur in Scriptura ſacra; tum vero ſi quis etiam in particulari dicat de aliqua veritate quæ ſimul eſt a Deo revelata & evidenter cognita, qualis eſt Dei exiſtentia, firmiter credo Deum exiſtere & mundo providere, quamvis iſtud jam mihi cognitum ſit clare per diſcurſum; certe hoc utroque modo meritum eſt in homine credente exiſtentiam Dei. Quamobrem loquitur veriſimiliter S. Greg. M. de merito comparate, hoc nimirum ſenſu quod qui credit cum minori difficultate res clare cognitas, minus habet meritum quam qui credit cum difficultate veritates ſupernaturales.

Objicies; Liberum eſt hominibus credere vel non credere, tum quia non omnes ſemper credunt, Joan. 12. *Cum autem tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum*. Actor. 28. *quidam cre-*

credebant his quæ dicebantur a ſancto Paulo, *quidam vero non credebant*. Nimirum pro libero uniuſcujuſque arbitrio. Tum quia laudantur & remunerantur qui credunt, redarguuntur autem & puniuntur qui non credunt. Joan. 20. *Beati qui non viderunt & crediderunt*. Lucæ 24. *Beati qui non corde ad credendum*. Ad Hebræos cap. 11. *Sancti per fidem vicerunt regna, adepti ſunt repromiſſiones*. Igitur liberum eſt credere vel non credere.

Atqui ſi fides verſaretur circa aliquid evidens, jam nemo liber eſſet ad credendum; non eſt enim in poteſtate hominis non aſſentiri propoſitionibus claris & evidentibus, nimirum evidens cenſeri ſolet illud quod ita ſufficienter movet intellectum, ut in libera poteſtate hominis non ſit diſſentire, ut ſatis indicat S. Thomas hic articulo quarto. Quod quidem etiam confirmatur experientia qua conſtat maximam nos experiri difficultatem in aſſentiendo rebus fidei, ita ut neceſſe ſit ut intellectum noſtrum captivemus. 2. Corint. 2. *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti*; nullam vero patiamur in aſſentiendo rebus clare & evidenter cognitis: igitur nulla ex parte objectum fidei eſt evidens.

Nego min. Et dico liberum eſſe homini credere vel non credere veritates propoſitas tametſi ſint evidentes quod certe conſtat experientia, liberum enim arbitrium exercetur credendo Deum exiſtere, Chriſtianam religionem eſſe veram, animam rationalem eſſe immortalem. Sunt enim qui ejuſmodi propoſitiones, quæ a nobis reputantur evidentes & demonſtrabiles aſſerant falſas; Athei enim negant Deum exiſtere, Mahometani contendunt falſam eſſe religionem Chriſtianam, extant vero Philoſophi qui aut negent animam rationalem eſſe immortalem aut putent falſam hujus immortalitatem evidenter demonſtrari non poſſe. Unde cum dicitur non eſſe in poteſtate hominis non aſſentiri propoſitionibus claris & evidentibus, ad ſummum hoc locum habet pro illis propoſitionibus quæ ſunt evidentes evidentia ab omnibus conceſſa, evidentias irrefragabili, qualia ſunt prima principia, impoſſibile eſt idem eſſe ſimul & non eſſe, totum eſt majus ſua parte &c. non autem pro omnibus propoſitionibus claris & evidentibus.

Et ratio eſt quia evidens illud dicitur quod vel per ſe immediate ſenſu percipitur vel per aliud ſibi neceſſario connexum infertur, uti ſupra explicuimus; adeo ut gratis conficta ſit illa definitio quam adducunt adverſarii, dicendo evidens eſſe quod ita ſufficienter movet intellectum, ut in libera poteſtate hominis non ſit diſſentire; unde docet nos experientia aliquid dici evidens uni quod inevidens eſt & falſum alteri, evidens eſt Chriſtianis Deum exiſtere, & dicunt Epicurei evidens eſſe Deum non exiſtere.

Quibus adde adhuc liberum eſſe credere fide divina exiſtentiam Dei & alias propoſitiones evidentes quæ ſunt de fide tametſi ſupponatur aſſenſum neceſſario præberi veritatibus claris & evidentibus; quia videlicet quando creduntur illæ propoſitiones per fidem divinam, tunc non creduntur propter evidentiam ipſarum ſed propter revelationem Dei; poſſet autem aliquis exſtentiæ Dei aſſentiri propter evidentiam quæ neceſſario illum moveret ad credendum, qui tamen libere crederet per fidem divinam, imo poſſet non credere; ſi nimirum nollet credere propter revelationem Dei; ac proinde liberum eſt hominibus credere vel non credere propoſitiones a Deo revelatas, per ipſum ſcilicet fidei divinæ motivum ſeu propter Dei revelationem, tametſi aliunde clare & evidenter cognoſcantur; ex quo facile ſolvitur objectio quam repetunt ex eo quod nullam patimur difficultatem, credendo propoſitionibus claris & evidentibus.

Objicies: Conſtat manifeſte ex Scri-

ptura

ptiira fidem a beatis exerceri non poſſe, uti nec ſpem, 1. Corint. 13. *Ex parte enim cognoſcimus & ex parte prophetamus, cum autem venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt*. Et iterum, *Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum... Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*. Rom. 8. *Spes quæ videtur non eſt ſpes, quod enim quis videt, quomodo ſperant?* Sed ex ea ſolum cauſa Scripturæ docent fidem a beatis non exerceri, quia fides & viſio clara rei cujuſpiam ſtare ſimul non poſſunt: igitur nec fides & ſcientia de eodem objecto ſimul eſſe poſſunt.

Nego min. Ideo enim fides creditur non eſſe in beatis, non quia abſolute loquendo ſimul compati non poſſunt fides & viſio rei in eodem intellectu de eodem objecto; ſed quia fides videtur inutilis ad credendum id quod clare videtur, quod quidem locum non habet pro viatoribus quibus præcipitur credere quæcunque ſunt a Deo revelata; quod autem inter res illas revelatas quæ ſunt fidei noſtræ objectum, nonnullæ ſunt clare & evidenter cognitæ, nil impedit tamen quominus circa illas exerceatur actus fidei; hæc enim duo neutiquam pugnant inter ſe quod eadem veritas cognita evidenter per diſcurſum credatur propter autoritatem Dei revelantis.

Inſtabis; Non magis fides remanere poteſt cum ſcientia quam cum viſione ſenſitiva: ſed fides remanere non poteſt cum viſione ſenſitiva ſeu quæ fit per oculos, nam Joan. 20. cap. a Chriſto Domino redarguitur S. Thomas Apoſtolus quod non crediderit niſi quia viderit, *quia vidiſti me Thoma credidiſti*, igitur.

Nego min. Nil enim vetat quominus aliquid cognoſcatur per experientiam & re ipſa oculis percepta, & ſimul credatur propter autoritatem Dei revelantis; nam credimus v. g. ſolem & lunam exiſtere quia hæc videmus, & ſimul quia exiſtere declarantur in Scripturis. Quod autem argumentum urgetur ex Thomæ Apoſtoli exemplo, nihil omnino efficit adverſus noſtram ſententiam; is enim reprehenſione dignus eſt qui non credit niſi quod videt; licet aliquando credatur per fidem quod videtur oculis, fides enim ut plurimum verſatur circa res obſcuras & inevidentes. Unde putant plerique Theologi tam divum Thomam quam alios Apoſtolos per fidem credidiſſe Chriſti reſurrectionem quam aliunde ſenſuum teſtimonio noverant.

Objicies: Quæ ſunt præambula ad fidem, non ſunt ipſa de fide; ſed illæ propoſitiones quæ clare & evidenter cognoſcuntur, quales ſunt iſtæ, Deus exiſtit, Deus eſt verax, Deus revelavit quæcunque credenda proponuntur &c. ſunt præambula ad fidem, quorum ſcilicet certa & indubitata convictio præſupponitur ad fidem, ad primum fidei actum; nemo enim fide divina credere poteſt veritates a Deo revelatas propter autoritatem Dei teſtificantis, quin prius certo ſciat Deum illas veritates revelaſſe; tum vero niſi Dei ipſius revelantis veracitatem & exiſtentiam cognoverit, quæ quidem non innoteſcunt per fidem, quandoquidem earum cognitio prærequiritur ad primum fidei actum: Igitur propoſitiones quæ clare cognoſcuntur non ſunt de fide.

Diſt. maj. Non ſunt de fide, ſi non ſint a Deo revelata, C. ſi ſint a Deo revelata, ſubdiſtinguo: non ſunt de fide, hoc eſt, fide non creduntur actu quatenus ſunt præambula ad fidem, C. quatenus ſunt de numero rerum a Deo revelatarum, N. Revera nonnullæ propoſitiones ad fidem præambulæ, non cenſentur eſſe de fide quatenus prius cognoſcuntur quamprimus fidei actus exerceatur, ſed ſunt tamen de fide abſolute & ſimpliciter loquendo, quia ſunt de numero rerum revelatarum & creduntur poſtea per fidem inter alias veritates.

tes revelatas. Id conſtat manifeſte ſi paucis inſtituatur analyſis fidei, ſcilicet cognoſcimus primum exiſtentiam Dei clare & evidenter per creaturas, deinde convicti iterum ſumus ratione naturali Deum eſſe veracem, ac poſtea ex certis argumentis perſuaſum habemus a Deo revelata fuiſſe quæcumque credenda proponuntur. Et hæ aliæque veritates non ſunt tunc de fide, hoc eſt, per fidem tunc non creduntur ſed per diſcurſum, cum habentur tantum ut præambulæ ad fidem; ſed quia illæ eædem veritates ſunt de numero rerum a Deo revelatarum, quo nimirum in Scripturis clare habentur, neceſſe eſt ut illas etiam per fidem credant Chriſtiani Fideles quando actu fidei explicito credunt præcipua fidei noſtræ capita, de quorum numero eſt exiſtentia Dei, vel quando uno eodemque fidei actu profitentur ſe credere quicquid a Deo revelatum eſt; quod fit ut præambula ad fidem ſint etiam de fide.

Objicies: cognitio clara alicujus veritatis, uti & ejus viſio ita reddit intellectum videntem & convictum, ut non poſſit moveri extrinſeco teſtimonio: igitur fides ſtare non poteſt cum ſcientia rei alicujus, aut ſaltem foret omnino inutilis.

Nego ant. Contrarium quippe docet experientia, nam in iis etiam quæ videmus & ſcimus viſioni eorum & cognitioni addimus fidem, ſi quis enim ſe adeſſe mihi declaret, recte poſſum ei aſſentiri, & quia illum præſentem video & quia ipſe hoc ipſum mihi teſtificatur. Sic etiam cœlum eſſe & terram fide divina credo quia id revelatum eſt in Scripturis, & quia ſenſibus res mihi comperta eſt.

His vero ita poſitis non eſt quod nobis objiciatur in illa hypoteſi, ſi nimirum de uno & eodem detur ſimul fides & ſcientia, intellectum clare ſimul & obſcure cognoſcere eandem veritatem, clare v. g. cognoſcere exiſtentiam Dei per demonſtrationem, & obſcure per fidem. Negamus enim intellectum obſcure cognoſcere per fidem exiſtentiam Dei; imo ſi ſermo ſit de homine docto, clare illam cognoſcit & tamen eidem veritati aſſentitur per fidem, ut diximus, ſi ſermo ſit de homine indocto, hic nulla eſt quæſtio, non habet enim ſcientiam demonſtrativam de exiſtentia Dei. Iterum repeto id mihi videtur a ratione maxime alienum quod volunt adverſarii ad eſſentiam fidei requiri neceſſario ut objectum ejus obſcure & inevidenter cognoſcatur, ſatis eſt enim quod ſit a Deo revelatum, perinde eſt quod ſit obſcure vel clare cognitum a credente.

Cæterum fruſtra laborant Theologi longius examinado, utrum in eo caſu quo Philoſophus exiſtentiæ Dei aſſentitur per demonſtrationem ſimul & per fidem divinam, tunc unum duntaxat vel duos eliciat actus; certum eſt enim duos ibi eſſe actus ſpecie diſtinctos, quorum unus eſt ſcientiæ & naturalis eſt, alter fidei & ſupernaturalis eſt, propter duo videlicet motiva ſpecie diſtincta; credit Deum exiſtere per ſcientiam quia clare videt connexionem quæ eſt Deum inter & creaturas, credit vere illum exiſtere per fidem, quia Deus dixit ſe exiſtere.

Quærunt hoc loco multi Theologi, utrum objectum fidei quod pletumque obſcurum eſt, quatenus videlicet fides verſatur circa myſteria, ſit tamen evidenter credibile. Verum iſtam quæſtionem paulo infra tractabimus, cum de revelatione agendo diſquiremus an revelatio clara ſit & evidens ex parte revelantis, quod idem eſt ac ſi quæratur utrum objectum fidei ſit evidenter credibile.

Utrum Objectum materiale Fidei ſit ſemper verum.

SI objectum fidei non eſſet ſemper verum, ſed aliquando fidei, ut ajunt, ſubeſſet falſum, ex duplici cauſa hoc contingeret; vel quia Deus non eſt ſumme verax, ſed falſum quid poſſet revelare hominibus & credendum proponere; vel quia nonnulli parum docti falſo præſumentes aliquid eſſe revelatum a Deo quod reipſa non fuit revelatum, hoc ipſum tamen fide divina crederent quaſi eſſet revelatum: quapropter de hoc utroque modo quo fides verſari poſſet circa objectum falſum & erroneum, nunc agendum eſt.

An Deus poſſit aliquid falſum hominibus revelare.

DEum poſſe mentiri & falſum annuntiare hominibus impie non minus quam temere affirmare auſi ſunt Priſcillianiſtæ, qui teſte S. Auguſtino lib. contra mendacium cap. 2. *Huic ſententiæ* quæ docet mendacium eſſe bonum, *comprobandæ adhibent teſtimonia de Scripturis, exortantes ſuos ad mentiendum tanquam exemplis Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Angelorum, non dubitantes addere etiam ipſum Dominum Chriſtum, nec ſe aliter arbitrantes veracem ſuam oſtendere falſitatem, niſi veritatem dicant eſſe mendacem.*

Quin & eo etiam temeritatis devenerunt nonnulli Theologi, ut aſſererent revera Deum nunquam falſum dixiſſe, nec de potentia ordinaria mentiri poſſe, qui videlicet lege lata mendacium prohibuit; ſed nihilominus eum poſſe de potentia abſoluta falſum dicere & hominibus revelare. Ita cenſent Petrus de Alliaco in 1. quæſt. 12. Gabriel in 3. diſt. 12. quæſt. 1. & diſt. 18. concl. 2. & Holcot. in 2. diſt. 5. in quos ſit

CONCLUSIO.

Deus ita eſſentialiter verax eſt, ut nec de potentia etiam abſoluta poſſit vel per ſe vel per alium, vel directe vel indirecte mentiri & falſum revelare hominibus.

Probatur 1. ex Scripturis, num. 23. *Non eſt Deus quaſi homo ut mentiatur, neque ut filius hominis ut mutetur.* Epiſt. ad Hæbreos cap. 6. *in quo abundantius volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilii ſui, interpoſuit juejurandum, ut per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus.* Ubi manifeſte ſignificat Apoſtolus Deum nequidem de potentia abſoluta mentiri poſſe: tum quia expreſſe declarat hoc eſſe Deo impoſſibile, nihil autem dicitur ſimpliciter eſſe Deo impoſſibile, niſi quod eſt abſolute impoſſibile; tum quia inde probat S. Paulus fortiſſimum nos habere ſolatium, quod nempe Deus ſit immobilis in ſuis promiſſis: at certe iſtud ſolatium non haberemus ſi Deus poſſet aliquando falſum hominibus revelare, poſſemus enim dubitare, num Deus ſua uſus eſſet potentia abſoluta ad mentiendum: igitur Deus nunquam mentiri poteſt.

Hæc eadem Dei veracitas legitur paſſim in aliis multis Scripturæ locis, Matth. 24. Chriſtus Dominus ait, *Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.* Joan. 3 *qui accipit ejus teſtimonium, ſignificavit quia Deus verax eſt.* Et cap. 8. *qui miſit me verax eſt.* Ad Rom. 3. *Eſt autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* Ad Titum 3. *qui non mentitur Deus.* Sed manifeſte repugnat eum mentiri poſſe, & falſum revelare qui eſſentialiter verax eſt: igitur.

Probatur 2. ex ſanctis Patribus eandem doctrinam acriter propugnantibus. Ita S. Athanaſius in libro de Incarnat.

Ver-

Verbi , *abſurdum eſt* , inquit , *Deum in ſuis verbis mentiri ; non enim Deus fuiſſet , ſi cum dixiſſet nos perituros , non periiſſemus* . Nemo non videt S. Athanaſium loqui de potentia abſoluta .

S. Chryſoſtomus homil. 1. in Symbolum Apoſtolorum , *Creditis* , inquit , *Deo omnipotenti , quia poſſe ipſius non poteſt invenire non poſſe , tamen aliqua non poteſt. utpote falli , fallere , mentiri* . Sic Dei omnipotentiam explicat Origenes lib. 5. contra Celſum , *Dum omnia poſſibilia Deo eſſe dicimus , ſcimus hanc vocem (omnia) intelligendam eſſe non de non exiſtentibus nec de ratione carentibus , fatemur enim Deum non poſſe turpia , alioquin Deus poſſet non eſſe Deus* .

Item S. Ambroſius Epiſt. ad Chromatium , *Impoſſibile* , inquit , *eſt ei mentiri . Impoſſibile iſtud non infirmitatis ſed virtutis & majeſtatis eſt , quia veritas non recipit mendacium , nec Dei virtus levitatis errorem . Ideoque ſit Deus verax , omnis homo autem mendax* .

Et S. Auguſtinus lib. 1. de Symbolo ad Cathecumenos cap. 1. *Deus omnipotens eſt* , inquit , *& cum ſit omnipotens mori non poteſt , falli non poteſt , mentiri non poteſt . . . . . Nam ſi mori poſſet , non eſſet omnipotens , ſi mentiri , ſi falli , ſi fallere , ſi inique agere non eſſet omnipotens* . Quod idem unanimi conſenſu docent alii SS. Patres , S. Cyrillus Alexand. lib. 2. in Joan. cap. 69. S. Bernardus ſerm. 3. de Cœna Domini . Sanctus Anſelmus lib. 1. cur Deus homo cap. 12.

Favet huic doctrinæ Concilium Tridentinum quod ſeſſ. 6 c.9 ſic loquitur ut manifeſte ſupponat nihil falſi poſſe Deum revelare : *Cum nullus* , inquiunt Patres Trident. *ſcire valeat certitudine fidei , cui non poteſt ſubeſſe falſum , ſe gratiam Dei eſſe conſecutum* . Quamobrem mihi non probatur opinio quorumdam Theologorum qui nolunt aperte pronunciare hanc doctrinam eſſe de fide , malo cum aliis omnibus dicere hanc ſententiam , quæ docet Deum poſſe mentiri & falſum revelare , apertam eſſe blaſphemiam & hæreſim .

Probatur demum ratione duplici , una quæ eſt a priori , altera a poſteriori .

Prima eſt , quia ſi Deus aliquid falſi annuntiaſſet hominibus vel per ſeipſum immediate vel per alios homines , puta per Prophetas aut per Apoſtolos , id ita contigit , vel quia Deus ipſe errore deceptus eſt , vel quia homines decipere voluit : ſed neutrum dici poteſt , utrumque vero eſt abſolute impoſſibile , nam Deus eſſentialiter eſt ens ſumme perfectum , qui proinde eſt ſumme perſpicax ita ut omnia noverit , nihil ignorare poſſit , adeoque non poſſit decipi . Item Deus eſt ſumme verax qui proinde neminem poteſt fallere , nemini falſum & mendacium annuntiare poſſit : igitur falſum fidei ſubeſſe non poteſt .

Secunda ratio hæc eſt , ſi Deus de potentia abſoluta poſſet revelare falſum , jam nulla eſſet fides noſtra , jam nulla foret in nobis certitudo de veritate articulorum fidei noſtræ ; nec poſſemus nec deberemus certo credere & abſque ulla dubitandi formidine , quæcunque leguntur in Scripturis , quæcunque credenda nobis proponuntur quod a Deo ſint revelata ; poterit enim quivis timere ne Deus hac potentia abſoluta falſum revelandi uſus fuerit , vel etiam quando tam affirmate promiſit ſe nunquam mentiturum ; nihil omnino erit unde nobis perſuadere poſſimus Deum non mentiri , non ex natura quidem Dei , ſi quidem ſupponitur eum poſſe ſi velit falſum docere : Non ex illius promiſſis , abſolute enim falſa poterunt eſſe hujuſmodi promiſſa , quæ aliunde nobis non innoteſcunt niſi per revelationem contentam in Scripturis ; ſed quæ ipſa in illo caſu falſitati & mendacio erit obnoxia : igitur cum fides

noſtra debet eſſe certa, omnis dubitationis expers, & abſolute infallibilis, ut Deus ipſe præcipit in Scripturis, certo ſupponendum eſt Deum ita eſſe veracem, ut nec de potentia abſoluta mentiri ac falſum revelare poſſit.

Hac ratione uſus eſt S. Auguſtinus lib. de mendacio cap. 8. *Quomodo*, inquit, *credendum eſt illi qui putat aliquando eſſe mentiendum, nam forte tunc mentitur, quando præcipit ut illi credamus*. Et paulo poſt, *quo admiſſo omnis omnino diſciplina fidei ſubvertitur*.

Solvuntur Objectiones.

QUoniam adverſus hanc noſtram doctrinam infinitæ proponi poſſunt objectiones e Scripturis petitæ, ne in immenſum creſcat iſta differtatio, eas redigemus ad certas claſſes, nec niſi quaſdam ſelectiores proferemus, quod aliæ plane ſimiles eodem quoque modo ſolvi debent.

Objicies itaque 1. Extant multa Scripturæ loca quæ aperte falſa ſunt & ſibi contradicentia; ſic v. g. Geneſeos 1. cap. ait Moyſes Deum ſex diebus mundum creaſſe, & tamen Eccleſiaſtici 18. legitur, *qui vivit in æternum creavit omnia ſimul*.

Item Exodi 20. declarat Deus ſe viſitare iniquitatem Patrum in filios uſque in tertiam & quartam generationem. Et tamen contrarium aperte legitur Ezechiel 18. *Filius non portabit iniquitatem Patris*.

Deinde Joan. 20. cap. Maria Magdalena dicitur *veniſſe mane ad monumentum, cum adhuc tenebræ eſſent*. Sed contra, Marci 16. cap. habetur, *venit ad monumentum orto jam ſole*. Et Matth. 28. *veſpere autem Sabbathi venit Maria Magdalena videre ſepulchrum*. Igitur multa falſa ſunt in Scripturis, ac proinde Deus poteſt revelare falſum.

Reſpondeo in his & aliis ſimilibus nihil eſſe falſi, nec niſi apparentes occurrere contradictiones. Quoad primum enim ſpectat, ibi certe nulla eſt contradictio. Quando enim Deus dicitur omnia ſimul creaviſſe, hac voce *ſimul* ſignificatur ſolummodo Deum eſſe *æque* ac *pariter* omnium cauſam & creatorem, licet multa ſucceſſive & intra ſex dierum ſpatium creaverit, ut cum dicitur Pſalm. 48. *ſimul inſipiens & ſtultus peribunt*. Significatur eos pariter utroſque, non autem eodem tempore perituros.

Ad ſecundum dico ibi nullam eſſe contradictionem, quia Deus in Exodo loquitur de pœna temporali, apud Ezechielem vero ſermo eſt de pœna ſpirituali ſeu de damnatione æterna quæ in filios a Patribus non derivatur, excepta tamen illa quæ incurritur per peccatum originale, de quo eo loco non agitur.

Denique quod ſpectat diſſentionem quæ videtur inter Matthæum & alios Evangeliſtas ſuper argumento propoſito, reſpondeo cum Maldonato commentario in cap. 28. S. Matthæi, veſperam ab iſto Evangeliſta totam noctem appellatam fuiſſe, uti exiſtimant multi e ſanctis Patribus, quia veriſimiliter S. Matthæus idem dicere voluit quod cæteri Evangeliſtæ, maximeque Marcus qui ejus quodammodo fuit interpres. Unde cum veſperam Sabbathi vocat, non veſpertinum tempus duntaxat, quod inter diem & noctem eſt, ſed totam noctem intelligit, in cujus extrema parte, id eſt, mane jam luceſcente mulieres ad Sepulchrum veniſſe dicit; ſolent nimirum Hebræi totam noctem veſperam appellare, ut colligitur ex primo capite Geneſeos, *Et factum eſt veſpere & mane dies unus*. Plura ſuper hunc locum lege, ſi volueris, loco mox laudato.

Objicies 2o. Multa leguntur in iisdem Scripturis quæ futura prædixerat Deus & quæ tamen nunquam evenerunt, v. gr.

Digitized by Google

v. gr. Geneſeos cap. 4. Caino timenti ne occideretur dixit Deus, *Nequaquam ita fiet*. Et tamen a Lamech interfectus eſt ut habetur ibidem.

Item Jonæ 3. cap. Ninivæ ſubverſio prædicitur a Deo; *Adhuc quadraginta dies & Ninive ſubvertetur*, inquit ad Ninivitas Propheta miſſus a Deo. Et tamen ſubverſa non fuit illa civitas.

Tertio Joannis 7. cap. Chriſtus ait ſe non aſſenſurum ad diem feſtum, verſ. 8. *Vos aſcendite ad diem feſtum hunc, ego autem non aſcendo*. Et tamen ſtatim verſ. 10. legitur Chriſtum aſcendiſſe, *ut autem aſcenderunt fratres ejus, tunc & ipſe aſcendit ad diem feſtum*. Igitur.

Nego ant. Id vero non colligitur ex locis objectis. Primo enim clare non legitur Geneſeos capite quarto Cainum a Lamecho fuiſſe occiſum, & ſuppoſito quod Lamech revera Cainum interfeceris, dico Deum non promiſiſſe Caino futurum ut a nemine prorſus interficeretur, ſed tantum ut a qualibet occurrente non occideretur, ut manifeſte liquet ex ipſo Scripturæ contextu, Caino enim dicenti: *Ecce ejicis me hodie a facie tua, omnis qui invenerit me, occidet me*, reſpondit Deus, *Nequaquam ita fiet*. Hoc eſt, non a primo cui occures, occideris.

Quod ſpectat alterum Scripturæ locum de prædictione Jonæ, ibi certe nulla omnino eſt difficultas, ejusmodi enim comminationes ſunt conditionatæ; nimirum prædicitur ſubverſio Ninive, niſi pœnitentiam egerint Ninivitæ; unde mirum non eſt ſi ſubverſa non fuerit civitas, quia egerunt pœnitentiam.

Denique in tertio Scripturæ teſtimonio quod objicitur, nulla pariter eſt difficultas; quando enim Chriſtus dixit, *Non aſcendam*, idem eſt, ac ſi dixiſſet, non aſcendam vobiſcum, vel non aſcendam manifeſte ſed occulte: vel denique nondum aſcendam, quia nondum venit tempus meum aſcendendi, juxta id quod revera ſubdit, *tempus meum nondum eſt impletum*.

Objicies 3. Multis Scripturæ locis oſtenditur viros ſanctiſſimos & Patriarchas fuiſſe mentitos, quanquam veriſimiliter Spiritu ſancto inſpirati loquantur. Sic Abraham Geneſeos 20. cap. dixit Saram non eſſe ſuam conjugem ſed ſororem. Et cap. 22. idem Patriarcha mentitus eſt dicens ſe reverſurum ex monte cum Iſaac, quem tamen putabat mox immolatum iri. *Expectate*, inquit, *hic, ego autem & puer illuc uſque properantes, poſtquam adoraverimus, revertemur ad vos*.

Item inſigne eſt quod legitur Geneſeos cap. 27. de Jacob qui aperte mentitus eſt, cum dixit, *Ego ſum primogenitus tuus Eſau*. Tametſi enim fuiſſet jure primogenitus, quod ipſi primogenituram ſuam vendiderat Eſau, tamen non erat Eſau: is tamen, ut putant nonnulli e ſanctis Patribus a Deo inſpiratus loquebatur Jacob. Igitur.

Reſpondeo ſacram quidam ſcripturam ſpectari ab omnibus fidelibus tanquam ſincerum Dei verbum quod divinitus inſpiratum eſt: ſed non exiſtimamus propterea omnes qui inducuntur in ea loquentes ſemper verum dicere & nunquam mentiri: immo & in eodem Scripturæ contextu, nonnulli aliquando blaſphemant, quandoque etiam impii & athei loquuntur, quandoque alii nefanda proferunt ſceleſtiſſimi homines; demum aliquando autores ſacri hiſtorice referunt nonnulla male geſta ab aliis hominibus, quæ ab omni culpa & peccato excuſari non poſſunt. Unde hanc ſacram Doctrinam divinitus inſpiratam credimus, qua parte loquuntur Chriſtus Dominus, Prophetæ, Apoſtoli, Patriarchæ etiam aliique viri ſancti, cum loquuntur in materia religionis tanquam Dei organa & conſentanee ad legis naturalis mandata. Atque adeo

licet ſupponeretur Abraham, Jacob & alios peccaſſe & mentitos fuiſſe, nihil inde colligi poſſet adverſus veracitatem Dei.

Objicies 4. Profitetur Deus ipſe in ſcripturis ſe homines decepturum, errorem & mendacium Prophetis inſpirando, Ezechiel 14. cap. *Homo de domo Iſrael ...... ſi alienatus fuerit a me & poſuerit idola ſua in corde ſuo... Propheta cum erraverit & locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi Prophetam illum*. 3. Regum cap. 22. hæc leguntur, *Egreſſus eſt autem Spiritus & ſtetit coram Domino, & ait: Ego decipiam illum. Cui locutus eſt Dominus: In quo? Et ille ait, Egrediar & ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus. Et dixit Dominus: Decipies & prævalebis, egredere & fac ita. Nunc igitur ecce dedit Dominus ſpiritum mendacii in ore omnium Prophetarum*. Ut nempe deciperent Achab Regem Iſrael, unde Job 12. cap. dicitur, *qui immutat cor principum & decepit eos, & errare facit eos ſicut ebrios*. Et 1. ad Theſſalonicenſes 2. *ideo mittet illis operationem erroris ut credant mendacio*. Igitur Deus cum voluerit, aliquem decipere poteſt, errorem & mendacium revelando, idque nonnunquam præſtitit.

Reſpondeo hæc & alia ſimilia Scripturæ loca eo ſenſu intelligenda, quod Deus permittit nonnunquam homines in pœnam præcedentium ſcelerum decipi, & in errorem a ſpiritu mendacii quandoque induci, non autem eo ſenſu quod Deus ipſe poſitive mendacium cuiquam inſpiret, quod nimirum tam expreſſe deteſtatur in iisdem Scripturis, & ſevere punire ſolet: hæc enim in Legislatorem, niſi aperte iniquus ſit, cadere non poſſunt, quod ſimul in aliquod facinus inducet, & idem prohibeat atque ulciſcatur; quod autem non frequenter Scriptura Deo veluti cauſæ tribuat id, quod ſolummodo ab eo permittitur jam oſtendimus in Tractatu de peccatis examinando an Deus ſit autor peccati.

Objicies 5. Æquivocatione uſus eſt quandoque Deus in ſuis ſermonibus, ut patet ex iſtis Chriſti verbis, Marci 13. cap. Ubi a ſuis diſcipulis interrogatus de die judicii reſpondit, *de die autem illo vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cœlo, neque filius hominis*. Ubi ſi non eſt apertum mendacium, Chriſtus enim noverat diem judicii, vera ſaltem eſt æqu vocatio: ſed æquivocatio genus quoddam eſt mendacii, ut plerique omnes Theologi docent: igitur.

Nego ant. & dico Chriſtum Dominum in iſto caſu, quando nempe ſuis Apoſtolis occultare voluit diem judicii, non fuiſſe proprie dictam æquivocationem: ſiquidem æquivocatio proprie dicta, quæ nimirum, ut fateor, ſpecies quædam eſt fraudis & mendacii, tunc ſolummodo adeſt, cum voces loquentis per ſe & habita ratione circumſtantiarum audientes inducunt in errorem; non eſt autem niſi improprie dicta, &, ut aiunt, materialis æquivocatio quando verba loquentis in iis circumſtantiis proferuntur in quibus audientes recte poſſunt illorum ſenſum capere, ita ut non decipiantur. Unde Chriſtus Dominus in exemplo mox allato nonniſi æquivocatione improprie dicta & materiali uſus eſt, poterant enim intelligere Apoſtoli ſic locutum fuiſſe Chriſtum, quod dedita opera volebat illos celare quod petebant præ nimia curioſitate. Præterquam quod abunde noverant Chriſto ignotum non eſſe diem Judicii, quem ſcilicet ſciebant eſſe verum Deum.

Huc ſpectat quod ſcribit S. Auguſtinus lib. 83. quæſt. q. 53. *Summa*, inquit, *& perfecta virtus eſt neminem decipere, atque illud exhibere quod dictum eſt, ſit in ore veſtro, Eſt, eſt. Non, non ... quapropter Deus quidem per ſe ipſum neminem decipit, eſt enim Pater veri-*

veritatis, *& veritas*, *& ſpiritus veritatis*, *dignis tamen digna diſtribuens*, *utitur animis pro meritis & dignitatibus quæ ſunt in gradibus eorum*, *ut ſi quiſquam dignus eſt decipi*, *non ſolum per ſe ipſum eum non decipiat*, *ſed neque per talem hominem qui jam congruenter diligit & cuſtodire perſiſtit*, *ſit in ore veſtro Eſt eſt: Non non*.

Unde ſummus Pontifex Innocentius XI. anno 1679. has propoſitiones tanquam ſcandaloſas & in praxi pernicioſas non immerito damnavit.

26. *Si quis vel ſolus vel coram aliis ſive interrogatus*, *ſive propria ſponte*, *ſive recreationis cauſa*, *ſive quocunque alio fine juret ſe non feciſſe aliquid quod revera fecit intelligendo intra ſe aliquid aliud quod non fecit*, *vel aliam viam ab ea in qua fecit*, *vel quodvis aliud additum verum*, *revera non mentitur*, *nec eſt perjurus*.

27. *Cauſa juſta utendi his amphibologiis eſt quoties id neceſſarium aut utile eſt ad ſalutem corporis*, *honorem*, *res familiares tuendas*, *vel ad quemlibet alium virtutis actum*, *ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens & ſtudioſa*.

Objicies cum præfatis Theologis: Saltem Deus de potentia abſoluta poteſt revelare falſum, tametſi propterea non mentiatur, quia inquit Gabriel, mendacium ſignificat falſum dictum inordinate & cum malitia morali. Sic autem argumentatur: Poteſt Deus quicquid non repugnat: ſed dicere falſum Deo non repugnat; hæc enim actio idcirco ſolum mala eſt moraliter quia fuit a Deo prohibita, Rom. 3. *Ubi non eſt lex nec prævaricatio*. Igitur.

Nego min. & dico falſum revelare, quod idem prorſus eſt ac mendacium committere. Deo utpote ſumme veraci per eſſentiam repugnare, ſicut ipſi ſumme bono repugnat malitia & peccatum. Jam vero falſum eſt maxime & damnoſum hoc Gabrielis principium, quo pertendit nullum eſſe actum intrinſece & ante prohibitionem malum; quam multa ſunt enim de ſe & ex naturâ ſua mala quæ mala ſunt & vera peccata antequam per legem poſitivam prohibeantur, quia per ſe & ex natura ſua pugnant cum recta ratione, cujuſmodi profecto eſt mendacium, quod non eſt malum quia prohibitum, ſed prohibitum, quia malum. Scilicet mendacium eatenus eſt rationi contrarium quod finem & naturam verborum & locutionis evertit; nam eo fine verbum inter homines inſtitutum fuit, ut ejus beneficio mentem ſuam patefacerent, & ita fidelitas in eorum ſocietate ſtabiliretur, quod certe totum ſubruitur per mendacium.

Inſtabis: Si tanta eſſet Dei fidelitas ut non poſſet de potentia abſoluta non implere promiſſum, ſequeretur Deum non poſſe privare beatos gloria ſua, nec poſſe damnatos ab inferni pœnis liberare. Abſurdum conſequens, quia jam Deus non eſſet liber, dominium ſuum in creaturas amitteret. Igitur abſolute Deus poteſt non implere promiſſum, adeoque & falſum dicere.

Nego min. Quiſquis enim promiſſionem non implet, peccat contra veritatem & rectam rationem, neque vero, ut recte ſcribit Suarez, Deus propter ſupremum dominium poteſt ex ſola voluntate non implere promiſſum, quia libertas divina non excludit immutabilitatem in propoſitis, utraque perfectio Deo aſcribenda eſt. Deinde & manifeſte repugnat Deum mutare propoſitum abſolutum; quia res per ejuſmodi voluntatem decreta, hoc ipſo futura eſt: ſed ſi Deus mutaret propoſitum, res futura tunc non eveniret: repugnat autem rem futuram nunquam evenire, quia jam non eſſet futura. Quamobrem Deus neceſſario neceſſitate hypothetica, ut aiunt Theologi, gloriam ſuam dabit beatis & tamen libere dabit, quia talis neceſſitas conſequens non pugnat cum libertate.

Utrum

Utrum fides eſſe poſſit de objecto reipſa non revelato, quod a credente putatur revelatum.

DIximus duobus modis intelligi poſſe actum fidei eſſe de objecto falſo, vel ſcilicet ex parte Dei, ſi Deus falſum revelaret; vel ex parte credentis, ut ſi quis eliceret actum fidei divinæ circa aliquod objectum quod judicaret a Deo revelatum, licet revera non eſſet revelatum; ſi quis v. g. credat firmiter ex fidei motivo quatuor eſſe ſanctiſſimæ Trinitatis perſonas, quamvis hoc non ſit revelatum. Priori modo fidei falſum ſub eſſe nunquam poſſe ſatis ſuperque modo oſtendimus, alterum ſupereſt nunc demonſtrandum.

CONCLUSIO.

Falſum ſubeſſe non poteſt fidei ex parte credentis, hoc eſt fide divina non creditur, quod reipſa non eſt a Deo revelatum, tametſi errore facti hoc ipſum a credente putetur revelatum.

Probatur: Quia ad verum fidei divinæ actum requiritur neceſſario ut ille actus ſuum habeat proprium ac legitimum objectum, quod idem commune eſt cuilibet actui, actus enim v. g. ſcientiæ debet neceſſario habere pro objecto aliquid evidens, opinio debet habere aliquid probabile, ex ea nimirum cauſa quod actus ſpecificantur ab objectis; ſed verum ac legitimum fidei divinæ objectum eſt id omne quod eſt a Deo revelatum, ut ſupra oſtendimus; revelatum, autem dicimus, non quod ſolum præſumitur revelatum, quod creditur revelatum, ſed quod revera fuit revelatum. Quemadmodum quando rationalitas dicitur differentia ſpecifica & pars eſſentialis hominis, hoc non intelligitur de apparente quadam ſed de vera rationalitate; aliter enim non conſtitueret niſi hominem apparentem: igitur objectum fidei divinæ debet neceſſario eſſe aliquid vere a Deo revelatum.

Et ratio eſt inſuper quia ſi quis fidelis, eum aliquid credit ex motivo fidei divinæ & tanquam revelatum a Deo, quod tamen reipſa non eſt revelatum, verum fidei divinæ actum eliceret; ſequeretur habitum fidei ſupernaturalem qui a Deo fuit infuſus, poſſe intellectum hominis inclinare ad actum falſum & erroneum, ad illum nempe actum qui verſaretur circa objectum minime revelatum a Deo, & quod tamen crederetur revelatum. Abſurdum conſequens, quia nempe habitus fidei, utpote a Deo ſolo infuſus, & per ſe bonus eſſentialiter inclinat ad actum verum: igitur.

Solvuntur Objectiones.

OBjicies: Veriſimile eſt nonnunquam fieri poſſe ut fides verſetur circa objectum minime revelatum a Deo, ſed quod errore facti & falſo judicio putatur eſſe revelatum; ut ſi quis ruſticus v.g. accipiat a ſuo Paſtore de fide eſſe, beatam Virginem Mariam eſſe unam ex perſonis divinis. Deinde ſi quis crederet aliquam hoſtiam fuiſſe a Sacerdote conſecratam quæ non eſſet conſecrata, eam tamen adoraret: igitur actus fidei quandoque poteſt per accidens & ex parte credentis habere objectum falſum.

Reſpondeo hos & alios ſimiles fidei actus, non eſſe divinæ ſed tantum humanæ fidei actus, quia ut mox diximus, requiritur neceſſario ad verum fidei divinæ actum, ut verſetur circa veritatem reipſa a Deo revelatam, ſi quod creditur eſſe a Deo revelatum, & tamen non eſt niſi ab homine revelatum, fides illa erit ſolum humana. Scilicet objectum quod creditur, apparet & præſumitur eſſe a Deo revelatum; igitur illa fides apparenter tantum & in ſpeciem erit fides divina. Huic regulæ firmiter ſtandum eſt; neque enim exiſtima-

ſtimaveris fidem ſubeſſe uniuſcujuſque opinioni, quaſi credatur fide divina quicquid vere aut falſo exiſtimatur a Deo revelatum, ſed fides eſt neceſſario de veritate a Deo revelata.

Et certe omnis fidei divinæ actus eſt donum Dei; eſt effectus gratiæ moventis, inſpirantis: atqui Deus non inſpirat homini hoſtiam adorare tanquam vere conſecratam quæ revera non eſt conſecrata & merus eſt panis. Item Deus non inſpirat ruſtico credere B. Virginem Mariam eſſe unam ex perſonis divinis, quia hoc fictitium commentus eſt Paſtor ruſticanus: igitur ejuſmodi actus non pertinent ad fidem divinam in rei veritate, ſed tantum apparenter.

Inſtabis: Ruſticus qui non crederet præfatam propoſitionem ſibi annuntiatam velut de fide a proprio Paſtore, foret hæreticus: ergo quando credit aſſenſus ille eſt fidei divinæ.

Diſt. ant. Foret hæreticus apparenter præſumptive & juxta judicium Paſtoris illius, vel etiam ex proprio affectu, C. Effective & in rei veritate, N. Sic nimirum eſſet diſpoſitus, ut nollet aſſentiri propoſitioni quam crederet a Deo revelatam, ſed quia non eſt re ipſa revelata, re ipſa non foret hæreticus.

Inſtabis: In illa hypotheſi credit hoc ruſticus quod prudenter ipſe credibile eſt & apparenter ex prudenti judicio videtur a Deo revelatum, hoc videlicet ipſi annuntiante proprio Paſtore, cui in iis quæ ad religionem attinent, fidem adhibere tenetur: atqui ad verum fidei divinæ actum, ſatis eſt quod ejus objectum ſit apparenter & ex prudenti hominum judicio verum & a Deo revelatum. Si quidem ſatis eſt ad actum virtutis moralis; quod ejus objectum tale ſit apparenter quale eſſe deberet, erit enim v. g. actus eleemoſinæ meritorius, ſi eleemoſina erogetur alicui qui apparenter & in ſpeciem pauper ſit, quamvis ſit dives: igitur.

Reſpondent nonnulli Theologi virtutes quoque morales, nimirum ſint ſupernaturales, tum ex natura ſua cum ex modo operandi, determinatas eſſe ad verum & bonum, ita ut errori etiam in facto & ex parte ſubjecti non ſint obnoxiæ; quia, inquiunt, virtutes illæ utpote ſupernaturales, donum ſunt Dei & ſuos actus efficiunt ex motione & applicatione Spiritus ſancti. Quocirca præfatus eleemoſinæ actus quæ erogaretur diviti, foret actus virtutis naturalis bonitatem habentis naturalem; ſed non eſſet actus bonus in ordine ſupernaturali, quia cogitari non poteſt Deum inſpiraſſe homini ut diviti eleemoſinam erogaret ſub conditione pauperis.

Reſpondent alii poſt S. Thomam quæſt. 1. art. 3. ad 1. id eſſe diſcriminis inter virtutes intellectus, qualis eſt fides, & virtutes voluntatis, qualis eſt eleemoſina; quod omnes virtutes quæ perficiunt intellectum, excludunt totaliter falſum, quia verum eſſentialiter eſt bonum intellectus: at vero virtutes quæ perficiunt voluntatem non excludunt totaliter falſum, quia de ratione virtutis moralis eſt ſolum quod reſpiciat bonum poteſt enim aliquis ſecundum juſtitiam aut temperantiam agere, habens falſam aliquam opinionem de eo circa quod agit, & ita, cum fides perficiat intellectum, & ſit virtus intellectualis; charitas autem perficiat voluntatem, ſitque virtus moralis, non eſt par utrobique ratio.

Addi poteſt, quod clarius iſtam ſolvit difficultatem; in eo diſparem eſſe rationem inter hoc utrumque exemplum propoſitum, quod actus fidei tunc non habet ſuum objectum materiale, quando nimirum creditur res tanquam a Deo revelata quæ reipſa non eſt revelata, at vero actus eleemoſinæ ſuum habet objectum legitimum, tametſi erogetur diviti qui creditur pauper, quod enim homo cui erogatur eleemoſyna, ſit dives vel pauper, hoc videtur plane extrinſecum reſpectu hujus actus miſericor-

ricordiæ, quo fit ut inde non reddatur vitioſus eſſentialiter.

Objicies: Si aliquis ante Chriſti Nativitatem credidiſſet Chriſtum fore naſciturum, actus ille fuiſſet vere actus fidei divinæ: ſed ſi continuaſſet illum fidei actum etiam poſt natum Chriſtum, quod maxime poſſibile eſt, ille actus in fine & poſt Nativitatem Chriſti habuiſſet objectum falſum, ut per ſe patet: igitur fides aliquando poteſt habere objectum falſum.

Reſpondeo in iſta hypotheſi in qua Judæus aliquis crediddiſſet Chriſtum naſciturum quo tempore jam natus erat Chriſtus, hunc actum fuiſſe actum fidei humanæ & quidem falſæ; falſo enim exiſtimaſſet Chriſtum naſciturum. Vel cum aliis Theologis reſponderi poteſt ante & poſt Chriſti Nativitatem pertinuiſſe tantum ad Fidem divinam credere Chriſtum naſciturum pro hac nimirum temporis differentia pro qua erat vere naſciturus: unde hic fidei actus pro objecto ſuo habuit Chriſtum naſciturum confuſe cognito tempore in quo erat naſciturus.

Eodem prope modo reſpondetur objectioni quæ proponi ſolet de Hoſtia quæ adoratur, quantumvis non ſit vere conſecrata; actus enim fidei in illo homine Hoſtiam adorante fertur ſemper ad Chriſtum ex hypotheſi nempe quod rite peracta fuerit conſecratio; eſt enim ſolum de fide Chriſtum eſſe ſubſtantialiter præſentem in Euchariſtia, quando vere conſecrata eſt Hoſtia, non autem quamlibet in particulari Hoſtiam eſſe rite conſecratam. Quamquam ſine legitimo fundamento hac de re dubitandum non ſit, ſed fide humana credendum factam rite conſecrationem.

Objicies: Si ad verum fidei divinæ actum requireretur, ut objectum ejus ita eſſet verum, ut in illud nullo modo falſum cadere poſſet, ſequeretur omnem veritatem credendam eſſe evidenter veram; quod enim ita proponitur tanquam certum etiam prius quam fide divina credatur adeo ut falſum eſſe non poſſit, eſt evidenter verum. Abſurdum conſequens, myſteria enim fidei non ſunt evidenter vera: igitur.

Nego maj. & ſequelam: Licet enim quodlibet objectum fidei ſit certum quia eſt a Deo revelatum, non ideo tamen eſt evidens. Eſto quod evidens ſit iſta propoſitio quæ præambula eſt ad fidem, *objectum fidei eſt ſemper verum*. Non omne tamen fidei objectum eſt evidens; clare & evidenter cognoſco Deum eſſe veracem & ita falſum revelare non poſſe, ſed non ideo evidens eſt quicquid Deus revelavit; non idcirco evidens eſt quomodo tres perſonæ poſſint unam & eandem numero naturam habere. Immo licet, ut infra dicturi ſumus, evidens ſit Deum revelaſſe omnia quæ credimus, hæc tamen fidei objecta non ſunt propterea in ſe evidentia. Trinitas perſonarum v. g. manet ſemper reſpectu noſtri myſterium inſcrutabile, quamvis per motiva credibilitatis evidens nobis ſit Deum reipſa Trinitatem revelaſſe. Scilicet per motiva credibilitatis myſteria fiunt prudenter credibilia, non fiunt evidenter vera, aut potius non fiunt evidentia.

Quæres an certum ſit aſſenſum fidei divinæ numquam poſſe eſſe falſum.

Reſpondeo partem affirmativam vulgo propugnari a Theologis, contrarium tenente Ripalda qui de ente ſupernaturali diſput. 59. ſect. 5. ſcribit valde probabilem eſſe ſententiam quæ affirmat actum fidei ſupernaturalem poſſe divinitus aſſentiri falſo.

Probatur: Quia hujus momenti & roboris ſunt argumenta quæ mox attulimus ad aſſerendam hanc noſtram ſententiam, ut ex iis aperte ſequatur tum certum eſſe quam quod certiſſimum, nunquam fidem verſari poſſe circa falſum: argumentum ſcilicet depromſimus ex natura ipſius fidei quæ neceſſario habet pro objecto veritates a Deo revelatas,

Digitized by Google

latas ; præterquam quod hæc doctrina expreſſe definita eſt a Patribus Tridentinis ſeſſ. *6.* cap. *9.* affirmantibus falſum ſubeſſe non poſſe fidei.

At, inquit Ripalda, non omnis cognitio ſupernaturalis ex natura ſua determinata eſt ad verum, ſicut affectus ſupernaturalis poteſt eſſe vitioſus, ſi nempe fiat ex motivo inhoneſto, ut ſi quis velit exercere actum miſericordiæ ex intentione vanæ gloriæ.

Reſpondeo nihil omnino virium eſſe in hoc ratiocinio: neque enim contendimus actum fidei divinæ falſum eſſe non poſſe præciſe quia ſupernaturalis eſt, ſed quia abſolute loquendo impoſſibile eſt Deum revelare hominibus aliquid falſum; & aliunde conſtat hoc ſolum eſſe fidei divinæ objectum quod a Deo revelatum eſt.

Quæres an ſaltem fides, hoc eſt, fidei habitus inclinare poſſit ad falſum.

Reſpondeo nunquam fidei habitum poſſe inclinare ad falſum. Siquidem habitus de ſe & eſſentialiter inclinans ad aſſentiendum propoſitionibus a Deo revelatis, nunquam poteſt inclinare, ad falſum, Deus enim non poteſt revelare falſum: ſed fides eſt habitus de ſe & eſſentialiter inclinans ad aſſentiendum propoſitionibus a Deo revelatis, quilibet enim habitus de ſe inclinat ad proprios actus eliciendos: igitur fides non poteſt inclinare ad falſum.

Objicies: Fieri poteſt ſyllogiſmus cujus una propoſitio erit de fide, altera vero naturalis, ut ſi quis Eutychianus hoc pacto argumentetur. In eo eſt unica natura, in quo unica eſt perſona; ſed in Chriſto unica eſt perſona: ergo & unica natura. Atqui hoc in ſyllogiſmo fides inclinat ad falſum; ſiquidem propoſitio minor quæ eſt de fide inclinat & parit aſſenſum qui præbetur concluſioni falſæ, quandoquidem aſſenſus præmiſſarum eſt cauſa aſſenſus qui præbetur concluſioni: fides itaque nonnunquam inclinat ad falſum.

Nego min. Quia nempe aſſenſus minoris propoſitionis in præfato ſyllogiſmo non parit aſſenſum concluſionis; non ſequitur enim unicam eſſe naturam in Chriſto, ex eo quod ſit in eo unica perſona, niſi ex mala applicatione quæ fit ab Eutychiano ſupponente tanquam veram hanc propoſitionem quæ tamen falſa eſt, *in eo unica eſt natura, in quo unica eſt perſona*, unde ſublata majori propoſitione iſtius ſyllogiſmi, e minori non bene erueretur concluſio. Revera aſſenſus fidei, qua nimirum creditur minor propoſitio, occaſio eſt aſſenſus falſi qui præbetur concluſioni, ſed per ſe non eſt illius cauſa, falſum enim per ſe non ſequitur ex vero; quemadmodum in moralibus ſcandalum occaſione boni alicujus operis acceptum, non oritur per ſe ex actu bono operantis, ſed ex mala diſpoſitione accipientis.

De objecto formali Fidei.

Quodnam ſit objectum formale Fidei.

Objectum formale fidei accurate definitur, ut diximus, ratio formalis ſub qua fides ſuum attingit objectum materiale, quo pacto intelligi & explicari debet objectum formale cujuſcumque habitus & diſciplinæ, quanquam, ut video, ab hac objecti formalis notione & idea valde recedant quam multi Theologi, qui propterea in aſſignando objecto formali fidei aut parum accurate aut omnino male loquantur.

Scilicet objectum formale fidei confundunt cum motivo aſſentiendi, & idcirco contendunt objectum formale fidei eſſe veracitatem divinam, vel ut alii loquuntur, cum S. Thoma veritatem primam revelantem, quia nimirum hæc prima veritas utpote in dicendo infallibilis, eſt motivum aſſentiendi rebus revelatis, eſt enim id pro-

pter quod intellectus noſter aſſentitur omnibus propoſitionibus ad fidem divinam pertinentibus.

Volunt alii veracitatem divinam eſſe quidem cauſam certitudinis in actu fidei, quia fides ex eo certa eſt maxima omnium certitudine quod eſt aſſenſus in certo & infallibili Dei teſtimonio fundatus, ſed non eſſe propterea objectum formale ipſius Dei, quia non eſt ratio ſpecifica conſtituens fidem in ratione fidei, unde ſatius putant dicere objectum formale fidei eſſe revelationem divinam, cui ſententiæ ſubſcribimus.

Conclusio.

Objectum formale fidei divinæ eſt revelatio Dei.

Probatur, quia objectum formale fidei eſt ratio ſub qua fides divina attingit ſuum objectum materiale: ſed revelatio Dei eſt ratio ſub qua fides attingit objectum ſuum materiale: fides enim divina nihil eſt aliud quam habitus inclinans intellectum ad aſſentiendum veritatibus a Deo revelatis, & actus fidei eſt aſſenſus mentis quo creduntur veritates a Deo revelatæ: igitur revelatio eſt objectum formale fidei.

Et certe objectum formale cujuſcunque habitus, uti & cujuslibet artis & diſciplinæ, eſt ratio formalis illum habitum ſpecificans & ab omni alio diſtinguens: ſed revelatio Dei fidem divinam ſpecificat & diſtinguit ab omni alio habitu; ſi enim v. g. comparetur fides divina cum ſcientia & opinione, quæ ſimiliter ſunt habitus intellectuales, per hoc præciſe fides ab illis habitibus diſtinguitur, quod inclinet ad aſſentiendum veritatibus a Deo revelatis; unde ſi præbeatur aſſenſus alicui veritati, quia hæc veritas clare & evidenter cognoſcitur, aſſenſus ille erit ſcientiæ: ſi quis aſſentiatur eidem veritati, quia ſic omnes vulgo aſſentiunt, aſſenſus erit opinionis; ſi vero præbeatur aſſenſus huic veritati quia Deus eam revelavit, eo præciſe aſſenſus ille erit fidei divinæ: igitur revelatio Dei eſt ratio formalis conſtituens fidem in ratione fidei divinæ. Quemadmodum revelatio ſeu teſtimonium hominis eſt id quo formaliter conſtituitur fides humana, ſiquidem actum fidei humanæ eſt aſſenſus qui datur alicui propoſitioni quia ab aliquo homine revelata eſt.

Solvuntur Objectiones.

Objicies: Aptius dicitur veracitatem Dei eſſe objectum formale fidei, ut plerique cenſent Theologi poſt Sanctum Thomam qui q. 1. art. 1. in corpore ſic habet: *Sic igitur in fide, ſi conſideremus formalem rationem objecti, nihil aliud eſt quam veritas prima.* Igitur poſitum non eſt in revelatione Dei.

Nego ant. Illud enim non eſt objectum formale fidei divinæ, quo ſublato poſſet eſſe actus fidei divinæ: ſed ſublata veracitate divina poſſet eſſe actus fidei divinæ, poſita aliunde revelatione divina. Nam ſi per impoſſibile Deus non eſſet in dicendo verax, imo ſi aliquando mentiretur, & falſum revelaret, quicunque crederet Deo revelanti & aliquam propoſitionem teſtificanti, actum fidei divinæ eliceret, aſſenſus ille foret verus fidei divinæ actus; actus enim fidei divinæ eſt in eo qui credit rem a Deo revelatam, neque profecto alia eſt fidei divinæ notio. Quamobrem veracitas divina efficit quidem ut actus fidei divinæ ſit certus, ſed non efficit præciſe illum eſſe actum fidei. Contra vero revelatio præciſe efficit actum fidei, eumque formaliter conſtituit in ratione actus fidei quem per hoc diſtinguit ab actu ſcientiæ & opinionis.

Inſtabis: Objectum formale fidei divinæ eſt motivum aſſentiendi, motivum propter quod intellectus aſſentitur veritatibus revelatis a Deo, atqui talis eſt veracitas divina; ſi enim quæratur ab ali-

Digitized by Google

aliquo fideli cur credat tres eſſe in Deo perſonas, reſpondebit quia Deus qui hoc revelavit, verax eſt ejuſque teſtimonium certum & infallibile: igitur divina veracitas eſt objectum formale fidei.

Diſt. maj. Eſt motivum aſſentiendi proximum, C. remotum, N. Itaque objectum formale fidei non eſt omne motivum aſſentiendi; quod ut intelligatur, ſciri debet multiplex eſſe motivum aſſentiendi, quia motivum aſſentiendi dicitur id omne quod movet intellectum ad aſſentiendum veritatibus a Deo revelatis: ſed plura ſunt in actu fidei quæ movent intellectum ad aſſentiendum veritatibus a Deo revelatis, ac 1. quidem revelatio Dei, credimus enim quia Deus revelavit: 2. Veracitas divina, & ut ait S. Thomas, veritas prima, credimus enim quia Deus eſt in dicendo verax; 3. Autoritas Eccleſiæ proponentis, credimus enim quia hoc & illud eſſe revelatum definit Eccleſia. 4. Argumenta extrinſeca quæ dici ſolent motiva credibilitatis, credimus enim, quia hæc momenta perſuadent certam eſſe Dei revelationem. Unde manifeſte ſequitur non omne motivum aſſentiendi eſſe objectum formale fidei, quia non omne motivum aſſentiendi formaliter conſtituit ac ſpecificat actum fidei.

Scilicet ſi emendate loquamur, uti maxime neceſſe eſt in iſtis quæſtionibus metaphiſicis, veracitas divina non conſtituit formaliter actum fidei in ratione actus fidei, ſed in ejus certitudinem influit; quia, ut diximus, ſi per impoſſibile Deus non eſſet verax, eliceretur tamen actus fidei divinæ aſſentiendo rebus ab ipſo revelatis. 2. Autoritas Eccleſiæ proponentis non efficit quoque formaliter actum fidei, ſed determinat ſolum quid ſit credendum, diſcernens revelata a non revelatis, ut poſtea explicabitur. 3. demum, nec motiva credibilitatis formaliter efficiunt fidei actum, ſunt enim argumenta quædam extrinſeca quæ ſolum efficiunt prudenter credibile quod per fidem creditur. Unde ſupereſt ſolam revelationem eſſe objectum formale fidei, quia ſola revelatio eſt motivum aſſentiendi proximum, eaque ſola conſtituit ac ſpecificat actum fidei.

Ex quibus ſequitur manifeſte falſum eſſe quod dicunt plerique Theologi, objectum formale fidei eſſe id omne in quod ultimate reſolvitur fides noſtra; ex quo principio inferunt revelationem divinam non eſſe objectum fidei formale fidei; quia hæc non eſt id in quod ultimo reſolvitur fides, ſiquidem ſemel admiſſa revelatione, ulterius quæri poteſt cur credatur rei revelatæ, & reſpondetur quia Deus eſt verax.

Nego itaque objectum formale fidei divinæ eſſe illud in quod ultimo reſolvitur fides divina, contra vero dico objectum formale fidei illud eſſe quod formaliter efficit actum fidei eumque ab actu ſcientiæ, opinionis, & aliorum habituum diſtinguit, cujuſmodi eſt revelatio Dei quæ eſt motivum proximum aſſenſus in actu fidei divinæ.

Objicies: Illud non eſt objectum formale fidei quod eſt ſolummodo conditio ſine qua objectum fidei non crederetur; qua ex cauſa, ut ajunt Philoſophi, cognitio finis non eſt id quod determinat voluntatem ad proſequendum finem per modum objecti, ſed ſolum per modum conditionis ſine qua non, quatenus finis non movet agens niſi ab eo cognitus ſit: atqui revelatio eſt tantum conditio ſine qua non moveretur intellectus ad aſſentiendum: igitur non eſt objectum formale fidei.

Nego min. Siquidem revelatio Dei non ſolum eſt conditio ſine qua non, ſed verum eſt ac proprie dictum motivum aſſentiendi, ſuam enim & quidem maximam habet autoritatem qua moveantur & ad credendum adducantur homines; credimus enim veritates a

Deo revelatas quia revelatæ ſunt, & in hoc aſſenſus ille qui præbetur ab intellectu, eſt actus fidei divinæ quia Deus hanc veritatem revelavit. Jam vero appoſita non eſt comparatio adducta, deberet enim inſtitui inter cognitionem finis & cognitionem revelationis, non autem inter cognitionem finis & revelationem.

Objicies: Revelatio eſt ſolum denominatio extrinſeca; ſicut viſio & cognitio reſpectu objecti: ergo non eſt ratio formalis & intrinſeca conſtituens fidem.

Diſt. ant. Eſt denominatio extrinſeca reſpectu rei revelatæ, C. reſpectu fidei; N. Revelatio quidem mera eſt denominatio extrinſeca reſpectu rei revelatæ, nam v. g. aliquid mere extrinſecum eſt reſpectu Sanctiſſimæ Trinitatis, quod revelata ſit hominibus; ſed revelatio non eſt extrinſeca reſpectu fidei, eſt enim id quo formaliter conſtituitur in ratione fidei; ſicut cognitio eſt quidem denominatio mere extrinſeca reſpectu objecti cogniti, non autem reſpectu Philoſophiæ, quæ quidem ipſa eſſentialiter cognitio eſt.

Objicies: Si divina revelatio eſt objectum formale fidei, hoc eſt ratio ſub qua fides attingit ſuum objectum materiale, oportet in aſſenſu fidei procedere in infinitum: quia cum aſſentimur huic propoſitioni, Deus revelavit ſe eſſe trinum & unum, aut iſta propoſitio eſt etiam revelata, aut non eſt revelata; ſi non eſt revelata, jam ei aſſentiri non poſſumus per fidem; ſi vero eſt revelata, vel per ſe ipſam, vel per aliam propoſitionem; ſi per aliam, igitur & iſta per aliam, & ſic in infinitum. Non poteſt dici illam eſſe revelatam per ſe ipſam, quia quod revelatum eſt per aliquam propoſitionem, utique objectum eſt talis propoſitionis; ſed eadem propoſitio non poteſt eſſe objectum ſui ipſius: igitur.

Nego maj. & ſequelam: Ad cujus probationem dico in vera fidei analyſi hanc propoſitionem (Deus revelavit ſe eſſe trinum) non cenſeri inter propoſitiones revelatas, hoc enim factum, quod nempe Deus revelaverit omnia quæ nobis credenda proponuntur, præambulum quoddam eſt fidei, ut fuſius dicetur poſtea, cujus intelligentia prærequiritur ad primum fidei divinæ actum, ſcilicet actus quilibet fidei divinæ habet pro objecto veritatem aliquam a Deo revelatam: ſed priuſquam huic veritati a Deo revelatæ aſſentiatur intellectus, quædam certo prænoſci debent ſaltem ab iis qui cum aliqua ratione, diſcurſu & methodo ſuos fidei actus efformant (non loquimur enim pro rudibus & viris de plebe) ſcilicet certi prius eſſe debent Deum exiſtere, Deum eſſe veracem & in dicendo infallibilis teſtimonii, a Deo revelatum eſſe quidquid continetur in verbo Dei tum ſcripto tum tradito, quæ quidem fidei præambula, quatenus cognoſcuntur priuſquam primus eliciatur fidei actus, clare & evidenter innoteſcunt per demonſtrationes & motiva credibilitatis nec tanquam revelata habentur, niſi quando hæc eadem leguntur in Scripturis in numero veritatum a Deo revelatarum, quo fit ut in fidei reſolutione & analyſi nullus ſit proceſſus in infinitum, cum dicimus revelationem eſſe rationem ſub qua fides attingit ſuum objectum.

His adde etiam credi poſſe propter revelationem & per fidem Deum nonnulla fidei myſteria revelaſſe, quando nimirum id Deus teſtatur in Scripturis, Joan. 1. *Deum nemo vidit unquam: unigenitus filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit*. Et 2. Petri 1. cap. *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia: ſed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines*. Tunc enim creditur Deum revelaſſe propter hanc revelationem qua Deus id aſſerit.

Inſta-

Digitized by Google

Inſtabis: Si ratione naturali non autem per fidem, cognoſceretur revelatio, hoc eſt, Deum revelaſſe omnia quæ per fidem credimus, ſequeretur obiectum formale non eſſe æque certum ac objectum materiale, quia ſcilicet quod certum eſt tantum per diſcurſum humanum & rationem naturalem, minus certum eſt quam quod per fidem divinam creditur, ut docent plerique omnes Theologi: abſurdum conſequens, quia quod eſt motivum & ratio propter quam aſſenſus præbetur alicui veritati, debet ipſum æqualis ſaltem ſi non majoris eſſe certitudinis, ac veritas illa quæ creditur: igitur revelatio aut creditur per fidem & aliam revelationem, aut non eſt objectum formale fidei divinæ.

Nego min. & dico nihil abſurdi eſſe quod dicatur objectum formale minus certum eſſe quam objectum materiale; quia generatim loquendo neceſſe non eſt ut omnia quæ ad actum fidei eliciendum conſpirant, vel etiam in quorum cognitione fundatur omnis fidei actus, ſint ejuſdem certitudinis cum ipſa veritate a Deo revelata. Nimirum quædam ſunt præambula fidei per diſcurſum primo cognoſcuntur, alia quæ ſenſibus percipiuntur, alia quæ cum ſint facta hiſtorica autoritate teſtimoniorum humanorum innoteſcunt, ſed quorum tamen cognitio ita prærequiritur ad fidei actum, ut tota fides noſtra nutaret, niſi illa omnia forent certiſſima. Nam certo credimus v. g. Deum eſſe trinum in perſonis, ſed actus ille fidei non eſt certus, niſi certum ſit Deum iſtud revelaſſe; certum non eſt Deum hoc revelaſſe; niſi quatenus revelatio facta eſt evidens per miracula Chriſti & alia motiva credibilitatis vel propter teſtimonium Eccleſiæ contra Socinianos Scripturam explicantis; nemo autem certo adhærere poteſt autoritati Eccleſiæ Scripturam interpretantis, quin cognoſcat quænam ſit vera Eccleſia, quod certe cognoſcit per diſcurſum & argumenta ex ratiocinio & hiſtoria petita. Dehinc quiſquis actum fidei divinæ elicit circa veritatem a Deo revelatam, debet prius certo ſcire Deum exiſtere, ſed ut cognoſcat Deum exiſtere, videlicet per creaturas, certus eſſe debet creaturas exiſtere: ac proinde multa ſunt per diſcurſum & ratione naturali cognita, quorum certa cognitio abſolute prærequiritur ad fidei actum, & tamen non cognoſcuntur ipſa per fidem quatenus ſunt præambula ad fidem, & antequam primus efformetur fidei divinæ actus. Unde ſequitur nihil abſurdi eſſe, quod revelatio ſit objectum formale fidei, tametſi non cognoſcatur per aliam revelationem. Nimirum modo illa omnia quæ ad fidei actum eliciendum conferunt, ſint certa, ita ut nullam dubitandi formidinem relinquant in credente, neceſſe eſt ut ſint æqualis certitudinis cum ipſis veritatibus a Deo revelatis.

De revelatione divina.

Circa revelationem Dei, quam modo diximus eſſe objectum formale fidei divinæ, multæ inter Theologos agitantur quæſtiones pro multiplici revelationis diviſione, nimirum revelatio dividitur: 1. in claram & obſcuram. 2. in publicam & privatam. 3. in mediatam & immediatam. 4. in explicitam & implicitam, de quibus ſigillatim agendum eſt.

De Revelatione clara.

Utrum Revelatio credendorum debeat eſſe clara & evidens.

Proponitur hæc quæſtio multis variiſque modis, qui tamen eundem plane ſenſum exhibent, nimirum quæritur utrum revelatio ſit clara & evidens, vel utrum revelatio ſit evidens

ex

ex parte Dei teſtificantis ; vel utrum evidens ſit Deum revelaſſe ea omnia quæ nobis credenda proponuntur : vel utrum fidei objectum ſit evidenter credibile ; vel denique utrum religio chriſtiana ſit evidens ; quæ quidem omnia plane idem ſignificant.

Volunt nonnulli Theologi evidentiam revelationis ex parte Dei teſtificantis ſtare non poſſe cum ea obſcuritate quæ fidei eſſentialis eſt ; unde contendunt nonniſi per fidem divinam nobis innoteſcere Deum revelaſſe omnia quæ creduntur, per quam ſcilicet actu ſupernaturali creduntur.

Contra vero cæteri communiter docent revelationem neceſſario eſſe evidentem, quatenus nemo legitime adduci poteſt ad aſſentiendum alicui veritati ex motivo fidei divinæ, hoc eſt, quia ejusmodi veritas eſt a Deo revelata ; niſi prius ipſi aliquo modo innotuerit Deum re ipſa revelaſſe quod proponitur credendum tanquam a Deo revelatum : quod certe factum non poteſt dici cognitum per revelationem, quia, ut paulo ſupra diximus, hæc revelatio cognoſceretur rurſus per aliam revelationem, & ſic daretur progreſſus in infinitum.

Dixi (niſi prius aliquo modo innotuerit Deum revelaſſe) neque enim exiſtimandum eſt eadem eſſe motiva credibilitatis pro omnibus & ſingulis fidelibus, unuſquiſque ſuo modo convincitur, ſuo modo prænoſcit revelationem priuſquam credat, ad credendum hanc veritatem. facti alios alia inducunt argumenta, docti quidem invicte perſuadentur Chriſti miraculis, ut latius poſtea explicabitur, rudes vero & mulierculæ ſolo Paſtoris ſui teſtimonio, qua ratione præoccupatur præcipua adverſariorum objectio, cum dicunt ideo revelationem non eſſe evidentem, quia multi fideles credunt nullo ducti motivo credibilitatis.

Deinde (quod diligentiſſime obſervandum eſt) quando quæritur utrum revelatio ſit evidens, quæſtio non eſt utrum omnes & ſinguli fideles ſemper aliquo moveantur evidenti argumento ad credendum hoc revelationis factum ; ſed difficultas eſt utrum valida ſuppetant momenta quibus perſpicue & evidenter probari poſſit Deum revelaſſe hæc omnia quæ credenda proponuntur ab Eccleſia, ita ut perinde ſit quod actu cognoſcantur ab omnibus illa momenta, vel non cognoſcantur. Quemadmodum quando quæritur utrum ratione naturali demonſtrari poſſit Deum exiſtere, qui dicunt clare & evidenter demonſtrari exiſtentiam Dei, hoc ſolum prætendunt valida ſuppetere argumenta quibus invicte demonſtretur exiſtentia Dei : quibus poſitis ſit

Conclusio.

Revelatio divina ſumpta ex parte revelantis, clara eſt & evidens ; hoc eſt, clare & evidenter oſtenditur a Deo revelata eſſe quæcunque credimus.

Probatur : Quia evidens eſt a Deo revelata eſſe quæcunque credimus, ſi perſpicuum maxime & evidens ſit omnia & ſingula quæ leguntur in Scripturis ſacris vel ab ipſo Deo dictata, vel ſaltem a Scriptoribus divinitus inſpiratis tradita fuiſſe ſed evidens maxime eſt perſpicuum hæc omnia quæ leguntur in Scripturis ſacris, vel ab ipſo Deo dictata fuiſſe, vel ſaltem a Scriptoribus inſpiratis. Nam evidens eſt ea vere a Deo profecta quæ tanquam divina & in nomine Dei annunciata ſunt ab hominibus, qui hancce ſuam doctrinam ſignis ſenſibilibus & miraculis confirmarunt : ſed veritates in Scripturis ſacris contentæ tanquam verbum Dei annuntiatæ fuerunt ab hominibus qui hoc ipſum multis ſignis ſenſibilibus & veris miraculis confirmarunt, quod abunde præſtitum eſt a Moyſe quinque priorum veteris Teſtamen-

menti librorum Scriptore divino, tum a Prophetis qui maximam divini Verbi partem annunciarunt in nomine ipſius Dei, tum denique a Chriſto Domino ejuſque diſcipulis, cum ſuam a Deo legationem comprobare voluerunt: igitur evidens eſt Deum revelaſſe omnia quæ fidelibus credenda proponuntur.

Certe ejuſmodi ſigna & miracula neceſſaria eſſe ut certo credibile reddatur id omne quod credendum proponitur, ex eo manifeſte patet, quod & cautum fuit ab ipſo Chriſto ut miſſionis ſuæ veritatem variis obſignaret miraculis, & teſtatur expreſſe nihil culpæ futurum fuiſſe hominibus qui non credidiſſent, niſi vera edidiſſet miracula in confirmationem ſuæ doctrinæ; Marci ultimo cap. dicitur de Apoſtolis, *Illi autem profecti prædicaverunt ibique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis;* de quibus nempe paulo ante dixerat, *In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, ſerpentes tollent; & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit.* Joan. 10. cap. Chriſtus ait, *Loquor vobis & non creditis opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me.* Et poſtea, *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoſcatis & credatis quia Pater in me eſt.* Cap. 14. *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt? Alioquin propter opera ipſa credite.* Quod idem diſertiſſime docet Apoſtolus ad Hebræos 2. cap. *Quomodo*, inquit, *nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem? Quæ cum initium accepiſſet enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt, & in nos confirmata eſt, conteſtante Deo ſignis & portentis, & variis virtutibus.* Ex quibus manifeſtum eſt Chriſtum & Apoſtolos ſigna adhibuiſſe & miracula in confirmationem ſuæ doctrinæ, ut omnibus pateficeret eam eſſe divinam, verbum ipſum Dei, quo fit ut revelatio Dei merito dicatur clara & evidens, Deus enim non poteſt falſum quid confirmare per opera ſupernaturalia.

Probatur 2. Cum Deus ubique nobis præcipiat ut firmiſſime & certiſſime credamus quæcunque revelavit, eaque ſint maxima ex parte creditu difficilia, ſupra humanæ mentis captum poſita; certe non ſine magna temeritate & imprudentia crederemus quod nobis credendum proponitur, niſi evidens eſſet illud revera fuiſſe a Deo revelatum; hoc, inquam, crederemus ſine judicio, prudentia, & diſcretione; neque enim licet quidquam promiſcue & indifferenter credere, ut monet Apoſtolus ad Galatas cap. 1. his verbis: *Sed licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis præter quam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit.*

Quibus adde quod legitur Eccleſiaſtici cap. 19 *Qui cito credit levis eſt corde.* Deinde qui crederet minime certus Deum revelaſſe, erroris ac ſuperſtitionis periculo manifeſte exponeretur: ſiquidem non defuerunt homines qui mendacium ſub nomine Dei loquuti ſint, ut habetur Jeremiæ 23. *Non mittebam Prophetas & ipſi currebant. Non loquebar adeos & ipſi prophetabant.* Sed tuto & ſine erroris periculo credere debemus: Igitur clare & evidenter conſtare debet Deum revelaſſe quæcunque credimus tanquam a Deo revelata.

Probatur 3. Quia priuſquam primus eliciatur fidei actus de quocunque fidei divinæ objecto, de quacunque veritate a Deo revelata, neceſſe eſt ut homo fidelis certo ſciat Deum hanc fidei veritatem revelaſſe; nemo enim firmiter aſſentiri poteſt veritati a Deo revelatæ ſi dubitat an Deus eam revelaverit: ſed Deum revelaſſe quæcunque credenda proponuntur, aliter innoteſcere non poteſt quam per motiva credibilitatis clare & evidenter cognita, cujuſmodi ſunt potiſſimum miracula Chriſti & Apo-

Digitized by Google

Apoſtolorum. Vel enim innoteſceret Deum revelaſſe per aliam revelationem vel per evidentiam quorumdam argumentorum; ſed non poteſt dici revelationem credendorum hominibus innoteſcere per aliam revelationem, quæ ipſa eſſet de fide; tum quia agitur de primo fidei actu quem eliceret fidelis Chriſtianus, ad quem proinde eliciendum moveri non poteſt per aliam revelationem, per alium fidei actum; tum quia id manifeſte abſurdum eſt, ſi enim Deum revelaſſe cognoſceretur per aliam revelationem, iſta revelatio iterum deberet propter eandem rationem cognoſci per aliam revelationem, & ſic daretur progreſſus in infinitum, ut jam diximus: ergo ſaltem cum primus fidei divinæ actus elicitur, non debet dici revelationem Dei nobis innoteſcere per fidem; ſed per valida credibilitatis motiva cognoſcitur; adeoque clara & evidens eſt revelatio divina.

Cui doctrinæ favet aperte S.Thomas qui quæſt. 1 art. 4. ad 2. requirit in credente motiva credibilitatis: *Non enim crederet*, inquit, *niſi videret ea eſſe credenda, vel propter evidentiam ſignorum, vel propter aliquid hujuſmodi*. Et q. 2. art. 1. ad 1. ſcribit fidem *habere inquiſitionem quandam eorum, per quæ inducitur homo ad credendum, puta quia ſunt dicta a Deo & miraculis confirmata*.

Unde jure merito Innocentius XI. anno 1679. hanc damnavit propoſitionem: *Aſſenſus fidei ſupernaturalis & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolum probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidat ne non ſit locutus Deus*. Quam propoſitionem ſua etiam cenſura notarunt Gallicani Præſules anno 1700. in Comitiis generalibus his verbis: *hæc propoſitio ſcandaloſa eſt perniciosa, & Apoſtolicam Fidei definitionem evertit*.

Solvuntur Objectiones.

Objicies: Si revelatio divina cognoſceretur evidenter & non per fidem divinam, jam fidei noſtræ certitudo penderet ab aliquo judicio pure humano, nimirum quo judicaretur Deum revelaſſe quæ credenda proponuntur; quia certitudo fidei pendet neceſſario a certitudine revelationis, certum eſſe non poteſt illud omne quod Deus revelavit, niſi certo conſtet Deum illud revelaſſe. Atqui dici non poteſt certitudinem fidei pendere ab aliquo judicio pure humano, niteretur enim judicio incerto & fallibili: ergo revelatio non cognoſcitur evidenter, ſed ipſa debet eſſe fidei divinæ objectum.

Nego min. Et dico recte affirmari poſſe fidei noſtræ certitudinem pendere ab aliquo judicio humano & pure naturali, quia, ut jam dixi, multa ſunt fidei præambula quæ in vera fidei noſtræ analyſi ſtatim & cognitione mere naturali cognoſcuntur, antequam primus eliciatur fidei divinæ actus, & in quibus tamen fundatur ipſius vetitatis revelatæ certitudo. Nam certo credimus v. g. per fidem Deum eſſe incarnatum: ſed ille aſſenſus non poteſt eſſe firmus ac certus, niſi certo conſtent innumeræ aliæ veritates quæ notæ ſunt, ratione naturali, vel teſtimoniis, vel ipſa etiam relatione ſenſuum; conſtare enim debet Deum illud revelaſſe, quod quidem factum hiſtoricum probatiſſimis hominum teſtimoniis & Chriſti ipſius miraculis nobis perſuadetur. Conſtare debet Deum eſſe veracem, idque ratione ſola nobis præcognitum eſſe debet, antequam ad primum fidei actum eliciendum accedamus. Conſtare rurſus debet Deum exiſtere, exiſtentia autem Dei primum in fidei analyſi ratione naturali demonſtratur, nec fide creditur niſi quando credenda proponuntur quæcunque continentur in Scripturis. Ut

certo

certo nobis perſuadeatur exiſtentia Dei, conſtare debet mundum e cujus fabrica & gubernatione certo colligitur hæc Dei exiſtentia, ipſum vere exiſtere, quod tamen nonniſi ſenſuum teſtimonio compertum eſt: igitur multa ſunt fidei præambula, in quorum cognitione fundatur fidei certitudo & quæ tamen meræ naturaliter cognoſcuntur.

Neque tamen quidquam propterea e certitudine fidei noſtræ detractum eſſe putamus, quia hæc omnia quibus veluti fundamentis nititur, tametſi per fidem divinam non attingantur, tamen certiſſima ſunt, ita ut a nemine ſanæ mentis compote revocari poſſint in dubium, ut cuivis ad ea ſingula ſedulo ac diligenter advertenti manifeſte patet: Quis enim dixerit dubium & incertum eſſe an Deus exiſtat, an recte inferatur ejus exiſtentia ex mundi opificio & gubernatione, incertum an ſit verax & infallibilis teſtimonii, incertum an locutus fuerit Chriſto loquente, incertum an vera ſint miracula ipſius Chriſti & Apoſtolorum cum ad nos per uniformem coætaneorum hiſtoricorum relationem pervenerint; quantumvis horum omnium certitudo humana veritatis inquiſitione, humano judicio pendeant?

Objicies: Si revelatio Dei redderetur evidens & conſequenter certa per Chriſti miracula, & alia credibilitatis motiva, profecto ad credendum nulla requireretur Dei gratia, his enim motivis abunde convinceretur intellectus, & nullam in credendo experiretur difficultatem: Atqui tamen definitum eſt a Concilio Tridentino neminem credere poſſe ſine Dei gratia, ſeſſ. 6. can. 3. *Si quis dixerit hominem ſine præveniente Spiritus ſancti inſpiratione atque adjutorio credere poſſe ſicut oportet, anathema ſit*. Igitur revelatio non eſt evidens.

Nego maj. Quia tametſi revelatio Dei ſit evidens, hoc eſt, evidens ſit Deum revelaſſe ea omnia quæ creduntur, tamen adhuc graviſſimam experimur difficultatem in aſſentiendo potiſſimum fidei myſteriis quæ humanæ mentis captum excedunt teſte experientia; oportet enim inſuper ut judicium noſtrum ſubmittamus autoritati Eccleſiæ, quæ certum definivit Scripturæ ſenſum. Unde etiam inter Chriſtianos qui Evangelium fatentur a Deo revelatum, variæ ſuboriuntur diſſenſiones de legitimo illius ſenſu, indeque naſcuntur hæreſes. Scilicet motiva credibilitatis oſtendunt evidenter & probant Deum revelaſſe quæcunque in Scripturis continentur, ſed ad actum fidei eliciendum multa alia requiruntur, puta habitus fidei, gratia Spiritus ſancti, ſubmiſſio autoritati Eccleſiaſticæ, &c.

Objicies: Si evidenter notum eſſet Deum revelaſſe omnia quæ per fidem divinam creduntur, jam myſteria & Trinitatis & incarnationis forent evidentia; evidens eſt enim aliunde hoc verum eſſe quod Deus revelavit, quia nec fallere nec falli poteſt, unde ſic argumentari quis poſſet: Evidens eſt Deum revelaſſe incarnationem Verbi, evidens eſt Deum eſſe veracem, & ita res eſſe quomodo a Deo revelatæ ſunt: Igitur evidens eſt Verbum Dei fuiſſe incarnatum.

Nego maj. & dico res omnes a Deo revelatas non eſſe in ſe ipſis evidentes, quantumvis evidens ſit Deum illas revelaſſe; ex eo enim quod evidens ſit Deum revelaſſe fidei noſtræ myſteria ſequitur equidem hæc evidenter eſſe credibilia, ſed non ſequitur ea eſſe evidenter vera, quæ duo magnopere differunt; evidentia credibilitatis petitur ex argumentis rei revelatæ extrinſecis, quæ nimirum formaliter efficiunt non revelatam certo credibilem; ſed rem illam formaliter non efficiunt evidenter veram, ut docet experientia; ſi enim aliquis fidei probatiſſimæ ſtupendum quoddam factum referat, mihi quidem hoc credibile eſt propter autoritatem dicentis

tis quem veracem novi, ſed non minus propterea ſtupendum apparet, hujus veritas non idcirco clare & evidenter percipitur. Et ſimiliter credimus Verbi Incarnationem aliaque fidei myſteria, perſuaſum habentes ea a Deo eſſe revelata, ſed tamen in ſe obſcura ſunt & inevidentia fidelibus.

Objicies: Saltem reſpectu noſtri evidens non eſt Deum locutum eſſe, Deum revelaſſe quæ credimus; impoſſibile eſt enim non viſa perſona loquente evidenter cognoſcere illum loqui. Igitur revelatio non eſt evidens.

Nego ant. Tametſi enim Deum immediate loquentem non viderimus, clare tamen & evidenter cognoſcimus evidentia nimirum teſtimonii Deum eſſe locutum; quemadmodum evidenter, eaque evidentia quæ maximam parit certitudinem, nobis notum eſt extitiſſe aliquando Cæſarem & Alexandrum M. atque etiamnum extare urbem in Italia quæ dicitur Roma. De illa evidentia teſtimonii fuſius dictum eſt ſupra & uberius dicetur, cum veritatem religionis chriſtianæ ſtabiliremus.

Inſtant adverſarii: Locutio naturæ intellectualis, qualis eſt Deus, non poteſt evidenter cognoſci, eſt enim actus immanens: ergo.

Nego ant. Cognoſcitur enim per effectus cum ea neceſſario connexos, puta per verba Chriſti & Apoſtolorum, quæ cum ſint veris ac non fucatis miraculis confirmata, invicte & evidenter probant Deum eſſe locutum. Certe poteſt interdum miraculum evidenter cognoſci per experientiam, ſicut B. Virgo ſciebat evidenter ſe concepiſſe ſine viro & peperiſſe ſine dolore; & Lazarus ſciebat evidenter ſe e mortuis ſuſcitatum. Unde certo colligebant in his Deum operatum fuiſſe ſua nimirum voluntate omnipotenti; ac proinde ex effectibus inſolitis voluntas Dei evidenter cognoſcitur.

Inſtant iterum: Omnis evidentia aut intuitiva eſt, aut per ſigna & effectus habetur: ſed evidentia revelationis nec intuitiva eſt nec per ſigna & effectus habetur; non primum, ut per ſe patet; non ſecundum, quia effectus oſtendunt cauſam operantem, non loquentem: Igitur.

Nego min. Ut enim mox dixi, hæc evidentia revelationis habetur per ſigna & effectus; qui quidem effectus oſtendunt cauſam loquentem, quando cauſa locuta eſt, & in ſuæ doctrinæ confirmationem edidit ſigna & miracula.

At, inquies, nullum ſignum vel miraculum fieri poteſt a Deo, quod non poſſit etiam fieri ab Angelo: ergo numquam poteſt per tale ſignum evidenter conſtare Deum fuiſſe locutum.

Diſt. ant. Si Angelus in nomine & virtute Dei agat, C. Si proprio nomine & propria virtute, N. Ut enim dicetur ſuo loco, cum de miraculis Chriſti Domini agetur, vera miracula ſola Dei virtute patrari poſſunt; unde merito colligitur hanc doctrinam eſſe divinam quæ annuntiatur terris atteſtantibus miraculis.

Utrum motiva credibilitatis ſint abſolute neceſſaria ad credendum.

Poſtquam oſtendimus claram & evidentem reddi revelationem credendorum videlicet ex parte Dei teſtificantis, ſupereſt difficultas utrum abſolute requiratur ad quemlibet fidei actum eliciendum ejuſmodi evidentia argumentorum credibilitatis, ſeu præcedat fidei divinæ aſſenſum, ſeu illum comitetur; ita ut nemo credere unquam poſſit quin ad id moveatur per argumenta clare & evidenter cognita.

CONCLUSIO.

Extraordinarie fieri poſſet ut aliquis crederet nullo ad credendum ductus argumento & motivo credibilitatis; ſed ordi-

Digitized by Google

ordinarie loquendo ut aliquis prudenter credat res revelatas a Deo, debet clare & evidenter cognoſcere Deum revelaſſe. Duæ ſunt hujus concluſionis partes.

Prior pars probatur: 1. Quia recte concipitur quoſdam homines antea Infideles ſtatim ad Chriſtum converti & fidem chriſtianam amplecti nullis excitatos ſignis, nulliſque ad id ductos motivis credibilitatis, quod nempe eos ſingulari fidei gratia & ſupernaturali lumine interius illuſtravit Deus, quomodo forte Lydia purpuraria civitatis Thyatirenorum ſtatim ad Deum converſa eſt nullo viſo miraculo ad ſolam S. Pauli prædicationem, ut habetur in Actis Apoſtolorum cap. 16. *Colens Deum audivit*, inquit, S. Lucas, *cujus Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur a Paulo*.

2. Ruſtici apud quos nullum eſt ingenium, nulla intelligentiæ vis, qua valeant ulla fidei motiva expendere, qui nec verum a falſo diſcernere poſſunt, verum a falſa autoritate, credunt ſimpliciter fide divina quicquid ipſi credendum proponitur, nullis ducti motivis quibus evidenter perſuadeantur Deum revelaſſe quæ ipſi credenda præcipiuntur.

3. Et ſine ullis atteſtantibus ſignis, ſine ullo plane ratiocinio, fidei noſtræ myſteria credunt juvenes in infantia baptizati, cum ad ætatem adultam pervenerunt, credunt, inquam, fide divina beneficio habitus fidei quem acceperunt in baptiſmo, alioquin ipſis non concederetur uſus Sacramentorum, & tamen nullo antea facto examine momentorum, quibus certa demonſtrari ſolet revelatio credendorum: Igitur fieri poteſt aliquando, extraordinarie tamen & per accidens, ut aliquis credat ſine ullo credibilitatis motivo.

Poeſtrior autem concluſionis pars, qua nempe diximus neceſſaria eſſe motiva credibilitatis ad prudenter credendum, probatur ex iis omnibus momentis quæ præcedenti concluſione adduximus, eadem enim non modo evincunt revelationem fieri claram & evidentem per motiva credibilitatis quæ multa nobis ſuppetunt ad credendum, ſed illa ordinarie & per ſe neceſſaria eſſe ad prudenter credendum; nemo enim prudenter credere poteſt aliquem fidei articulum & certo ac firmiter credere quia Deus illum revelavit, niſi certo ipſi conſtet reipſa Deum revelaſſe quod credit: ſed non poteſt, ut oſtendimus, credere per fidem divinam & per revelationem Deum revelaſſe, præſertim ſi agatur de primo fidei actu qui elicitur, aliter daretur progreſſus in infinitum: igitur ad credendum prudenter & cum judicio ac diſcretione, requiruntur motiva credibilitatis, eaque per ſe & ex natura rei ordinarie loquendo neceſſaria ſunt.

Objicies: Contingit ſæpius ut baptizati in infantia, ad ætatem adultam venientes credant per fidem habitualem in Baptiſmo acceptam, nullo ad credendum ducti motivo credibilitatis, nulla facta veritatis inquiſitione, atque hic caſus non eſt extraordinarius ſed maxime communis: ergo per ſe & ex natura rei neceſſaria non ſunt credibilitatis motiva.

Nego ant. & dico hoſce homines in infantia baptizatos non credere fidei noſtræ myſteria ſine ullo credibilitatis argumento, ſcilicet motiva credendi non ſunt eadem pro omnibus, alios alia perſuadent, quædam ſunt pro illis hominibus de plebe & illiteratis, qui ſtatim credunt non magna veritatis inquiſitione facta, quæ reſpectu illorum valida ſunt argumenta; vident nimirum Paſtores & viros doctos prope innumeros in eadem fide conſentientes, quod quidem ipſis ſufficiens eſt motivum ad fundandam certitudinem revelationis a Deo factæ, credibile eſt enim quod a multis & doctis creditur.

Objicies: Non ſemel Chriſtus reprehendit Judæos, quod ad credendum ſigna & miracula petebant, Matt. 12. *Generatio mala & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei*. Joan. 4. *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis*. Igitur motiva credibilitatis non ſunt ordinarie loquendo neceſſaria.

Reſpondeo ex iſtis Chriſti verbis nihil omnino colligi poſſe, quia videlicet eos duntaxat reprehendit qui poſt multa jam viſa miracula credere nolebant, ſed alia ulterius expectabant; vel ad exemplum ſancti Thomæ Apoſtoli ſub aliorum teſtimonio facta fuiſſe miracula non credebant, ſed ipſi videre & quaſi tangere volebant, in quo quidem culpari merito poterant, teſtibus enim fide digniſſimis ſtupenda facta referentibus fides denegari non debet.

Objicies: Ex Apoſtolo ad Romanos cap. 10. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti*. Quaſi dicat Sanctus Paulus nihil aliud ad credendum requiri, niſi ut audiatur verbum Dei, annunciatum ſcilicet ab iis qui ad prædicandum mittuntur: Igitur fides non procreatur ex ſignis & miraculis quæ proinde ad credendum non ſunt neceſſaria.

Reſpondeo vere quidem fidem eſſe ex auditu, quia nemo poteſt credere quin ſciat antea & audierit quid ſit credendum, quid ſit a Deo revelatum, ordinarie ſcilicet loquendo; poſſet enim quis interius a Deo edoceri & ad aliquid credendum moveri ſine beneficio concionatoris. Unde in hoc caſu fides non eſſet ex auditu; ſed docet Apoſtolus fidem eſſe ex auditu ſine excluſione motivorum credibilitatis, quibus prudenter credibile reddatur, hoc eſt, clare innoteſcat fidelibus verbum eſſe divinum quod annuntiatur & auditur; dicit enim alibi idem Apoſtolus, debere obſequium noſtrum eſſe rationabile.

Objicies: Docet idem S. Paulus 1. Corint. 2. ſimpliciter credendum eſſe nulla prorſus adhibenda ratiocinia in materia fidei: *Sermo meus*, inquit, *& prædicatio mea, non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis, ut fides noſtra non ſit in ſapientia hominum ſed in virtute Dei*. Unde familiare eſt SS. Patribus pronunciare fidem eſſe ſimplicem veritatis notitiam & ab omni inquiſitione immunem: igitur neceſſaria non ſunt motiva credibilitatis.

Reſpondeo mentem Apoſtoli eſſe, in materia fidei utendum non eſſe humano ratiocinio ad inveſtiganda & curioſius perſcrutanda fidei noſtræ myſteria, ſed dubio procul non omnem excludit inquiſitionem qua expendatur num revera Deus revelaverit quod credendum proponitur, ut enim prudenter aſſentiamur alicui propoſitioni tanquam a Deo revelatæ, conſtare debet illam fuiſſe a Deo revelatam.

Objicies: Dei teſtimonium per ſe ſolum eſt fide dignum: ergo non requiruntur argumenta quibus confirmetur.

Diſt. conſ. Quibus confirmetur verum eſſe quod Deus teſtificatur & revelat, C. quibus confirmetur Deum revelaſſe, N. Hæc ſolutio uberiori non eget explicatione.

Utrum eodem actu credantur revelatio & res revelatæ.

Contendunt nonnulli Theologi revelationem divinam nonniſi eodem actu fidei divinæ & ſupernaturali credi ſolitam cum rebus ipſis revelatis; quia, inquiunt, objectum materiale & formale eodem fidei actu debent credi; & quia inſuper exiſtimant certitudinem fidei qua creduntur res revelatæ fundari non poſſe in aliqua naturali evidentia, aut, ut ajunt, in fide acquiſita qua crederetur Deum revelaſſe ea quæ credenda proponuntur.

Alii

Digitized by Google

Alii exiſtimant univerſim loquendo nunquam revelationem credi eodem actu quo res revelata creditur, quia, inquiunt, docet experientia eos qui credunt v. gr. Deum eſſe trinum in perſonis, perſæpe de revelatione non cogitare, quando per fidem judicant Trinitatem perſonarum Deo convenire. Quin etſi de revelatione cogitaret quicunque credit Deum eſſe trinum in perſonis, non per unum ſed per diverſos actus crederet revelationem Trinitatis & Trinitatem, diverſa ibi eſſent judicia, unum quo judicaret Deum revelaſſe, & alterum quo rei revelatæ aſſentiretur. Quid nos ſentiamus ſuper iſta re quæ non mihi videtur maximi momenti & quæ facile ex ſupra dictis intelligitur, paucis aperiemus, poſtquam tamen a nobis obſervatum fuerit, revelationem ex parte Dei teſtificantis conſiderari poſſit in duplici temporis differentia. Primo antequam actus fidei eliciatur, ut enim ſupra diximus, nemo poteſt ordinarie loquendo quidquam credere fide divina, quin prius ipſi certo conſtiterit hunc fidei articulum a Deo fuiſſe revelatum; revelatio ſic ſumpta, eſt præambulum fidei, eſt conditio ſine qua non. 2. Revelatio ſpectari poteſt in ipſo fidei divinæ actu quo nimirum aliquid creditur quia a Deo revelatum eſt, quo poſito tunc revelatio eſt pars eſſentialis fidei, eſt objectum formale fidei; unde ſit.

Prima Concluſio.

Quando cognoſcitur & creditur revelatio Dei velut præambulum fidei, tunc revelatio non creditur eodem actu quo creduntur res a Deo revelatæ.

Probatur: Quia illi actus ſunt omnino diverſi, quorum unus eſt aſſenſus naturalis, alter vero eſt aſſenſus ſupernaturalis: ſed actus quo primum creditur revelatio antequam eliciatur actus fidei divinæ, eſt aſſenſus mere naturalis, ſeu ratione principiis, oritur enim ab intellectu nondum per fidem informato, aut ſaltem hac in parte fidei actum nondum eliciente ſed tantum ratione naturali & diſcurſu utente, ſive ratione objecti, talis enim aſſenſus non verſatur circa veritatem a Deo revelatam prout revelata eſt, ut ſupponimus; ſive demum ratione motivi, quia intellectus tunc aſſentitur revelationi propter motiva credibilitatis quæ totidem ſunt argumenta ex humano ratiocinio petita: igitur aſſenſus quo creditur revelatio eſt mere naturalis; aſſenſus autem quo creditur res a Deo revelata, eſt ſupernaturalis, eſt enim ipſe fidei divinæ actus beneficio luminis fidei & cum Dei gratia elicitus: ergo alio ac plane diverſo actu judicii creduntur revelatio & res revelata.

Objicies: Revelatio, ſeu hæc propoſitio *Deus revelavit fidei noſtræ articulos*, non minus eſt de fide quam ipſi articuli fidei, quia nimirum illa veritas continetur expreſſe in Scripturis, Joan. 7. Chriſtus ipſe dicebat, *Mea doctrina non eſt mea ſed ejus qui miſit me*. 2. Petri 1. cap. *Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines*. Et legitur in Symbolo Niceno, *qui locutus eſt per Prophetas*. Ac proinde aſſenſus quo creditur revelatio eſt quoque ſupernaturalis, eſt fidei infuſæ, uti & aſſenſus quo creduntur res revelatæ, & idcirco eodem actu creduntur revelatio & res revelata.

Reſpondeo, hanc objectionem, quæ præcipuum ac fere unicum eſt adverſariorum ſententiæ fundamentum, ſolutam mox & præoccupatam fuiſſe cum diximus homines in duplici temporis differentia aſſentiri revelationi; hæc enim ſuppoſita diſtinctione modo expoſita facile intelligitur revelationem ſeu hanc propoſitionem, *Deus revelavit fidei noſtræ articulos*, credi a fidelibus fide divina & ſupernaturali, quando ſemel apertæ ſunt Scripturæ, in quibus

hic

Digitized by Google

hic fidei articulus inter alios legitur, quæ tamen revelatio credita fuerat aſſenſu mere naturali antequam primus eliceretur fidei actus ; niſi enim hoc pacto adornetur fidei noſtræ analyſis, hoc eſt niſi præambula ad fidem, quales ſunt exiſtentia Dei, ejus veracitas, revelatio &c. dicantur cognoſci & credi naturaliter & per diſcurſum antequam primus fidei divinæ eliciatur actus, & tamen poſtea numerentur inter res fide ſupernaturali creditas, quod re ipſa ſunt a Deo revelata, certe vitioſus ſemper erit circulus in reſolutione fidei, & loquendo de revelatione dabitur progreſſus in infinitum, ut jam dictum eſt.

SECUNDA CONCLUSIO.

Quando revelatio creditur per fidem, hoc eſt, quando res revelata creditur, neceſſe eſt ut eodem actu res credatur revelata ſaltem implicite.

Probatur : Quia qui credit veritatem aliquam a Deo revelatam per actum fidei divinæ, debet illam credere formaliter prout revelata eſt, id abſolute loquendo & eſſentialiter requiritur ad omnem fidei divinæ actum, ſi quis enim aſſentiretur propoſitioni revelatæ a Deo, v. g. exiſtentiæ Dei quia hæc eſt communis omnium ſententia, eliceret actum opinionis, ſi propter motivum ſcientificum eliceret actum ſcientiæ : ſed credi non poteſt res revelata formaliter quia revelata eſt, niſi hoc eodem actu credatur revelatio, hoc ipſo enim connexa eſt cum re revelata ; nec intellectus de illa dubitare poteſt : ergo quando revelatio creditur per fidem divinam, eodem actu creditur revelatio & res revelata, aut aliter, ergo in quolibet fidei actu creditur ſimul veritas a Deo revelata quæ eſt objectum materiale, & creditur revelatio quæ eſt objectum formale.

Addidi in aſſertione revelationem ſimul cum veritate revelata credi ſaltem implicite, quia ſæpius contingit ut eliciamus actus fidei de revelatis nequidem cogitando de revelatione, qui credit v. g. Deum eſſe trinum in perſonis, etiam quando credit ne uno quidem momento cogitat de revelatione ; dico autem in illa hypoteſi hominem credere revelationem, & cogitare de revelatione ſaltem implicite, quia in illo fidei actu non tantum credit Deum eſſe trinum in perſonis, ſed illud credit quia revelatum eſt, aliter ille aſſenſus non eſſet fidei actus, unde neceſſe eſt ut ſaltem implicite, & ut ajunt Dialectici, in obliquo percipiatur & credatur revelatio.

Utrum per motiva credibilitatis myſteria fidei noſtræ reddantur evidenter credibilia.

POſtquam oſtendimus per motiva credibilitatis, quæ nobis multa ſuppetunt, revelationem Dei fieri claram & evidentem, nulla ſupereſt difficultas in iſta propoſita quæſtione, inde enim manifeſte ſequitur myſteria fidei vel altiſſima, reddi evidenter credibilia per illam ſcilicet evidentiam argumentorum quibus demonſtratur Deum locutum fuiſſe & revelaſſe quæcunque credenda nobis proponuntur. Sed animus eſt inſuper oſtendere non modo myſteria fidei eſſe evidenter credibilia, ſed & longe credibiliora quam oppoſitum, quod tamen paucis hoc loco exequemur, plura enim ſuper eodem argumento dicentur, ubi de veritate Religionis Chriſtianæ.

CONCLUSIO.

Per motiva credibilitatis quibus evidenter oſtenditur Deum revelaſſe quicquid a nobis credendum proponitur, myſteria fidei noſtræ redduntur eviden-

ter

ter credibilia, ſimul & credibiliora quam oppoſitum. Duæ ſunt hujus concluſionis partes.

Probatur prior pars, quia illud eſt evidenter credibile quod certò & firmiter ſtabilitur argumentis quæ omnem dubitandi formidinem excludunt: ſed myſteria fidei noſtræ, tametſi in ſe altiſſima & obſcuriſſima certo & firmiter ſtabiliuntur his argumentis quæ nullam dubitandi formidinem relinquunt, quoad hoc nempe quod fuerunt a Deo revelata, ut ſupra oſtendimus; igitur myſteria fidei ſunt evidenter credibilia; unde legitur verbis expreſſis in Pſal. 92. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis*.

Poſterior autem concluſionis pars probatur, quia ſi objectum fidei noſtræ non eſſet credibilius quam oppoſitum; immo ſi pro alia Religione militarent argumenta & motiva credibilitatis fortiora, jam nemo prudenter & cum ſano judicio Religionem noſtram illi poſſet anteponere: ut enim fuſiſſime docuimur in Tractatu noſtro de Actibus humanis, e duabus opinionibus oppoſitis nemini licet ſequi opinionem probabilem relicta probabiliori: quiſquis agit prudenter & cum diſcretione, eligit ſemper quod ipſi poſt ſincerum examen videtur melius, adeoque eredit ac credere tenetur quod ipſi credibilius apparet. Ex quo ſequitur objectum fidei noſtræ validioribus ſtabilitum momentis quam quælibet alia cujuſcunque ſectæ doctrina, his iisdem argumentis effici credibilius quam oppoſitum, Unde Apoſtolus 1. ad Theſſalon. cap. 5. ſic habet: *Omnia probate, quod bonum eſt tenete*.

Objicies adverſus priorem concluſionis partem: non poteſt evidenter oſtendi myſteria fidei chriſtianæ eſſe poſſibilia: ergo nec ſunt evidenter credibilia.

Nego conſ. & parit. Ratio diſcriminis eſt quia ut myſteria demonſtrarentur poſſibilia, deberent in ſe ipſis quoad ſua principia intrinſeca ratione naturali & evidenter cognoſci, quod omnino impoſſibile eſt, quia ſupra omnem mentis humanæ captum poſita ſunt; ut enim v. g. demonſtraretur poſſibilitas ſanctiſſimæ Trinitatis, deberemus ſolo lumine naturali capere, quomodo tres perſonæ realiter diſtinctæ poſſunt unam eandemque numero naturam habere, quod quidem myſterium nemo quantumvis acutiſſimo ingenio præditus attingere poteſt. Verum ut myſteria fidei ſint evidenter credibilia, ſatis eſt quod evidenter cognoſcatur Deum illa revelaſſe; hoc ipſo enim non erunt quidem evidenter vera ſed evidenter credibilia.

Objicies adverſus alteram concluſionis partem: Si myſteria fidei chriſtianæ eſſent evidenter credibilia & credibiliora quam oppoſita quævis alia doctrina, nemo ea revocaret in dubium, omnes fidem chriſtianam amplecterentur; ex eo enim variæ ſunt ſectæ quæ Chriſti fidem rejiciunt, quia illis hominibus evidenter credibilis non apparet; fatentur omnes vel etiam Mahometani verum eſſe quod Deus revelavit, Deum enim agnoſcunt veracem ex ſolis principiis naturalibus ſine gratiæ auxilio, ſed ideo negant veram eſſe fidem quam ſequuntur Chriſtiani, quia ipſis evidens non eſt hanc Chriſtianorum doctrinam fuiſſe reipſa a Deo revelatam: igitur objectum fidei noſtræ non eſt evidenter credibile, nec credibilius quam oppoſitum.

Nego maj. & dico fidem noſtram non minus eſſe credibilem & oppoſita credibiliorem, licet a multis aliis ſectis rejiciatur, idcirco enim illam non ſequuntur quia falſis ſuarum ſectarum præjudiciis diſtracti & excæcati non ſatis advertunt ad validiſſima momenta quibus innititur & ſtabilitur Chriſtianorum fides. Siquidem, ut jam dixi, Religio Chriſtiana non dicitur evidens,

& my-

& myſteria non dicuntur evidenter credibiliora quam oppoſita quævis alia doctrina, quod illam omnes ſequuntur, quod illius evidentiam omnes percipiunt, ſed quia ejuſmodi ſunt momenta & argumenta quæ pro Chriſti fide militant, ut nemo, ſi ad ea examinanda ſincerum pectus adhibere velit, protinus non videat illam cæteris ſectis eſſe anteponendam; quænam porro ſint illa motiva credibilitatis quæ objectum fidei noſtræ reddunt evidenter credibile & credibilius quam oppoſitum, videbitur infra.

De Revelatione publica & privata.

REvelatio duplex, privata & publica. Nomine privatæ revelationis intelligitur ea quæ fit privatim alicui ſine ullo ordine ad cæteros homines, ut quando Deus revelavit Abrahamo filium ſibi jam ſeni naſciturum. Revelatio publica eſt ea quæ fit vel multis vel aliqui privato ita ut Deus velit hanc doctrinam per eum veluti per internuncium tradere aliis hominibus: ejuſmodi revelatio cenſetur publica, quamvis uni tantum homini immediate facta, quomodo legem antiquam Moyſi revelavit Deus in ordine ad totum Judaicum populum.

Hic porro per revelationem privatam non intelligimus privatum cujuſque hominis ſpiritum quo uno tanquam fidei ſuæ regula infallibili veritatem ab errore, revelata a non revelatis, & verum Verbi divini ſenſum diſcernunt Novatores noſtri. De illo privato ſpiritu & interiori perſuaſione quam Spiritus ſancti gratiæ tribuunt, agetur dedita opera; cum oſtendemus non alium eſſe controverſiarum judicem in materia fidei præter Eccleſiam.

Quæſtio eſt impræſentiarum utrum revelatio debeat eſſe publica ut objectum revelatum ſit de fide, vel ſufficiat revelatio privata.

Utrum ad fidem revelatio debeat eſſe publica.

VOlunt nonnulli Theologi non ſufficere privatam revelationem, quia, inquiunt, fides Catholica idem eſt quod fides univerſalis; cui ſententiæ favet quod ſcribit S. Thomas 2. 2. q. 5. art. 3. his verbis: *Formale autem objectum fidei eſt veritas prima, ſecundum quod manifeſtatur in Scripturis ſacris & doctrina Eccleſiæ quæ procedit ex veritate prima.*

Contendunt alii revelationem privatam ſufficere ut res revelata ſit objectum fidei divinæ, quia tunc preciſe fidei actus elicitur, quando creditur veritas a Deo revelata, quocunque tandem modo ſit revelata; quemadmodum actus humanæ fidei elicitur, quotieſcunque creditur aliqua propoſitio ſub hominis relatione, quocunque modo fiat publice vel privatim.

Nos vero exiſtimamus conciliari facile poſſe hanc utramque Theologorum opinionem, ſi dicatur privatam revelationem aliquando & in caſibus extraordinariis ſufficere ad fidem, ſed ordinarie loquendo revelationem eſſe publicam, quatenus ſine Eccleſiæ interventu fideles non poſſent certo diſcernere revelata a non revelatis, quapropter ſit.

PRIMA CONCLUSIO.

Quandoque & in caſibus extraordinariis ſufficit ad fidem privata revelatio.

Primo, quia Scripturæ laudant fidem aliquorum qui privatis revelationibus crediderunt, Hebræorum 11. cap. laudatur Abraham eo quod crediderit Saram ſterilem præter ætatis tempus concepturam; laudantur & ibidem alii Patriarchæ, Iſaac, Jacob, Samſon, Jephte, David eo quod privatis revelationibus fidem adhibuerunt. Loquitur autem Apoſtolus de fide infuſa & ſupernaturali.

rali, de qua videlicet ibidem ait: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo, credere enim oportet accedentem ad Deum quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*.

2. Qui primi a Deo immediate fuerunt edocti, ut poſtea cæteris hominibus verbum Dei & fidem annunciarent, ſine autoritate & propoſitione Eccleſiæ crediderunt, ut Moyſes, Prophetæ & ipſe etiam S. Paulus qui ad Galatas cap. 1. profitetur ſe non exercere miniſterium Verbi divini per homines, ſed per Jeſum-Chriſtum.

3. Quando Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. can. 16. docet neminem poſſe eſſe certum abſoluta & infallibili certitudine fidei de ſua perſeverantia, niſi hoc didicerit ex ſpeciali revelatione, aperte ſupponit ſatis eſſe ad fidem certam & infallibilem aliquid diſcere & accipere a Deo per privatam revelationem.

4. Demum, quia nomine fidei divinæ intelligitur aſſenſus datus alicui veritati a Deo revelatæ; ſed quocunque modo Deus revelaverit privatim vel publice perinde ſe habet in ordine ad eum cui Deus revelat, is ſine maxima impietate fidem Deo loquenti denegare non poteſt: igitur ad fidem ſufficit revelatio privata.

Objicies: Per fidem Catholicam intelligitur fides univerſalis: ergo non extenditur niſi ad ea quæ omnibus univerſim credenda proponuntur.

Diſt. ant. Eo quod ordinarie eſt una pro omnibus fidelibus, quod eadem omnibus credenda præcipiuntur, C. quaſi per verum fidei divinæ actum non poſſit aliquis aſſentiri propoſitioni a Deo privatim revelatæ, N. Quod porro fides illa, qua quis veritatem ſibi peculiariter a Deo revelatam crederet, dicatur Catholica, vel Theologica, perinde eſt ad iſtius quæſtionis reſolutionem, hoc unum volumus quempiam debere Deo loquenti & revelanti aſſentiri, quocunque tandem modo loquatur Deus, cumque aſſenſum eſſe verum fidei divinæ actum.

Monemus tamen non ita facile fidem eſſe adhibendam hujuſmodi privatis revelationibus, ne videlicet falſæ pro veris accipiantur, eam ob rem docet Apoſtolus 1. ad Theſſalon. cap. 5. audiendum eſſe Spiritum loquentem, ſed & ex altera parte eſſe probandum: *Spiritum nolite extinguere . . . . omnia autem probate*. Quia, ut ait 2. ad Corint. 11. cap. *Pſeudo-Apoſtoli ſunt operarii ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti. Et non mirum: ipſe ſatanas transfigurat ſe in Angelum lucis*. Conſtare itaque debet revelatio, hoc eſt, Deum revelaſſe, aliquo ſigno tam evidenti, ut nemo prudens vel leviori ſuſpicione laborare poſſit circa illam revelationem. Monet Innocentius III. cap. *cum ex injuncto*, nulli privatæ revelationi fidem eſſe adhibendam, niſi miraculo aut alio ſufficienti ſigno externo vel interno confirmatur. Conſuli poteſt ſuper ea re doctiſſimus Univerſitatis Pariſienſis Cancellarius Gerſo in Tractatu de diſtinctione verarum viſionum a falſis.

Secunda Conclusio.

Ordinarie loquendo ad fidem revelatio debet eſſe publica, videlicet per propoſitionem & autoritatem Eccleſiæ teſtificantis.

Probatur, quia hanc credendi regulam aperte ſtatuit Chriſtus, ut per miniſterium Eccleſiæ, per Paſtores & Doctores diſcant populi quid ſit credendum, quomodo fides vera diſcernenda ſit a falſa, Matth. ultimo, Chriſtus Dominus dixit ſuis Apoſtolis & in eorum perſona omnibus Paſtoribus: *Euntes docete omnes gentes*. Marci 16. *Euntes prædicate Evangelium omni creaturæ*, & Matt. 18. *Qui Eccleſiam non audierit ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*.

Quapropter conſenſu plane unanimi docent SS. Patres extra judicium & teſtimonium Eccleſiæ valde dubiam & incertam eſſe fidem noſtram, nec aliam ſuppetere viam qua ſciri poſſit quid revelaverit Deus; unde hoc celebre S. Auguſtini effatum lib. contra Epiſtolam fundamenti c. 5. *Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoveret autoritas, qua ſublata nec jam Evangelio credere potero*. Multa aliorum Patrum teſtimonia referemus, cum oſtendetur ſolam Eccleſiam eſſe judicem controverſiarum in materia fidei.

Et ratio eſt quia ut aliquis credat prudenter & cum judicio quicquid revelavit Deus, debet certo ipſi conſtare hoc & illud fuiſſe a Deo revelatum, ne ſcilicet fide divina credat quod revera non fuit a Deo revelatum: ſed, ſi excipiantur caſus extraordinarii, in quibus revelatio Dei alicui privato innoteſceret per miracula & certa quædam ſigna externa, aliud non ſuppetit hominibus medium quo quidem conſtare poſſit Deum revelaſſe id omne quod credendum præcipitur, quam autoritas Eccleſiæ illud indicantis, proponentis, teſtificantis: aut enim recurrendum eſt ad Eccleſiam ejuſque teſtimonio adhærendum, aut unicuique licitum erit judicare privato lumine quid ſit credendum, quid ſit revelatum: ſed dici non poteſt datum unicuique homini propria ſcientia judicare quid ſit a Deo revelatum, quid ſit credendum; tunc enim fides noſtra foret valde dubia & errori obnoxia, timendum eſſet ne fluctuaremus tanquam parvuli & circumferremur omni vento doctrinæ, fides jam non eſſet una in omnibus Catholicis, ſed varia & multiplex pro diverſis credentium affectibus: igitur ad bene & legitime credendum revelatio debet innoteſcere & confirmari per autoritatem Eccleſiæ quæ a Chriſto & Apoſtolis edocta, ſola eſt veræ fidei cuſtos & interpres, ſolaque authentico judicio ſtatuere poteſt quinam ſint libri canonici, quod idem eſt ac veram fidei revelationem a falſa diſcernere.

Objicies: Ut legitime & prudenter crederetur veritates fidei fuiſſe a Deo revelatas propter Eccleſiæ teſtimonium, conſtare prius deberet ubinam gentium reſideat vera Chriſti Eccleſia, eamque infallibilis eſſe in dicendo autoritatis: ſed conſtare certo non poteſt quænam ſit ex omnibus ſectis vera Chriſti Eccleſia, eamque in dicendo infallibilis autoritatis: ſiquidem Eccleſiam eſſe infallibilem & fide digniſſimam non habetur niſi per Scripturam ſacram: ſed quando aliquis quærit medium quo certo poſſit cognoſcere quid ſit a Deo revelatum, tunc ipſi infallibilitas Eccleſiæ innoteſcere non poteſt per Scripturam, aliter vitioſus fieret circulus in modo cognoſcendi Scripturam & revelationem: igitur revelatio Dei non poteſt credi per Eccleſiæ propoſitionem & autoritatem.

Nego min. & dico certo nobis conſtare ex inſignibus & præclaris notis Eccleſiam cujus teſtimonio adhæremus, veram eſſe Chriſti Eccleſiam infallibilis autoritatis, & opus plane divinum. Scilicet, ut cuilibet animum advertenti manifeſtum eſt, hæc ſanctiſſima Chriſtianorum ſecta ab ipſo Chriſto Domino & ejus Apoſtolis fuit ope miraculorum fundata, quod talem ipſi autoritatem conciliat, ut jure nemo negaverit illam ſpiritu Dei gubernari, adeoque in rebus fidei deficere non poſſe. *Tenet me*, inquiebat S. Auguſtinus libro contra Epiſtolam fundamenti cap. 4. *in Eccleſia conſenſus omnium populorum, tenet me veritas miraculorum*. His & aliis plane ſimilibus ratiociniis primum utuntur quicunque ad fidem Chriſtianam accedunt, nec infallibilitatem Eccleſiæ per fidem & revelationem credunt, niſi poſtquam Chriſto nomen dederunt, ipſiſque credendum proponitur quicquid in Scripturis ſacris continetur. Unde ſequitur aperte præſuppoſito hoc credendorum ordi-

ordi-

Digitized by Google

ordine neutiquam timendum eſſe vitioſum circulum. Hæc fuſius poſtea explicabuntur.

De Revelatione immediata, & mediata.

PEr revelationem immediatam hic non intelligitur ea quæ fit a Deo immediate non per alium, quaſi revelatio mediata ſit ea quæ fit a Deo per aliorum vel Angelorum vel hominum miniſterium. Sed propoſitionem immediate revelatam intelligimus eam quæ per ſe ipſa formaliter continetur in Scripturis vel in Traditione, fuitque a Deo vere revelata, qualis eſt iſta, Chriſtus eſt homo. Propoſitionem mediate revelatam dicimus ea quæ per diſcurſum ex alia immediate revelata eruitur, qualis eſt iſta, Chriſtus eſt riſivus.

Hæ propoſitiones mediate tantum revelatæ ſolent alio nomine dici concluſiones Theologicæ, quia revera in argumentationibus quæ inſtituuntur a Theologis circa propriam religionis materiam, concluſiones eruuntur, vel ex duabus præmiſſis quarum una de fide eſt & altera ſolo lumine naturali cognita; vel ex duabus præmiſſis quæ utrinque de fide ſunt, de quibus quæritur.

Utrum propoſitiones mediate tantum revelatæ de fide ſint.

IN iſta quæſtione ſedulo & accurate explicandum eſt quid ſit propoſitio mediate revelata, nec ſtatim dicendum ſimpliciter & abſolute propoſitionem mediate revelatam, vel etiamſi è Scripturis dilucide eruta ſit, tanquam de fide tenendam; ejuſmodi enim principium falſum eſt & in praxi poſſet in multos errores conjicere, quatenus nempe pro fidei objecto haberetur quod non eſt fidei objectum. Quapropter plurimum culpandus venit Dallæus inſignis Calviniſta, qui in libro quem inſcripſit gallice; *De la preuve de la Foi par l'Écriture*, primæ partis cap. 9. univerſim pronunciat: *Quicquid ex Scripturis dilucide & neceſſario concluditur, id verum ac divinum & velut aliquam ipſarum Scripturarum partem cenſendum eſſe* cap. 12. *Fidem quæ iis adhibetur quæ ſunt ex Scripturis ratiocinando concluſa non humana ratione, ſed Scripturis divinis niti*. Et cap. 13. *Ad hoc ut argumenti concluſio divinæ veritati cenſeatur ſatis eſſe ut propoſitionum ex quibus ea eruitur, altera extet in Scripturis*. Ex iſto quippe principio poterit quivis meras ſuas opiniones tanquam fide divina certas amplecti & aliis credendas proponere, putans videlicet eas eſſe de numero veritatum a Deo revelatarum.

Dehinc ex altera parte ſi illæ veritates ſolæ crederentur ad fidem pertinere quæ formaliter & in terminis leguntur in ſacris Scripturis, ita ut aliæ plane quoad ſenſum æquivalentes tanquam mediate tantum revelatæ, adeoque ut meræ concluſiones Theologicæ haberentur, valde timendum eſſet, ne plurimæ fidei veritates falſo inter humanas opiniones rejicerentur; qua de cauſa ſummo ſtudio laborandum eſt, ut veram & genuinam notionem propoſitionis mediate revelatæ deducamus.

Propoſitio mediate revelata ea eſt, ut diximus, quæ ex alia immediate revelata per diſcurſum eruitur, ita ut ipſa per ſe formaliter non ſit a Deo revelata; quod ut melius intelligatur, adeoque clarius ſecernantur propoſitiones mediate revelatæ ab immediate revelatis, obſervandum eſt duo eſſe genera propoſitionum quæ cenſeri non debent mediate revelatæ & concluſiones Theologicæ, tametſi ex aliis immediate revelatis eruantur.

Prioris generis ſunt illæ propoſitiones quæ virtualiter & implicite continentur in propoſitionibus immediate revelatis, adeo ut minus proprie dicantur erui per diſcurſum ex propoſitionibus immediate re-

revelatis, ſed magis proprie ipſæ dicantur immediate revelatæ in aliis quarum ſunt applicatio. Hæc propoſitio v. g. *Chriſtus eſt mortuus pro Juda*, cenſeri non debet mediate revelata, quaſi per diſcurſum eruatur ex iſta, *Chriſtus eſt mortuus pro omnibus hominibus*, quia nimirum virtualiter & implicite quoad ſenſum in ea continetur, ita ut magis proprie ſit mera ejuſdem applicatio. Ejuſmodi ſunt adhuc propoſitiones quoad ſenſum æquivalentes propoſitionibus immediate revelatis: ſic iſta propoſitio *Chriſtus eſt animal rationale*, non debet dici mediate revelata quod ſit eruta per diſcurſum ex iſta *Chriſtus eſt homo*, quia ipſi quoad ſenſum manifeſte æquivalet.

Poſterioris generis ſunt illæ propoſitiones quæ quidem eruuntur ex aliis propoſitionibus immediate revelatis, ſed per conſequentias claras, liquidas & ab omnibus conceſſas; ita ut nonniſi improprie loquendo dici poſſint mediate revelatæ, ſed potius ipſæ cenſeantur immediate revelatæ; aut potius non habeantur tanquam conſequentiæ, ſed ipſamet dogmata e quibus erui videntur tanquam conſequentiæ: ſic v. g. hæc propoſitio, *Duæ ſunt in Chriſto voluntates*, proprie loquendo non eſt propoſitio mediate revelata, quia licet eruatur ex iſta fidei propoſitione, *Duæ ſunt in Chriſto naturæ*, ſic clara, certa & apud omnes indubitata eſt conſequentia per quam eruitur, ut quicunque fide tenet iſtam propoſitionem, illam proinde negare non poſſit.

His poſitis quæſtioni propoſitæ nullo negotio reſponderi poteſt, dicendo nimirum propoſitiones, quæ nonniſi improprie & in ſpeciem ſunt mediate revelatæ, eſſe de fide, propoſitiones autem quæ proprie loquendo per diſcurſum ex aliis immediate revelatis eruuntur, non eſſe de fide, quapropter ſit

Prima Concluſio.

Propoſitiones improprie tantum loquendo deductæ ex aliis immediate revelatis, ſed ipſis proinde quoad ſenſum æquivalentes, ſunt de fide.

Probatur, quia illud eſt de fide, quod fuit vere a Deo revelatum: ſed iſtæ propoſitiones ſunt vere a Deo revelatæ; illæ enim propoſitiones ſunt vere a Deo revelatæ quæ aliis propoſitionibus immediate & formaliter a Deo revelatis æquivalent quoad ſenſum vel in aliis neceſſario includuntur; quando enim Deus veritatem aliquam revelavit, tunc & id omne pro vero ſui teſtimonio haberi voluit quodcunque connexum vel idem cum ipſa hac veritate revelata. Sed iſtæ propoſitiones, de quibus præſens habetur quæſtio, aut aliis propoſitionibus immediate revelatis æquivalent, aut cum ipſis neceſſario connexæ ſunt, ut patet in exemplis allatis. Nam certe quando Spiritus ſanctus revelavit expreſſe Chriſtum eſſe Deum, hoc ipſo revelavit eum eſſe adorandum adoratione latriæ; quando revelavit Chriſtum eſſe hominem, hoc ipſo revelavit in eo eſſe voluntatem humanam, uti & animam rationalem & corpus humanum; quando legimus in Scripturis Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus hominibus, hoc ipſo legimus eum eſſe mortuum pro Juda & Pilato.

Scilicet Deus revelans expreſſe aliquam propoſitionem, hoc ipſo revelat quicquid idem eſt ſecundum ſenſum cum illa veritate expreſſe revelata, quicquid eſt de integro illius conceptu, quicquid eſt illius pars ſive ſit pars eſſentialis ſive ſit intregralis. Præterquam quod in hac materia bona fide agendum eſt, & videndum quæ propoſitiones quoad ſenſum aliis æquivaleant, ut inde colligatur propoſitionem tanquam immediate revelatam haberi debere, quando cum alia in terminis revelata coincidit, vel ipſi

Google

ipſi æquivalet, vel tandem cum ea abſolute & neceſſario connexa eſt. Nam is profectò ridiculus eſſet qui fateretur Chriſtum eſſe hominem; negaret tamen eum habere animam: igitur ejuſmodi propoſitiones proprie loquendo cenſeri debent immediate revelatæ, ac proinde ſunt de fide.

Objicies: Tales propoſitiones quæ non leguntur expreſſe in Scripturis proprie loquendo ſunt mediate revelatæ, & proinde non ſunt de fide. Nam illæ propoſitiones non ſunt de fide, quæ per diſcurſum eruuntur ex revelatis & ſequuntur ex uno principio non revelato; concluſio enim ſequitur debiliorem partem, ut aiunt Dialectici; ſed ejuſmodi propoſitiones ſequuntur ex uno principio non revelato; quando, v.g. concluditur Petrum eſſe mendacem, ex eo quod legitur in Scripturis, Omnis homo eſt mendax, hæc concluſio ſequitur ab iſta propoſitione non revelata, Petrus eſt homo; ſic enim inſtitui debet ſyllogiſmus: Omnis homo eſt mendax, ſed Petrus eſt homo: ergo Petrus eſt mendax. Et ſimiliter in iſto ſyllogiſmo: Chriſtus eſt mortuus pro omnibus hominibus; ſed Judas erat homo, ergo Chriſtus mortuus eſt pro Juda. Hæc concluſio tam eruitur ex minori propoſitione quæ non eſt revelata, quam ex majori revelata: igitur tales propoſitiones & aliæ quæcunque non reperiuntur formaliter in Scripturis, non ſunt de fide.

Nego ant. ad probationem diſt. maj. Quæ ſequuntur ex una propoſitione non revelata quæ ſit nova quædam veritas cujus cognitio neceſſaria ſit ad hoc ut intellectus huic concluſioni aſſentiatur C. ſecus, & ſi hæc propoſitio non revelata ſit mera applicatio propoſitionis revelatæ, N. Ut igitur propoſitio ſit proprie loquendo mediate revelata, neceſſe eſt ut propoſitio non revelata, ſit quædam veritas & quidem non conceſſa ab omnibus quæ ſit motivum aſſentiendi concluſioni, ut mox fuſius explicabitur, ſatis non eſt quod concluſio quomodocunque eruatur ex tali propoſitione non revelata, uti revera contingit in exemplis allatis. In præfato enim ſyllogiſmo quando concluditur Petrum eſſe mendacem ex eo quod omnis homo eſt mendax, & aliunde Petrus eſt homo; hæc propoſitio non revelata, Petrus eſt homo, non continet veritatem quæ moveat intellectum ad aſſentiendum huic concluſioni, ſed mera eſt applicatio per quam propoſitio generalis diſtribuitur ſingulis per eam enunciatis.

Objicies: Hoc imprimis & diligentiſſime cavendum eſt in Theologia, ne tanquam vera fidei dogmata habeantur conſequentiæ quæ ex revelatis per diſcurſum eruuntur; contingit enim ſæpius, ut qui v.g. adverſus Thomiſtas diſputant, eos erroris accuſent circa libertatem, quaſi libertatem arbitrii rejiciant, conſequentia ſcilicet ducta ex eo quod admittunt præmotionem phyſice prædeterminantem. Scilicet ſedulo & accurate diſtingui debent dogmata revelata & conſequentiæ quæ ex illis dogmatibus eruuntur, quod ut ſecurius fiat, huic firmiter ſiſtendum eſt principio, nihil habendum eſſe tanquam revelatum quod revera expreſſe & formaliter revelatum non ſit; aliter quilibet Theologus proprias ſuas opiniones, quas putabit immediate revelatis neceſſario connexas, tanquam fide divina credendas venditabit & proponet: igitur ſolæ propoſitiones formaliter & in terminis revelatæ cenſeri debent eſſe de fide.

Reſpondeo veriſſimum eſſe quod proponitur in iſta objectione; fatemur enim ultro conſequentias non eſſe habendas tanquam dogmata, idque valde periculoſum eſſe in omnibus concertationibus vel quæ exoriuntur inter Theologos & inter Hæreticos; Eſt, inquam, ſummopere cavendum, ne cuiquam velut dogma imputetur ſententia quam fortaſſe non propugnat, ex eo nimirum quod videtur per conſequentiam erui ex eo quod expreſſe docet

Ve-

Verum aliud etiam extremum ſummo cum ſtudio vitandum eſt, nimirum tanquam mera conſequentia, & ut aiunt, concluſio Theologica haberi non debet quæcunque propoſitio non eſt formaliter & in terminis revelata. Medium tenendum eſt, uti modo ſtatuimus, inter utrumque hoc extremum, & illæ propoſitiones cenſeri non debent mediate per diſcurſum revelatæ, ſeu concluſiones Theologicæ, quoties vel æquivalent quoad ſenſum immediate revelatis, vel in iis revera includuntur.

SECUNDA CONCLUSIO.

Propoſitiones quæ proprie loquendo ſunt tantum mediate & per diſcurſum revelatæ, ſeu concluſiones Theologicæ non ſunt de fide.

Probatur, quia iſtæ propoſitiones non ſunt de fide, divina ſcilicet, quæ non ſunt a Deo revelatæ; ſed propoſitiones mediate revelatæ non ſunt a Deo revelatæ; Nam illæ propoſitiones non ſunt a Deo revelatæ quæ nonniſi per diſcurſum & illationem eruuntur ex aliis propoſitionibus a Deo revelatis; aliter revelatæ a Deo cenſerentur omnes concluſiones Theologicæ: ſed iſtæ propoſitiones, ut ſupponimus, nonniſi per diſcurſum & illationem eruuntur ex immediate revelatis: ergo non ſunt de fide.

Et certe ſi propoſitiones mediate tantum revelatæ eſſent de fide, quilibet Theologus impune poſſet privatas ſuas opiniones fide divina credendas proponere; ſolent enim Theologi ſuas fere omnes aſſertiones vel fulcire vel eruere ex Scripturis: ſed abſurdum omnino eſt conſequens, fides enim varia eſſet ac diverſa pro diverſis ingeniis, quod eſt contra Apoſtolum qui teſtatur fidem eſſe unam, ſicuti unus eſt Chriſtus & unum Baptiſma: igitur propoſitiones mediate revelatæ ſeu concluſiones Theologicæ quæ ex veritatibus a Deo immediate revelatis per diſcurſum eruuntur, non ſunt de fide.

Objicies: Plurimi poſſunt inſtitui ſyllogiſmi, quorum concluſiones erunt de fide; hujuſmodi eſt iſte: *In eo duæ ſunt voluntates in quo ſunt duæ naturæ: ſed in Chriſto duæ ſunt naturæ: igitur duæ ſunt in Chriſto voluntates*. Cujus ſyllogiſmi concluſio eſt Theologica & mediate tantum revelata, eruitur enim ex duabus præmiſſis quarum una eſt de fide, altera vero fit per diſcurſum, & tamen eſt de fide: ergo propoſitio mediate revelata eſt de fide.

Reſpondeo hanc propoſitionem, quæ loco concluſionis eſt in præfato ſyllogiſmo, eſſe immediate revelatam. Legitur enim expreſſe in Scripturis Chriſtum habere aliam voluntatem a divina humanam ſcilicet, Lucæ 22. *Pater, non mea voluntas ſed tua fiat*. Quod idem eſt ac ſi dicatur duas eſſe in Chriſto voluntates; neque enim ut iſtud dogma de duplici voluntate in Chriſto ſtabilitum cenſeatur in ſacris Scripturis, neceſſe eſt ut in iiſdem expreſſe legatur iſta propoſitio: Duæ ſunt in Chriſto voluntates, ſatis eſt quod inibi ſcriptum ſit Chriſtum habere voluntatem divinam & humanam, imo Chriſtum eſſe Deum & hominem; voluntas enim eſt attributum neceſſarium naturæ cujuſpiam intellectualis, quod quidem in præſenti controverſia eſt ſummopere notandum; ſic enim multæ propoſitiones cenſeri debent immediate revelatæ, licet non habeantur formaliter in Scripturis, ſed tantum in aliis propoſitionibus implicite, virtualiter & æquivalenter: quamobrem immediate revelatum cenſetur & de fide Petrum eſſe mendacem, quia legitur in Scripturis omnem hominem eſſe mendacem. De fide eſt Chriſtum eſſe mortuum pro Juda, quia legitur Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus hominibus. De fide eſt ſeptem dari Sacramenta in lege nova, quanquam nullo in loco legatur, ſeptem

ſunt

Digitized by Google

ſunt Sacramenta , quia videlicet aliquid clare & certo æquivalens in iiſdem Scripturis habetur.

Ergo , inquies , nonnullæ concluſiones Theologicæ ſunt de fide.

Diſt. Concluſiones Theologicæ ſumptæ materialiter & prout jacent , C. formaliter quatenus ſunt concluſiones , N. Itaque dubium non eſt quin aliquando inſtituantur ſyllogiſmi Theologici quorum concluſiones ſint de fide , ſi nimirum ſumantur illæ propoſitiones materialiter & prout jacent , ſic enim poſſunt eſſe concluſiones alicujus ſyllogiſmi & tamen eſſe immediate revelatæ , ut patet in exemplo quod objicitur ; ſed dicimus concluſiones Theologicas non eſſe de fide , ſi nimirum ſumantur quatenus concluſiones & quatenus ex aliis propoſitionibus , quarum una ſaltem revelata ſit , per diſcurſum eruantur ; his inſuper additis obſervationibus antea factis , modo nimirum hæ conſequentiæ non ſint virtualiter & æquivalenter contentæ in præmiſſis.

Inſtabis : illa propoſitio eſt de fide divina quam Eccleſia fidelibus proponit credendam tanquam de fide divina ; aliter Eccleſia nos induceret in errorem : atqui Eccleſia nobis proponit nonnunquam propoſitiones mediate revelatas tanquam fide divina credendas , quaſdam nimirum propoſitiones quæ formaliter non continentur in Scripturis , ſed quas ex aliis immediate revelatis eruunt Patres in Conciliis generalibus ; neque enim v.g. expreſſe leguntur in Scripturis quæcunque definita ſunt in Concilio Tridentino & credenda proponuntur ; igitur multæ propoſitiones mediate tantum revelatæ , ſunt de fide.

Nego min. & dico Eccleſiam non proponere nec definire quicquam fide divina credendum , niſi quod certo conſtat fuiſſe a Deo immediate revelatum ; nihil enim revera de fide eſt divina , niſi quod fuit a Deo revelatum. Unde quæcunque definita ſunt in Conciliis generalibus tanquam fidei divinæ dogmata haberi debent immediate revelata in Scripturis , vel explicite , vel implicite & æquivalenter , vel in traditione ; cujuſmodi eſt Chriſtum eſſe Patri æterno conſubſtantialem in Concilio Nicæno , Spiritum ſanctum eſſe Deum in Concilio Conſtantinopolitano & ita de cæteris ; adeoque ut ſi quicquam definiret Eccleſia illudque fidelibus proponeret , quod tamen non eſſet a Deo revelatum , ut ſi definiat nunc Concilium Tridentinum eſſe Concilium generale , quæ propoſitio non fuit a Deo revelata , quia non admittuntur novæ revelationes , talis propoſitio de fide eſſet quidem , quia Eccleſiæ definitionibus aſſentiri tenemur , ſed de fide humana , ut ajunt , Eccleſiaſtica , in hoc enim aſſentiremur teſtimonio hominum non Dei , Deus enim non revelavit uſpiam Concilium Tridentinum eſſe Oecumenicum.

Inſtabis : Si propoſitio non eſſet de fide quia nititur aut eruitur ex aliquo diſcurſu , jam nulla propoſitio eſſet de fide , nulla quippe eſt quæ neceſſario non pendeat ex aliquo diſcurſu : quando enim v.g. credimus tres eſſe in Deo perſonas , nititur iſte aſſenſus ratiocinio , illud eſt de fide quod fuit a Deo revelatum : ſed tres eſſe in Deo perſonas fuit a Deo revelatum : igitur de fide eſt tres eſſe in Deo perſonas ; abſurdum conſequens , ergo & antecedens.

Nego ant. & ſequelam , ad cujus probationem diſt. Nulla eſt propoſitio de fide quæ non pendeat ab aliquo diſcurſu , qui ſit conditio requiſita ad applicandam revelationem Dei , C. qui ſit ipſe motivum aſſentiendi in actu fidei , N. Aliæ igitur ſunt partes ratiocinii humani in aſſenſu qui præbetur propoſitionibus immediate a Deo revelatis , & aliæ in aſſenſu qui præbetur propoſitionibus mediate tantum revelatis , de quibus agitur in præſenti controverſia. Scilicet ratiocinium humanum in aſſenſu qui præbetur propoſitionibus immediate reve-

reve-

revelatis, eſt ſolummodo medium quo applicatur revelatio Dei, quæ parit ipſa aſſenſum in credente; omnis enim fidei aſſenſus ita ſimplex eſt, ut per ſe non fundetur in diſcurſu, ſed in aſſenſu qui præbetur propoſitionibus mediate tantum revelatis, ratiocinium hominis eſt motivum aſſentiendi huic concluſioni quæ partim eruitur ex una propoſitione revelata, partim ex alia propoſitione lumine naturali cognita; concluſio enim Theologica judicatur vera, quia exiſtimat Theologus vi formaliter alicujus ratiocinii, &, ut jam dixi, vi alicujus veritatis naturaliter cognitæ ab ipſa propoſitione revelata diſtinctæ, talem concluſionem recte ſequi ex utraqua præmiſſa, quo poſito veritas naturalis quæ eſt una ex præmiſſis, motivum eſt aſſentiendi conjunctim cum propoſitione revelata, adeoque ejusmodi concluſiones non poſſunt eſſe de fide divina, quæ aliud prorſus objectum habere non poteſt quam veritatem a Deo revelatam.

De Revelatione implicita & explicita.

Revelatio, quod & idem dicitur de fide, duplex diſtinguitur, implicita nimirum & explicita. Fides implicita eſt fides involuta in terminis univerſalibus, quo pacto qui credit propoſitionem univerſalem, credit implicite alias omnes veritates in ea confuſe & implicite contentas; qui credit v. g. univerſaliter quicquid credendum præcipitur ab Eccleſia hoc fidei actu, qui fidelibus ac maxime indoctis valde familiaris eſt, credo quidquid docet Eccleſia Romana, tunc credit implicite omnes & ſingulos fidei noſtræ articulos.

Fides explicita eſt ea qua quis expreſſe & formaliter aliquem fidei articulum credit, quo pacto creduntur quæcunque expreſſe revelata cognoſcuntur, de hac fide loquitur S. Paulus 2. ad Corint. 3. *Nos autem revelata facie*, inquit, *gloriam Domini ſpeculantes*. Comparans ſcilicet fidem novi Teſtamenti, quæ explicita eſt cum fide Judæorum qui nonniſi implicite & confuſe myſteria noverant.

Jam vero non ita facile eſt recte dicere quænam propoſitio aliam implicite contineat, multis ſuper ea re minus accurate ſentientibus: putat S. Thomas, quem in hac parte ſequuntur nonnulli Theologi, omnes fidei articulos impliplicite contineri in his duobus primis credibilibus, Deus eſt, Deus habet providentiam circa omnium ſalutem. *Omnes enim*, inquit, q. 1. art. 7. *articuli continentur implicite in aliquibus primis credibilibus, ſcilicet ut credatur Deus eſſe & providentiam habere circa hominum ſalutem, ſecundum illud Hebræorum* 11. *Accedentem ad Deum oportet credere quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit*.

Verum in iſtam ſententiam deſcendere non poſſunt, ſcilicet in iſtis duabus propoſitionibus quæ fidem exiſtentiæ & providentiæ Dei complectuntur, omnes fidei noſtræ articulos vel etiam implicite contineri; quis enim dixerit per illas propoſitiones Deum revelaſſe, Chriſtum eſſe Deum, habere unam perſonam & duas naturas, ſeptem eſſe Sacramenta, per Baptiſmum deleri peccatum originale, Euchariſtiam continere realiter & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem Chriſti, & alia ejuſmodi myſteria quibuſcum nullam relationem habent exiſtentia Dei ejuſque providentia circa hominum ſalutem?

Fides igitur implicita dicitur reſpectu illarum rerum quæ virtualiter continentur in aliqua alia re implicite credita, idque partim pendet a voluntate quatenus non ſolum voluntas vult credere id quod explicite proponitur, ſed etiam quicquid ibi involvitur, partim ex natura propoſitionis univerſalis, ſatis enim intelligitur extare nonnullas pro-

propoſitiones ita generales ut omnes & ſingulos fidei noſtræ articulos ſecum involvant,

Dixi primo ex voluntate credentis recte judicari quot & quales fidei articuli contineantur implicite in aliqua propoſitione, ſi quis enim expreſſe nolit credere unum ex fidei noſtræ articulum, puta credat Euchariſtiam non eſſe niſi merum panem, ut volunt Calviniſtæ, tametſi aliunde per expreſſum fidei actum profiteatur ſe credere quicquid credendum eſſe jubet Eccleſia, hujuſmodi fides explicita implicite non involvit articulum præſentiæ realis Chriſti in Euchariſtia, nimirum propter actum voluntatis in credente, qui ſic diſpoſitus eſt ut rejiciat præſentiam realem.

Secundo an quædam propoſitiones implicite contineantur in alia univerſali, recte judicatur ex natura & ſenſu illius propoſitionis univerſalis, quæ propterea bona fide explicari debet; ſic v. g. ut mox dixi ſatis intelligitur iſtam propoſitionem *Deus eſt providus circa hominum ſalutem*, non continere implicite plurimos fidei noſtræ articulos, puta ſeptem eſſe Sacramenta, omnes homines naſci in peccato originali; & alia id genus, ſed recte intelligitur iſtam propoſitionem, *Credo quicquid Eccleſia nobis credendum præcipit*, confuſe ſaltem & implicite ex natura ſua involvere omnes fidei catholicæ articulos, quomodo vulgus fidelium qui ſingula fidei capita non cognoſcunt, credere ſolet.

Hujus diviſionis in implicitam & explicitam quæſtio movetur inter Theologos an & quomodo creverit revelatio ſeu objectum fidei per ſucceſſionem temporum, qua de re paucis agendum eſt.

An & quomodo revelatio creverit per ſucceſſionem temporum.

NOtandum primo dupliciter intelligi poſſe objectum fidei creſcere 1. per novam revelationem, ſi Deus aliquid de novo revelet quod nequidem implicite antea revelaverit. 2. Per majorem explicationem revelationis prius factæ.

Item notandum quæſtionem iſtam agitari poſſe de ſucceſſu temporis vel ab Adam huc uſque, vel ſolum a tempore Chriſti & Apoſtolorum a quibus fundata eſt Eccleſia.

Volunt nonnulli ex antiquioribus, Divus Thomas hic art. 7. Hugo de S. Victore lib. 1. de Sacram. part. 10. cap. 4. Magiſter in 3. diſt. 25. Alenſis 3. part. q. 69. Bonaventura art. 2. q. 1. Scotus, Durandus, Richardus & alii, fidem quoad ſubſtantiam credibilium ſemper fuiſſe eandem a principio generis humani uſque nunc. Id probat Suarez ex S. Paulo ad Hebræos cap. 11. dicente, *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo, quia accedentem ad Deum oportet credere quia eſt, & quia remunerator eſt*. Quæ duo virtute continent totam ſubſtantiam materiæ fidei. Deinde ſubdit ibidem Paulus; *Juxta fidem defuncti ſunt omnes iſti non acceptis repromiſſionibus*. Et 2. Corinth. 4. *habentes eundem ſpiritum fidei*. Unde Actorum 4. cap. *Non eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*. Et conſentanee ad iſta Scripturæ loca ſcribit S. Auguſtinus Tractatu 45. in Joan. *Tempora variata ſunt, non fides*.

Dico tamen ab Adam uſque ad Chriſtum eandem non fuiſſe in fidelibus Judæis fidem, non modo quia crevit per majorem in dies explicationem, ſed quia objectum fidei crevit per novas revelationes.

Et ratio eſt, quia per totum illud tem-

tempus Deus multa ſucceſſive revelavit Adamo, Noe, Abrahamo, Iſaac, Jacob, & aliis veteribus Patriarchis; longe vero plura ſecuris temporibus revelavit Moyſi, Davidi & omnibus Prophetis, quæ quidem dubio procul pertinebant ad materiam, &, ut ita dicam ad corpus fidei, ut Sacramenta varia Judaicæ legis Sacrificia, præceptaque ad bonos mores informandos data.

Neque vero contrarium ſuaderi poteſt ex allatis Scripturæ teſtimoniis, ex quibus duntaxat colligere eſt aliquam fidem Chriſti Salvatoris ſaltem confuſam & implicitam ſub ratione cujuſdam Mediatoris aliquando venturi ſemper fuiſſe neceſſariam, vel etiam ab Adamo & ante novæ legis promulgationem, unde ait S. Paulus, Patriarchas in iſta fide fuiſſe defunctos, habuiſſe eumdem ſpiritum fidei, videlicet circa illud caput, & S. Lucas ait, non eſſe aliud nomen ſub cœlo in quo oporteat homines ſalvos fieri. Sed ex iſtis aliiſque ſimilibus Scripturæ locis colligi non debet, eandem fuiſſe fidem per totum illud tempus; eandem revelationem ab Adamo uſque ad Chriſtum.

Difficultas eſt autem de revelatione facta a Chriſto & Apoſtolis, & quæritur num creverit identidem Deo nova dogmata revelante aut Eccleſia novos fidei articulos condente.

Dubium non eſt quin a temporibus Chriſti Domini fides vel objectum fidei creverit per majorem explicationem, quatenus identidem neceſſe fuit ut Eccleſia in Conciliis generalibus obſcuros Scripturæ ſenſus elucidando adverſus inſurgentes Hæreticorum errores plurimas fidei controverſias dirimeret, ſed non inde ſequitur, objectum fidei noſtræ creviſſe per novas revelationes, ut nunc oſtendendum eſt.

CONCLUSIO.

A temporibus Chriſti & Apoſtolorum non crevit fides noſtra per novas revelationes.

Probatur 1. ex Scripturis, nimirum perfectam revelationem promiſit Chriſtus ſuis Apoſtolis, Joan. 14. *Paracletus autem Spiritus ſanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis*. Cap. 15. *Quia omnia quæcunque audivi a Patre meo nota feci vobis*. Et iterum cap. 16. *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo; cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. Quod ſi omnem veritatem Spiritus ſanctus revelavit Apoſtolis dubium non eſt quin Apoſtoli prædicando Evangelium omni creaturæ & per totum orbem, omnes iſtas fidei veritates nulla excepta annunciaverint.

Probatur 2. ex perpetua Eccleſiæ praxi quæ talis fuit, ut ex quo a Chriſto Domino & Apoſtolis fundata eſt, nihil unquam in Conciliis generalibus definiverit, niſi quod in Scripturis, vel in traditionibus minime ſcriptis continebatur easdem Scripturas ac Traditiones ſcrutando diligentius unde manavit illud vulgatum axioma, Eccleſia non condit novos fideli articulos, cujus videlicet hoc ſolum miniſterium eſt ut Scripturas interpretetur juxta unanimem ſanctorum Patrum doctrinam, ut veras Traditiones a falſis diſcernens doceat id quod a Deo revelatum eſt, illud indicet ac proponat; neque enim aliquid de fide divina eſt, ex eo præciſe quod definitur ab Eccleſia ſed quod a Deo revelatum eſt, aut potius hoc tantum præſtat Eccleſia, ut hoc & illud fuiſſe a Deo revelatum definiat. Unde manifeſte ſequitur objectum fidei creſcere quidem aliquo modo per novas explicationes, non autem per

no-

novam alicujus dogmatis revelationem.

Atque hoc quidem invicte oſtenditur ex Patribus Tridentinis, qui ſatis aperte ſignificant non aliam ſibi datam poteſtatem circa res fidei, quam veterem Chriſti & Apoſtolorum doctrinam proponendi; ſeſſ. 6. in Procemio ſic habent, *Sacroſancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus exponere intendit omnibus Chriſti fidelibus veram ſanamque doctrinam ipſius juſtificationis, quam ſol juſtitiæ Chriſtus Jeſus fidei noſtræ Autor & Conſummator docuit, Apoſtoli tradiderunt, & Catholica Eccleſia Spiritu ſancto ſuggerente perpetuo retinuit*. Eodem modo loquuntur ſeſſ. 13. in decreto de ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, *Eadem*, inquiunt, *ſacroſancta Synodus ſanam & ſinceram illam de venerabili hoc & divino Euchariſtiæ Sacramento doctrinam tradens, quam ſemper Catholica Eccleſia ab ipſo Jeſu Chriſto Domino noſtro & ejus Apoſtolis erudita, atque a Spiritu ſancto illi omnem veritatem in dies ſuggerente edocta retinuit & ad finem uſque ſeculi conſervabit*. Dixerant ſeſſ. 4. Decreto primo *omnem veritatem contineri in libris ſcriptis & Traditionibus quæ ex ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu ſancto dictante, quaſi per manus traditæ ad nos uſque pervenerunt*.

Ex quibus patet officium Conciliorum generalium eſſe antiquam Chriſti & Apoſtolorum fidem explicare & ſuis definitionibus declarare; non autem nova unquam dogmata fidelibus tradere. Unde conſequenter infertur materiam ſeu objectum fidei non creviſſe in ſucceſſione temporum a Chriſto Domino ad noſtra uſque tempora, niſi in ordine ad explicitam fidem, hoc eſt, quoad majorem fidei articulorum explicationem.

Objicies: Spiritus ſanctus aſſiſtit infallibiliter Eccleſiæ, uti & ipſis Scriptoribus ſacris: ergo nihil vetat quominus, dicatur Eccleſiam aliquid de novo revelare.

Diſt. ant. Eccleſiæ fidem Chriſti propugnanti, proponenti, explicanti, C. novam propria autoritate condenti, N. Scilicet Spiritus ſanctus aſſiſtit Eccleſiæ in eo miniſterio quod ipſis datum eſt ad fidem Chriſti conſervandam & revelationem proponendam, ita ut infallibiliter innoteſcat, non autem ad condendas novas revelationes nunquam antea traditas.

Objicies: Multis exemplis oſtenditur definitos fuiſſe ab Eccleſia & Conciliis generalibus certos fidei noſtræ articulos qui non reperiuntur in Scripturis ſacris; ſic definitum eſt in Concilio Carthaginenſi III. Canonicam eſſe Jacobi Epiſtolam, quam teſtatur S. Hieronymus nonniſi ſerius obtinuiſſe autoritatem; quod idem dici merito poteſt de Epiſtola Pauli ad Hebræos & de Apocalypſi S. Joannis, quæ per longum tempus ab Eccleſia Græca receptæ non ſunt. Item Concilium Tridentinum definivit virtutes ſupernaturales infundi parvulis in Baptiſmo, quod certe nec Scriptura docet nec Traditio, id enim probabile tantum judicaverat Concilium Viennenſe.

Plura commemorari poſſent ac præſertim in materia Sacramentorum, quæ nuſpiam revelata ſunt, & poſtea tamen tanquam de fide definita, ſic matrimonium eſſe Sacramentum novæ legis ſanxit Tridentina Synodus, quod tamen nullo in loco Scripturæ revelatum eſt: igitur novæ identidem fiunt novorum dogmatum revelationes.

Nego ant. & dico nihil colligi poſſe ex adductis modo exemplis, licet enim iſta non legantur expreſſe in Scripturis, eadem tamen perpetua & conſtanti Traditione conſtant; uti communiter docent Theologi, cum de iſtis ſigillatim articulis agunt paſſim in variis Tractatibus Theologicis; neque

K 2 enim

enim hæc omnia longiori oratione nunc excutiendi locus eſt. Scilicet nunquam Concilia generalia definiiſſent hos & illos libros eſſe Canonicos, matrimonium Sacramentum novæ legis a Chriſto inſtitutum, niſi hæc clare vidiſſent vel in Scriptura ſaltem implicite vel in Traditionibus contenta; fuit enim eorum conſtans & perpetua conſuetudo ut nihil definirent tanquam fide Catholica tenendum, quod non fuerit a Deo revelatum per Chriſtum vel Apoſtolos.

Inſtabis: in certis capitibus controverſis ita obſcurus eſt Scripturæ & Traditionis ſenſus; ut non poſſet quicquam definire Eccleſia, niſi per novam revelationem & ſuggeſtionem eam edoceret Spiritus ſanctus, eodem plane modo ac ſi nulla unquam facta fuiſſet de illis revelatio: igitur admittendæ ſunt novæ revelationes.

Nego ant. Revera extant in materia fidei quædam capita quæ venerunt aliquando in controverſiam, nec niſi obſcure continebantur tum in ſacra Scriptura tum in Traditionibus divinis, ſed non eſt propterea recurrendum ad novas Dei revelationes, ut Eccleſia poſſit in unam partem potius quam in aliam quæſtiones determinare, & verum Scripturæ ac Traditionis ſenſum aſſignare; ſatis eſt quod Spiritus ſanctus Eccleſiæ in Conciliis generalibus congregatæ ita præſit, ut nunquam ſinat eam errare adverſus quam portæ inferi nunquam prævalebunt. Habent igitur Patres Conciliorum generalium indicia certiſſima revelationis olim factæ, vel ſi deſint ejuſmodi indicia ab omni definitione ac certa determinatione prudenter abſtinent, uti non ſemel factum videtur in Concilio Tridentino.

Neque vero demiſſe hac in parte ſentimus de Eccleſia & de illius gubernatione per Spiritum ſanctum, quaſi Eccleſia reddatur dependens ab hominum memoria & diſcurſu: ſi nempe nihil definire poſſit abſque certa & infallibili memoria præjacente Traditionis divinæ. Namque de Eccleſia ſatis honorifice ſentit, quiſquis ait ei definienti veritates fidei ſemper aſſiſtere Spiritum ſanctum, quanquam aliunde dicatur, quod veriſſimum eſt & docet experientia, Patres in Concilio generali congregatos veritatem revelationis deducere per conſultationes Doctorum & accuratam antiquæ Traditionis inquiſitionem.

Inſtabis: ſi res ita eſſet, ſi nempe nova non fieret revelatio per Spiritum ſanctum in Conciliis generalibus, jam docti Theologi ad certo cognoſcendam veritatem & dirimendas infallibiliter fidei controverſias, non egerent Eccleſiæ & Conciliorum definitionibus, ipſi enim ex cognita Patrum doctrina facile intelligerent quid ſit revelatum. Abſurdum conſequens, ergo & ant.

Nego ant. Quanquam enim nonnulla certitudine docti cognoſcere poſſint quid ſit revelatum, quidve contineatur tum in Scripturis tum in Traditionibus divinis, volvendo nimirum SS. Patrum Scripta; de illis tamen judicare non poſſunt judicio abſolute loquendo infallibili, quia ſoli datum eſt Eccleſiæ infallibiliter definire in materia Fidei.

De Subjecto Fidei.

Circa fidei ſubjectum hæc veniunt in controverſiam apud Theologos: 1. Utrum fides ſit in intellectu vel in voluntate. 2. Utrum fides ſit in hæretico. 3. An ſit in beatis & in dæmonibus, quæ quidem quæſtiones paucis & ſigillatim ſunt examinandæ.

Utrum fides ſit in intellectu vel in voluntate.

Habet iſta quæſtio nonnihil affinitatis cum alia, quam expendimus ad initium hujuſce Tractatus adverſus Novatores qui contendunt fidem nihil aliud eſſe, quam fiduciam in promiſſiones,

nes divinas; inde enim merito colligitur fidem longe minus pertinere ad intellectum quam ad voluntatem. Verum aliam nunc inſtituimus controverſiam, quæ nimirum agitatur inter Theologos qui ſupponunt actum fidei divinæ nihil aliud eſſe quam aſſenſum firmum qui præbetur veritati cuipiam a Deo revelatæ, & diſputant utrum habitus fidei reſideat in intellectu vel in voluntate, tum vero utrum actus fidei eliciatur ab intellectu vel a voluntate, proprie & præciſe loquendo ſit actus intellectus vel voluntatis.

Certum eſt actum fidei pertinere ad intellectum ſimul & ad voluntatem propter rationes mox adducendas, ſed quæritur utrum ſit magis proprie intellectus quam voluntatis, vel contra; unde cohſequenter colligi poſſit fidei habitum reſidere in una ex illis facultatibus potius quam in alia.

Conclusio.

Actus fidei proprie loquendo pertinet ad intellectum, eſt ab intellectu elicitus, non a voluntate.

Probatur, quia actus fidei eſt firmus aſſenſus qui præbetur veritatibus a Deo revelatis: ſed ejuſmodi aſſenſus elicitur ab intellectu non a voluntate: ſiquidem aſſentiri alicui veritati eſt judicare rem ita eſſe, adeoque eſt actus judicii: ſed actus judicii quo aliquid verum eſſe judicatur, actus eſt intellectus, plerique enim Philoſophi docent judicium ſecundam eſſe mentis operationem: igitur actus fidei per ſe primario pertinet ad intellectum, actus eſt elicitus ab intellectu.

Objicies: Credere, eſt actus virtutis, eſt actus moralis, liber, & meritorius: ſed actus liber & meritorius pertinet ad voluntatem, ut per ſe patet, & in eo differt aſſenſus fidei ab aſſenſu ſcientifico, quod nempe aſſenſus ſcientificus, cum ſit neceſſarius ob evidentiam objecti, cenſeri debet pertinere ad intellectum; ſed aſſenſus fidei qui plerumque fertur in rem obſcuram, fieri non poteſt niſi a voluntate quæ fertur in rem minime claram & evidentem: Igitur actus fidei eſt voluntatis. Unde S. Thomas in caput 10. Epiſt. ad Romanos ſic habet, *Si confeſſus fueris ore tuo Dominum Jeſum & credideris in corde tuo, corde enim creditur ad juſtitiam; corde creditur, id eſt voluntate.*

Diſt. min. Pertinet ad voluntatem ut imperantem, C. ut elicientem & exequentem, N. Hoc argumentum probat ſolummodo actum fidei pertinere non modo ad intellectum ſed & in eo voluntatem partes habere ſuas, quod minime negamus: fatemur enim voluntatem ſuo modo cooperari ad quemlibet fidei actum, quatenus ſcilicet voluntas pia motione ſeu gratia Dei excitata movet & determinat intellectum ad aſſentiendum. Unde credere proxime, immediate, elicitive fit ab intellectu; remote vero, mediate & imperative fit a voluntate.

Neque vero aliud quidquam evincit ratio propoſita in objectione; ex eo quod enim fidei actus eſt de re obſcure cognita, colligi tantum debet requiri actum voluntatis quæ intellectui præcipiat aſſenſum, defectu ſcilicet evidentiæ ex parte objecti.

Alia porro non fuit S. Thomæ ſententia, ut aperte colligitur ex verbis immediate ſequentibus in eodem teſtimonio quod objicitur: *Nam cætera*, inquit, *quæ ad exteriorem Dei cultum pertinent, poteſt homo nolens, ſed credere non poteſt niſi volens. Intellectus enim credentis non determinatur ad aſſentiendum veritati ex neceſſitate rationis, ſicut intellectus ſcientis, ſed ex voluntate.* Quod idem aſſeverat, 2. 2. quæſt. art. 2. his verbis, *Credere ad intellectum pertinet prout eſt a voluntate motus, ad aſſentiendum*:

In quem profecto ſenſum interpretandus.

dus eſt S. Auguſtinus, cum ait fidem eſſe voluntatis, uti v. g. lib. de ſpiritu & littera cap. 31. his verbis: *Vide nunc utrum quiſque credat ſi noluerit, aut non credat ſi voluerit. Quod ſi abſurdum eſt, quid eſt enim credere, niſi conſentire verum eſſe quod dicitur? Conſentio autem utique volentis eſt*. Ex quibus colligere licet voluntatem ſuas habere partes in actu fidei, quatenus nempe movet intellectum ad aſſentiendum rebus a Deo revelatis, ſed ita ut intellectus hunc eundem aſſenſum per ſe, proxime, & immediate eliciat, adeoque habitus fidei proprie reſideat in intellectu non in voluntate.

Inſtabis: Supponit reſponſio intellectum ad aſſentiendum potius quam ad diſſentiendum rebus fidei, moveri a voluntate: atqui hoc falſum eſt: quia generatim loquendo voluntas non movet intellectum ad ſpecificationem, ut aiunt, actus, ſed ſolummodo ad exercitium actus: igitur.

Nego min. Ad cujus probationem diſt. maj. quando intellectus noſter ſufficienter determinatur ad ſpecificationem actus ab ipſo objecto, C. ſecus, N. Porro in materia fidei, quoniam objectum de ſe non eſt evidens, neque evidenter verum vel falſum, intellectus non determinatur ad aſſentiendum vel ad diſſentiendum ab ipſo objecto, quo fit ut illa determinatio fieri debeat ab alia cauſa, quæ quidem ne nemo noſtrum non experitur, non eſt alia quam voluntas pia motione & gratiæ divinæ beneficio adjuta.

Neque dicas intellectum ſufficienter determinari ad credendum per motiva credibilitatis quæ vel altiſſima fidei noſtræ myſteria reddunt credibilia, unde nec Dei gratia nec pia voluntatis motione opus habet intellectus ad actu credendum. Si quidem motiva credibilitatis, quæcunque tandem ſint, efficiunt quidem per ſe ut fidei myſteria ſint credibilia, non autem ut credantur, ad quem fidei actum eliciendum pia motio voluntatis requiritur, vel quia fidei objecta plerumque ſunt obſcura, vel quia fidei actus exerceri debet ex motivo ſupernaturali & in ordine ad vitam æternam.

Inſtabis: Hoc ſuppoſito deberet voluntas ſupplere defectum evidentiæ objecti: ſed non poteſt voluntas ſupplere defectum evidentiæ objecti: non poteſt enim reddere objectum evidentius: ergo.

Nego min. & ad probationem dico per eam voluntatis motionem qua intellectus determinatur ad aſſentiendum alicui fidei articulo, non ſuppleri defectum evidentiæ in objecto, in quantum redditur objectum evidentius; ſed in eo quod, ut diximus, captivat intellectum in obſequium fidei, ut enim ait Apoſtolus Rom. 10. cap. *Corde creditur ad juſtitiam*, id eſt, voluntate, quod non puto intelligendum negative, quaſi voluntas non reſiſtat, ſed poſitive per actum voluntatis poſitivum.

Inſtabis: Pia motio non reperitur in peccatoribus: atqui tamen in iis eſt vera fides ſaltem informis: igitur pia motio non requiritur ad actum fidei eliciendum.

Nego maj. Peccatores enim aliquem habent pium voluntatis motum ad aſſentiendum rebus fidei, qui quidem motus non fit per gratiam habitualem in illis reſidentem, ſed per gratiam actualem, illos excitantem ad credendum.

Quærunt hoc loco Theologi, utrum ad eliciendum fidei divinæ actum præter habitum qui reſidet in intellectu, alius quoque ſit habitus in voluntate præfatæ volitioni reſpondens.

Reſpondeo affirmative, quia voluntas quæ ſuas habet partes in actu fidei, quandoquidem imperat intellectui & illum determinat beneficio gratiæ, ſeu piæ motionis ad aſſentiendum rebus a Deo revelatis, connaturalius agit aliquo inſtructa habitu, quam ſi ſupponatur nullum omnino habere: habitus ille et-

iam

tam prout in voluntate reſidet, ſupernaturalis eſt, ut dicemus infra, deinde ejuſmodi habitus prior eſt ipſo fidei habitu qui reſidet in intellectu, quia prius concipitur eſſe in homine voluntas credendi quam actus ipſe quo credit. Demum ille habitus voluntatis quo movetur intellectus ad credendum ſi conjungatur cum habitu intellectus in quo poſita eſt fides, unum dumtaxat moraliter habitum cum eo facere cenſetur.

Utrum Fides ſit in hæretico.

Quæſtio non eſt de iis qui ſolummodo hæretici ſunt materialiter, ut vulgo dicitur, hoc eſt, qui errant circa aliquem fidei articulum ignorantes ſe hac in parte catholicæ doctrinæ contradicere, quemadmodum erravit olim S. Cyprianus circa Baptiſmum ab hæreticis collatum, quod ſane dogma non tenuiſſet ſi manifeſtam habuiſſet ſuper ea re univerſæ Eccleſiæ doctrinam; qui hoc modo errant in fide, ex conſenſu omnium fidem ſuper aliis articulis non amittunt.

Verum quæſtio movetur de illis hæreticis qui aliquem fidei articulum negant quem probe norunt ab Eccleſia Catholica definitum; & quæritur utrum ex eo præciſe amittant fidem habitualem qua poſſint alios articulos credere, vel abſtrahendo ab eo quod in ejuſmodi hominibus remaneat fides habitualis nec ne, utrum in iis poſſit eſſe verus fidei divinæ actus circa alios articulos quos revera credunt una cum Catholicis, v. g. utrum Calviniſtæ verum fidei divinæ actum eliciant circa Trinitatem, cum aliunde rejiciant Tranſubſtantiationem, Purgatorium & plures alios fidei articulos.

Partem affirmativam tenet Durandus, docens in 3. diſt. 23. q. 9. in hæreticis poſſe veram reperiri fidem reſpectu articulorum in quibus non errant, idque contra communem Theologorum ſententiam, qui duce S. Thoma 2. 2. q. 5. art. 3. docent nullam eſſe fidem in hæreticis qui vel uni tantum fidei Catholicæ articulo diſſentiunt; horum ſententiæ ſubſcribimus.

CONCLUSIO.

Non eſt vera fides in hæreticis.

Probatur 1. ex Scripturis quæ ſatis aperte id inſinuare videntur, nam juxta Apoſtolum 1. ad Timot. 1. cap. hæretici dicuntur fidei naufragium feciſſe, *Habens fidem & bonam conſcientiam quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt ex quibus eſt Himeneus &c. Alexander*, qui non omnes & ſingulos fidei articulos rejiciebant.

Deinde idem Apoſtolus teſtatur Epheſ. 4. fidem eſſe unam, quod certe intelligi potiſſimum debet ratione objecti quod idem debet eſſe pro omnibus qui aut nullam prorſus fidem habent, aut illam habent integram credendo omnes & ſingulos fidei divinæ articulos.

Omitto hunc adducere locum qui a nonnullis uſurpatur, petitum ex Epiſt. Jacobi cap. 2. *qui offendit in uno, factus eſt omnium reus*. Apertum eſt enim eo loci ſermonem eſſe de iis qui tranſgrediuntur unum ex mandatis, non de hæreticis qui uni fidei articulo diſſentiunt. Sic enim eſt integer iſte Jacobi textus: *Quicumque autem totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus.*

Probatur 2. ex Concilio Tridentino quod manifeſte ſupponit fidem amitti per infidelitatem ſeſſ. 6. cap. 15. ubi probat quolibet peccato mortali amitti gratiam, non fidem: *Aſſerendum eſt non modo infidelitate per quam & ipſa fides amittitur, ſed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam juſtificationis gratiam amitti.* Sentire videntur Patres Tridentini fidem amitti per infidelitatem, quemadmodum gratia juſtificans amittitur per quodcun-

cunque peccatum mortale : ſed ita per peccatum mortale amittitur gratia juſtificans, ut nulla ſit in peccatore : igitur putant nullam remanere fidem in hæretico qui per infidelitatem unum ex fidei articulis rejicit.

Probatur 3. ratione, quia verus fidei divinæ actus debet eſſe certus : ſed actus quo hæretici credunt aliquem articulum reipſa a Deo revelatum, quando illum rejiciunt, non eſt omnino certus ; actus v.g. quo credit Calviniſta Trinitatem, non eſt omnino certus : qui enim credit veritatem quia revelata eſt a Deo ; nec aliunde certo tenet hanc eandem veritatem eſſe a Deo revelatam, ille certo non credit Trinitatem : atqui Calviniſta credit Trinitatem quia revelata eſt a Deo, ſed certo non ſcit illam fuiſſe a Deo revelatam : ſiquidem ille certo non novit Trinitatem eſſe a Deo revelatam, qui hoc ipſum novit per medium fallax & errori obnoxium : ſed Trinitatem eſſe a Deo revelatam Calviniſta novit per medium fallax & errori obnoxium, iſtud enim novit privato judicio, non publica & infallibili Eccleſiæ autoritate fultus, in quo differt a Catholicis qui non privato judicio & examine ſed propter Eccleſiæ Catholicæ teſtificantis autoritatem credunt ea omnia a Deo fuiſſe revelata quæ credenda fidelibus proponuntur, qua quidem infallibili autoritate certi ſunt, ut dicetur infra, quænam ſit Scriptura ſacra a Deo inſpirata, & quiuam ſit genuinus ejuſdem Scripturæ ſenſus : ergo actus quo nonnullos fidei noſtræ articulos credunt hæretici, non eſt omnino certus ; adeoque non eſt verus fidei divinæ actus.

Huic rationi maxime conſentaneum eſt ratiocinium quod adducit S. Thomas 2. 2. q. 5. art. 3. his verbis : *Dicendum quod in hæretico diſcredente unum articulum fidei non manet fides, quia ſpecies cujuslibet habitus dependet ex formali ratione objecti, qua ſublata ſpecies habitus remanere non poteſt. Formale autem objectum fidei eſt veritas prima ſecundum quod manifeſtetur in Scripturis ſacris & doctrina Eccleſiæ quæ procedit ex veritate prima. Unde quæcunque non inhæret ſicut infallibili & divinæ regulæ doctrinæ Eccleſiæ, ille non habet habitum fidei, ſed ea quæ ſunt fidei alio modo tenet quam per fidem . . . . Manifeſtum eſt autem quod hæreticus qui pertinaciter diſcredit unum articulum fidei, non eſt paratus ſequi in omnibus doctrinam Eccleſiæ.*

Objicies, fidem remanere in eo qui unum aut alterum fidei articulum non credit vel rejicit, manifeſte oſtendit exemplum Apoſtolorum qui tempore Paſſionis Chriſti ſcandalum paſſi fidem in illum amiſerunt ; his quippe ſuam incredulitatem exprobravit Chriſtus poſt ſuam Reſurrectionem, uti habetur Marci ultimo cap. his verbis : *Noviſſime recumbentibus illis undecim apparuit, & exprobravit incredulitatem eorum, quia iis qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt*. Item Joan. 20. cap. Chriſtus appellat Thomam Apoſtolum incredulum, *Noli eſſe incredulus ſed fidelis*. Sed veriſimile non eſt Apoſtolos tunc amiſiſſe fidem Trinitatis : igitur.

Præterea Judæi fide credebant unum eſſe Deum Creatorem cœli & terræ ante Chriſti Domini adventum, quam certe fidem non amiſerunt quando in Chriſtum Meſſiam credere noluerunt : igitur hæretici qui nonnullos fidei articulos rejiciunt, fidem veram retinent quoad alios.

Nego ant. ſcilicet adverſus hanc ſententiam nihil oſtendit exemplum Apoſtolorum, ſi enim fidem amiſerunt in Chriſtum, vel in ejus Reſurrectionem ſibi ſufficienter propoſitam, profecto fidem omnem quoad omnes alios articulos perdiderunt ; fides enim, ut ait Eſtius, ſignificat aliquid integrum & omnibus ſuis partibus abſolutum, ita ut idem ſit fides ſimpliciter & fides Catholica, quæ nimirum abſolute hominem fidelem & Catholicum conſtituat.

Ea-

Eadem ratione probat ille Theologus Judæos fidem veram non habuiſſe ſed tantum ejus partem aliquam, quæ non eſt vera fides, quando nempe Chriſtum Meſſiam agnoſcere noluerunt, tametſi eadem qua prius firmitate tenuiſſe viderentur unum eſſe Deum cœli & terræ Creatorem.

Objicies: In hæreticis veram eſſe fidem articulorum in quibus non errant, aperte probat experientia. Nam Calviniſtæ v. g. firmiter credunt Trinitatem, Chriſti divinitatem &c. quaſi totidem veritates reipſa revelatas a Deo & propter ipſam Dei revelationem, quia iſti hæretici Evangelia quatuor recipiunt tanquam verbum Dei, quo poſito divinam autoritatem in illis agnoſcunt.

Nego ant. & dico hæreticos veram non habere fidem etiam articulorum in quibus non errant, quia licet credant veritates reipſa revelatas a Deo, tamen illas non credunt per medium neceſſario requiſitum ad veram fidem puta per autoritatem Eccleſiæ teſtificantis & proponentis quod ſit a Deo revelatum, quo fit ut illi non habeant niſi ſpeciem & apparentiam fidei. Præterquamquod, ut diximus, certi nunquam eſſe poſſunt ejuſmodi veritates, quibus fidem adhibent, fuiſſe a Deo revelatas, quandiu non adhærent hac in parte infallibili Eccleſiæ autoritati, ſed tantum ſuo privato judicio maxime fallibili.

Inſtabis: Ille poteſt verum fidei divinæ actum elicere in quo remanet verus fidei habitus; ſed in hæretico qui nonniſi unum aut alterum fidei Catholicæ articulum rejicit, remanet verus fidei habitus, quem videlicet infuſum habuit in Baptiſmo. Nam ſi in hæretico non remaneret habitus fidei, id fieret quia per actum infidelitatis deſtrueretur, ſed habitus fidei non deſtruitur per actum infidelitatis, quo unus aut alter ex fidei articulis negatur. Siquidem generatim loquendo habitus non deſtruitur per unum actum vitii contrarii; non corrumpitur v. g. habitus ſcientiæ per unum actum erroris circa unam concluſionem; ſicuti nec in moralibus habitus temperantiæ amittitur per unum actum ebrietatis: ergo nec amittitur fidei habitus infuſus in Baptiſmo per aliquem infidelitatis actum quo unum aut alterum fidei catholicæ articulum negat hæreticus.

Nego min. ad probat. diſting. maj. Habitus non deſtruitur per unum actum vitii contrarii, habitus naturalis, C. ſupernaturalis, N. Hujus autem diſcriminis ratio petitur ex Dei voluntate & ordinatione. Scilicet voluit Deus ut qui vel minimum actum his habitibus infuſis contrarium eliceret, ipſo habitu infuſo & ſupernaturali ſtatim privaretur, ſic enim v. g. per unicum deſperationis actum homo amittit ſpei habitum, & per unicum peccatum mortale deſtruitur charitas; unde mirum non eſt ſi dicatur etiam fides interire per unicum infidelitatis actum.

Quod ſi ſermo ſit de ipſo fidei actu independenter ab eo quod fiat per habitum, dicimus etiam ejuſmodi actum elici non poſſe ab hæretico qui vel uni tantum articulo diſſentit, quanquam actus ſcientiæ produci poſſit circa unum ejuſdem ſcientiæ caput ab illo homine qui circa aliud caput aberrat. Et ratio diſparitatis eſt quia intellectus non aſſentitur omnibus & ſingulis alicujus ſcientiæ objectis per unum idemque medium, Philoſophus v. g. non aſſentitur per idem ſed per diverſum & multiplex medium, videlicet quibuſdam aſſentitur per evidentiam, aliis per experientiam; ſi per evidentiam, hæc major eſt vel minor pro diverſis objectis; unde in uno errare poteſt & non errare in alio. Sed in omnibus fidei divinæ actibus idem ſemper eſt medium, eadem ratio determinans intellectum ad credendum, nempe revelatio Dei cognita per autoritatem Eccleſiæ infallibiliter teſtificantis: quo fit ut hæreticus negans unum ex articulis a

Deo revelatis juxta Eccleſiæ teſtimonium, non poteſt ex eodem motivo alium articulum credere: adeoque fidei actum elicere.

Inſtabis: In eo eſt verus fidei habitus in quo remanet facilitas ad credendum: ſed in hæretico remanet vera & proprie dicta facilitas ad credenda ſcilicet ea fidei noſtræ capita quæ non rejicit, quæ quidem facilitas & propenſio ad credendum nec deſtruitur nec imminuitur per aſſenſum quo aliis articulis diſſentiunt, ut manifeſte docet experientia: igitur verus fidei habitus eſt in hæreticis.

Diſt. min. Remanet facilitas naturalis, C. ſupernaturalis, N. Ad reſpondendum huic difficultati quam fateor non admodum levem, dico cum omnibus fere Theologis, in hæreticis, qui pe actum infidelitatis ſupernaturalem fidei habitum amiſerunt, remanere quidem facilitatem credendi myſteria quæ non rejiciunt, ſed illam repetendam eſſe a fide naturali & acquiſita, non autem a fide ſupernaturali & infuſa; quia, ut ait Scotus, fides & hæreſis ſtare ſimul non poſſunt. Quemadmodum qui aſſuetus dare eleemoſinam propter Chriſtum & per habitum ſupernaturalem, ſi deficeret ad Mahometanos, adhuc facilitatem haberet erogandi eleemoſinam, ſed quæ facilitas mere naturalis eſſet & acquiſita; per quam nimirum eliceret actus eleemoſinæ quam erogaret propter Mahometem & ex pravo fine.

Neque vero quicquam obeſt quod docet S. Auguſtinus lib. de patientia c. 27. patientiam Schiſmaticorum & Hæreticorum eſſe donum Dei: *Proinde*, inquit, *ſicut negandum non eſt hoc eſſe donum Dei, ita intelligendum eſt alia eſſe Dei dona filiorum illius Jeruſalem ..... alia vero quæ poſſunt accipere etiam filii concubinarum quibus Judæi carnales & Schiſmatici vel hæretici comparantur*. Ad ſummum enim colligeretur S. Aug. exiſtimaſſe patientiam, uti & alias quaſdam virtutes morales, dona Dei eſſe etiam in Schiſmaticis & Hæreticis, non autem in iiſdem hominibus remanere fidem infuſam & ſupernaturalem. Quod ſi in iiſdem nonnullam fidem eo loci admittat S. Auguſt. non quidem quæ per charitatem ſed per elationem vel timorem operetur. Id non eſt de vera fide intelligendum.

Inſtabis: Idem S. Auguſt. ſupponit fidem remanere in Judæis eorum ſcilicet articulorum quos credebant ante fidem Chriſti ſuſceptam. Sic enim lib. de unico Baptiſmo cap. 5. ait nos Judæis dicere: *Tene fidem reſurrectionis mortuorum, ſicut tenebas, ſed crede jam Chriſtum reſurrexiſſe a mortuis, quod non credebas*. Igitur & par ratio eſt de hæreticis.

Nego conſeq. Si nimirum ſermo ſit de Judæis ad ipſa Chriſti tempora viventibus, cum enim vera & ſupernaturali fide crederent reſurrectionem mortuorum, poſſumus ipſis dicere, *tene fidem ſicut tenebas*, ſed par non eſt ratio de hæreticis qui ad ſinum Eccleſiæ redirent. Deinde, ſi ſermo ſit de Judæis qui longe poſt Evangelii promulgationem degebant, & qui propterea hæreſi laborabant circa Reſurrectionem Chriſti, nego in illis fuiſſe fidem veram & proprie dictam reſurrectionis mortuorum. Unde ſenſus verborum quæ objiciuntur, eſt debere Judæos credere reſurrectionem corporum quam credebant antea, ſed tamen alia fide; fidem antea habebant in privato judicio infallibili fundatam, nunc fide credunt in teſtimonio Eccleſiæ infallibili innixa.

Utrum

Utrum Fides remaneat in Beatis.

CONCLUSIO.

Non remanet fides in Beatis.

Probatur, non ex ea quidem ratione quod phyſice loquendo & ex natura rei fides myſteriorum cum clara eorumdem viſione repugnet, uti enim ſupra diximus, clara & manifeſta objecti viſio reperiri poteſt cum fide de eodem objecto, ſiquidem & fide divina & per claram demonſtrationem cognoſcimus exiſtentiam Dei, animæ rationalis immortalitatem &c. ſed iſtud ita eſſe videtur quia fides chriſtiana, hæc fides quæ in nobis virtus eſt Theologica, beatis foret omnino ſuperflua; quandoquidem clare vident quod nos fide tenemus; præterquamquod fides eſt potiſſimum data viatoribus tanquam fundamentum ſpei quam habent in bona vitæ alterius.

Quamobrem id non leviter inſinuatur in Scripturis, dicente Apoſtolo 1. Corint. 13. cap. *Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus; cum autem venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt.* Hoc eſt, cum venerit rerum divinarum clara viſio, ceſſabit cognitio imperfecta & obſcura.

Objicies: S. Irenæus docet l. 2. c. 47. fidem remanere in futuro ſæculo: *Et non ſolum*, inquit, *in hoc ſæculo ſed & in futuro, ut ſemper quidem Deus doceat, homo autem ſemper diſcat quæ ſunt a Deo: ſicut & Apoſtolus dixit, reliquis partibus deſtructis hæc tunc perſeverare quæ ſunt fides, ſpes & charitas*. Ergo.

Reſpondet Feu-ardentius juxta mentem S. Irenæi fidem remanere in futuro ſæculo quoad eandem certitudinem per quam beati cognoſcent quæcumque hic in vita cognoſcimus, non autem remanere quoad obſcuritatem & alios proprios caracteres; vel etiam fidem remanere quoad habitum & ornatum, non quoad actus & exercitium.

An Fides ſit in Dæmonibus.

CONCLUSIO.

Fides non eſt in Dæmonibus.

Probatur, quia fides eſt donum Dei inclinans ad credendum ex pia vel ma-tis motione, ex pio affectu: ſed non eſt in dæmonibus, uti nec in hominibus damnatis, ejuſmodi pia motio, pius ad credendum affectus, ſiquidem id repugnat illorum ſtatui & conditioni: ergo in illis non eſt fides.

Objicies; Jacobi 2. cap. hæc leguntur: *Credis quia unus eſt Deus, benefacis, & dæmones credunt & contremiſcunt*. Igitur in dæmonibus eſt fides.

Diſt. conſ. Eſt fides late & improprie dicta, C. eſt fides vera & chriſtiana, N. Porro, ut ait Eſtius; cum dæmones ingenii ſui ſagacitate, vel argumentorum pondere aut variis ſignis & miraculis convicti unum eſſe Deum cognoſcant, vel etiam videant dogmata religionis noſtræ non repugnare veritati ſibi naturaliter cognitæ, ſuo modo credere & fidem habere reputantur; ſed fidem improprie dictam, fidem acquiſitam, non infuſam & chriſtianam, cum nulla ſit in iis humilitas, nulla obedientia & pia voluntatis obſequentis propenſio ad credendum propter revelationem Dei, in quo certe poſita eſt fides ſupernaturalis. Quomodo reſponderi ſimiliter debet nonnullis SS. Patrum teſtimoniis, qui fidem non raro dæmonibus tribuunt, loquuntur enim poſt S. Jacobum, atque adeo in eundem plane ſenſum interpretandi ſunt.

Objicies: Saltem in damnatis remanet fides quando nunquam inciderunt in peccatum infidelitatis; ſola enim infidelitate, non aliis peccatis mortalibus interit fides: igitur.

Nego ant. & dico fidem in homini-

bus damnatis non deſinere per actus infidelitatis, ſed ex ordinatione & voluntate Dei qui & gratiam & concurſum illis ſubtrahit, cujus defectu non poſſunt ullum fidei divinæ actum elicere.

Quærunt hic Theologi num fuerit fides in Angelis & primo homine antequam peccarent.

Reſpondeo extra omnem dubitationem eſſe, in utriſque fuiſſe veram fidem; fides quippe eſt aſſenſus datus propoſitioni a Deo revelatæ: ſed in Angelis, ut aiunt, viatoribus, & in Adamo ante primum peccatum fuit aſſenſus datus propoſitionibus a Deo revelatis, fuerunt enim in utriſque humilitas, obedientia, gratia, & pia effectio ad credendum quicquid Deus ipſis revelavit: igitur in illis fuit vera fides.

Neque eſt quod dicatur in Angelis fuiſſe claram & evidentem notitiam revelationis, hoc eſt, illos clare cognoviſſe Deum eſſe qui revelabat quod ipſis fuit revelatum. Nam, ut ſupra oſtendimus, fidei non obeſt quod revelatio ſit evidens præſertim reſpectu revelantis.

De Regulis Fidei.

Regula fidei dicitur illud quod verum fidei objectum vel continet vel declarat. Tres autem vulgo a Theologis aſſignantur fidei regulæ, nimirum Scriptura, Traditio, & Eccleſia; ſed quæ tamen non eodem modo fidem noſtram promovent & manifeſtant: Scriptura enim & Traditio verbum ipſum Dei quod eſt ſolum fidei divinæ objectum, in ſe continet; Eccleſia autem illud proponit & explicat.

De Scriptura hoc loco non diſputabimus, tum quia fatentur omnes Chriſtiani in Scriptura verum Dei verbum contineri, unde non aliam fidei ſuæ regulam agnoſcunt hæretici noſtri; tum quia longioris eſſet negotii & integro pene opus eſſet volumine omnia vel ſtrictim pertractare quæ ad Scripturam attinent. Hoc ipſum, ſi Deus ita volet, in poſtremum præſtabimus.

Verum de Traditione & Eccleſia nunc agendum eſt, utramque enim hanc fidei regulam aperte rejiciunt Novatores, qui contendunt nullum agnoſci debere verbum Dei traditum & non ſcriptum, & aliunde negant Eccleſiam eſſe in materia fidei controverſiarum judicem; unde quoad hanc utramque difficultatem attinet, de Traditionibus & de Eccleſia tractabimus.

De Traditione.

Nomen Traditionis dupliciter ſumitur apud Theologos, nimirum pro verbo non ſcripto, quo ſenſu Eccleſia Catholica docet adverſus hæreticos præter Scripturam ſacram agnoſci debere pro fidei noſtræ objecto aliquas Traditiones, hoc eſt, quædam dogmata a Deo revelata, licet non ſcripta. Deinde Traditio ſumitur pro unanimi ſanctorum Patrum & Doctorum conſenſu quatenus eandem referunt doctrinam; quo ſenſu Theologi omnes ſolent ſuas probare aſſertiones ex Traditione, hoc eſt, ex Patrum teſtimonio, etiam in doctrina aliunde ſcripta, vel quæ ad fidem Catholicam non pertineat. De Traditione priori modo accepta nunc differendum eſt, & quæritur an ejuſmodi Traditio admittenda ſit quæ videlicet fidei Catholicæ ſit objectum.

Utrum præter Scripturam ſacram admittendum ſit aliquod verbum Dei traditum ſeu non ſcriptum.

Traditio ſumpta pro verbo non ſcripto adhuc multiplex diſtinguitur, per oppoſitionem ſcilicet ad ipſum verbum ſcriptum; verbum enim quod cenſetur a Deo revelatum, ſi non ſit in divinis litteris ſcriptum, dicitur Traditio

Digitized by Google

ditio divina ; ſi credatur eſſe Apoſtolorum dicitur Traditio Apoſtolica ; denique Traditiones Eccleſiaſticæ dicuntur quædam conſuetudines in Eccleſia receptæ, & quæ inter decreta Conciliorum ſcriptæ non ſunt.

De Traditionibus divinis percelebris movetur controverſia Catholicos inter & hæreticos, & quæritur utrum præter Scripturam ſacram quæ ex conſenſu omnium verum continet Dei verbum, admitti debeant Traditiones divinæ, hoc eſt nonnulla fidei divinæ dogmata non ſcripta, quæ tamen ſint fide credenda, uti & ipſum Dei verbum ſcriptum, & paris cum illo autoritatis.

Certe nemo unquam dubitavit, quin ejuſmodi dogmata, ſi quæ ſint vere a Deo revelata, parem habeant autoritatem & fide divina credi debeant, uti & ea quæ continentur in Scripturis ſacris; intelligunt enim omnes quodlibet verbum Dei, eſſe verum fidei noſtræ objectum, non quia litteris exaratum eſt, ſed præciſe quia fluxit ab ore Dei, quia fuit a Deo revelatum. Unde tota difficultas eſt utrum ſint aliqua ejuſmodi dogmata viva voce a Chriſto vel Apoſtolis tradita & non ſcripta.

Tales admittendas eſſe Traditiones quam multi ac pene omnes in variis ſæculis negarunt hæretici, ſed omnium diſertiſſime Novatores noſtri qui paſſim contendunt nullum eſſe fidei dogma quod non contineatur in Scripturis ſacris. Sic v. g. Lutherus comment. in cap. 1. Epiſtolæ ad Galatas : *Neque alia, inquit, doctrina in Eccleſia tradi & audiri debet quam purum verbum Dei, hoc eſt, ſancta Scriptura, doctores vel auditores alii cum ſua doctrina anathema ſunto.*

Ita & Calvinus lib. 4. Inſtit. cap. 8. §. 8. his verbis : *Eſto igitur hoc firmum axioma, non aliud habendum eſſe Dei verbum, cui detur in Eccleſia locus quam quod lege primum & Prophetis, deinde ſcriptis Apoſtolicis continetur, nec alium eſſe rite docendi in Eccleſia modum, niſi ex ejus verbi præſcripto & norma ... proinde nihil aliud vel ſibi vel aliis reliquum facit Petrus optime a Magiſtro edoctus quantum ſibi liceret, niſi ut traditam a Deo doctrinam diſpenſet.* Hoc idem ſyſtema acriter propugnant omnes horum Hæreſiarcharum diſcipuli, hoc ſcilicet prætextu quod Scriptura non ſit manca & imperfecta, ſed integram Chriſti fidem complectatur : fatentur equidem nonnulla præter Scripturam ſacram fuiſſe ab Apoſtolis inſtituta, quæ ad ritus & gubernationem Eccleſiæ pertinent, nec ad ſalutem ſunt neceſſaria; ſed acriter contendunt nihil eos tradidiſſe præter Scripturam quæ ad fidem & mores attineat.

Inter illos Hæreticos eminuit potiſſimum Dallæus Calviniſta qui in opere ſuo *de vero uſu Patrum* totus eſt ut oſtendat vana ac futilia eſſe argumenta quæ ex unanimi ſanctorum Patrum conſenſu repetere ſolent Catholici ad fidem aſtruendam a Chriſto & Apoſtolis deſcendentem, quod nulla doctrina ſit certa, divina ex fide credenda, quæ non ſit ſcripta in libris Canonicis. In hunc Novatorum errorem ſit.

CONCLUSIO.

Admittendæ ſunt Traditiones divinæ, hoc eſt, præter Scripturam ſacram alia ſunt fidei Catholicæ dogmata quæ non ſunt minus verbum Dei quam verbum ſcriptum.

Probatur 1. ex Scripturis, Joan. 16. cap. Chriſtus ait ſuis diſcipulis ; *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo.* Quæ dubio procul ipſis dixit poſt Reſurrectionem ſuam, ut teſtatur S. Lucas Act. 1. *per dies quadraginta apparens eis & loquens de regno Dei.* At certe de Chriſti ſermonibus ad ſuos Apoſtolos pauca ſcripſerunt Evangeliſtæ : probabile eſt autem Apoſtolos hæc eadem Chriſti verba Eccleſiis tradidiſſe

uti

Digitized by Google

uti recte colligitur ex illorum paſſim teſtimoniis. S. Paulus, v. gr. loquens de modo ſumendæ Euchariſtiæ ſic Corinthios alloquitur 1. Epiſt. cap. 11: *Laudo vos quod per omnia mei memores eſtis, & ſicut tradidi vobis præcepta mea tenetis*. Quæ quidem præcepta nullo in loco ſcripta legimus: igitur.

Inſignis eſt & peremptorius ſuper iſto argumento locus ex 2. ad Theſſalon. cap. 2. ubi ſic loquitur Apoſtolus, *Itaque fratres ſtate & tenete Traditiones quas didiciſtis ſive per ſermonem ſive per Epiſtolam noſtram*. Ex quo loco patet non minus ea eſſe ſervanda quæ per ſermonem, hoc eſt, verbo & viva voce tradiderunt Apoſtoli, quam quæ in ſcriptis reliquerunt, *ſive per ſermonem ſive per Epiſtolam noſtram*. Apoſtolus enim utramque æquiparat Traditionem ſcriptam & non ſcriptam, & ait utrique æqualiter ſtandum eſſe, quod nimirum utrinque ipſum eſt Dei verbum.

Neque audiendus eſt Calvinus, cum ait eo loci ſermonem eſſe non de rebus ad fidem pertinentibus, ſed ad externam politiam Eccleſiaſticam. Namque hoc ideo Theſſalonicenſibus ſcribit Apoſtolus, ut firmi ſint in fide veritatis; ut manifeſte liquet ex verbis præcedentibus; unde ſequitur illum loqui de rebus ad fidem attinentibus.

Neque dicatur etiam, cum hæc ſcriberet Paulus, nondum conſcriptas fuiſſe alias omnes Epiſtolas quas poſtea dedit fidelibus, quaſi quædam nondum ſcripta ſed verbo tantum tradita ſervari tunc debuerint. Quando autem omnia dogmata fuerunt ſcripta, tunc nullis plane Traditionibus opus fuerit.

Scilicet nullius momenti & vana omnino eſt iſta reſponſio, quia nullibi ſcriptum eſt nos habere plenum verbum Dei, ita ut nulla Traditione indigeamus, debuiſſet igitur in illa ſententia dicere Apoſtolus: Tenete Traditiones quas didiciſtis per ſermonem, donec hæc eadem ſcripta fuerint; aliter fatendum eſt per mentem divi Pauli fuiſſe tenendas & fide divina credendas eſſe Traditiones non ſcriptas, uti & dogmata ſcripta. Deinde cum Apoſtolus dicat abſolute & ſine ulla reſtrictione, *Tenete Traditiones quas didiciſtis ſive per ſermonem ſive per Epiſtolam noſtram*. Non video qua de cauſa fideles huic mandato parere non tenebantur, poſtquam ſcriptæ fuerunt aliæ Epiſtolæ quas poſtea conſcripſit.

Reſpondent inſuper Calviniſtæ ex hoc Teſtimonio colligi quidem Apoſtolum Theſſalonicenſes docuiſſe, tum per vivam vocem, tum per Epiſtolam, & tenenda eſſe quæ utrovis modo docuit, ita tamen ut ex vi horum verborum non ſequatur cum alia dogmata tradidiſſe viva voce quam quæ ſcripto tradidit.

Verum aperte falſa & futilis eſt illa reſponſio, particula enim illa *ſive* qua utitur Apoſtolus disjunctiva eſt, adeoque denotat diverſitatem rerum de quibus loquitur, hoc eſt, ſermonis non ſcripti & Epiſtolæ ſcriptæ.

Reſpondere ſimiliter non debent adverſarii Apoſtolum id ſolummodo præcipere Theſſalonicenſibus illius temporis, non autem omnibus & ſingulis fidelibus. Namque, cum ejusmodi mandata legimus apud Scriptores divinos, in materia ſcilicet quæ ad fidem vel mores pertinet, ea cenſentur data omnibus populis Chriſtianis, aliter nulla eſſet lex univerſalis quæ omnes fideles obligaret, ad ſolos v. g. Corinthios dirigeretur quod ſcribit S. Paulus de Euchariſtia 1. ad Cor. cap. 11. quod nec ipſi pertendunt adverſarii.

His addi poſſunt alia quædam teſtimonia ejusdem Apoſtoli in gratiam Traditionum ſcribentis, 2. ad Timoth. 1. *Formam habe*, inquit, *ſanorum verborum quæ a me audiſti, bonum depoſitum cuſtodi per Spiritum ſanctum qui habitat in nobis*. Et cap. 2. *Tu ergo fili mi conſortare in gratia quæ eſt in Chriſto Je-*

ſu,

Digitized by Google

ſu, *& quæ audiſti a me per multos teſtes*, *hæc commenda fidelibus hominibus qui idonei erunt & alios docere*. 1. Hic Apoſtolus loquitur in genere de omni verbo ac proinde de verbo non ſcripto uti & de ſcripto. 2. Loquitur de iis omnibus quæ prædicaverat, *quæ a me audiſti*. Sed conſtat eum plura Timotheo annunciaſſe quam quæ ſcripta leguntur in duabus Epiſtolis ad ipſum directis. 3. demum, ſi ſermo ibi eſſet de verbis ſcriptis, ut obſervat Bellarminus, divus Paulus non adderet, *Hæc commenda fidelibus qui idonei erunt & alios docere*, ſed diceret, hæc commenda librariis ut multa exemplaria fideliter tranſcribant: Igitur.

Probatur 2. ex ſanctis Patribus quorum a primis Eccleſiæ temporibus una eſt ſuper ea re vox & doctrina, ex eorum teſtimoniis quædam ſelectiora proferemus, non ſingula, ne immenſum creſcat iſta diſputatio: plura videre poteris apud Bellarminum.

Primus in medium producitur Papias qui hæc ſcribit apud Euſebium lib. 3. cap. 39. *Quod ſi quis interdum mihi occurrebat qui cum ſenioribus verſatus fuiſſet, ex eo curioſe ſciſcitabar quænam eſſent ſeniorum dicta, quid Andreas, quid Petrus, quid Philippus, quid Thomas, quid Jacobus, quid Joannes, quid Matthæus, quid cæteri Domini diſcipuli dicere ſoliti eſſent .... Neque enim ex librorum lectione tantam me utilitatem capere poſſe exiſtimabam, quantam ex hominum adhuc ſuperſtitum viva voce*. Solebant itaque fideles non modo illam ſequi doctrinam quæ in ſcriptis Apoſtolorum legebatur, ſed & illam quam ab iiſdem acceperant viva voce & per ſermonem; nec dubium eſt quin Epiſcopi utramque doctrinam utpote divinam & a Chriſto per Apoſtolos transmiſſam pari pietate amplexi fuerint.

Idem aperte docet Ignatius martyr de quo ſic loquitur idem Euſebius lib. 3. hiſt. Eccl. cap. 36. *Et cum per Aſiam ſub accuratiſſima ſatellitum cuſtodia duceretur, ſingularum nihilominus civitatum quas ingrederetur Eccleſias ſermonibus & cohortationibus ſuis confirmans monebat imprimis, ut ſibi a pravis hæreticorum opinionibus caverint, quæ tunc primum in lucem emergere cum cœpiſſent, copioſius pullulabant. Hortatusque eſt ut Apoſtolorum Traditionibus tenaciter inhærerent, quas quidem ad certiorem poſteritatis notitiam teſtimonio ſuo confirmatas ſcriptis mandare neceſſarium duxit*. Ex quibus ſequitur omnes Traditiones, hoc eſt, omnia fidei dogmata ab Apoſtolis ſcripta non fuiſſe, & quæ propterea ſe ſcripſiſſe teſtatur Ignatius, in ſeptem videlicet ejus Epiſtolis, quæ nunc ipſi ab omnibus eruditis adjudicantur, & in quibus nonnulla inveniuntur quæ non ſunt in Scripturis & ab Apoſtolis didicerat Ignatius.

Item Juſtinus in fine ſecundæ Apologiæ de Chriſto ſic loquitur: *Et poſtridie ejusdem qui ſcilicet ſolis eſt dies, Apoſtolis, & Diſcipulis ſuis apparuit, atque ea docuit quæ etiam apud vos, ut inſpiceretis, retulimus*. Ubi Traditiones non ſcriptas manifeſte indigitat, non enim ita loqueretur de dogmatibus ſcriptis, ſed diceret ea idcirco ſervanda quod fuerint ab ipſis Apoſtolis ſcripta. Et revera nonnulla ibidem exponit Juſtinus quæ non leguntur in Scripturis ſacris, puta vinum aqua temperandum in conſecratione Calicis, & ſumendam non eſſe Euchariſtiam niſi poſt ſusceptum Baptiſma.

Egregium eſt quod ſuper ea re ſcribit S. Irenæus toto fere libro tertio, ubi adverſus hæreticos inſurgit qui Traditionibus nolebant obſequi, *Cum enim*, inquit cap. 2. *ex Scripturis arguuntur, in accuſationem convertuntur ipſarum Scripturarum quaſi non recte habeant neque ſint ex autoritate, & quia varie ſint dictæ, & quia non poſſit ex his inveniri veritas qui neſciant Traditionem. . . . evenit itaque neque Scripturis jam, neque* Tra-

Traditioni conſentire eos. Cap. 3. *Hac ordinatione & ſucceſſione, ea quæ ex Apoſtolis in Eccleſia Traditio & veritatis præconiatio pervenit uſque ad nos. Et eſt pleniſſima hæc oſtenſio, unam & eandem vivificatricem fidem eſſe quæ in Eccleſia ab Apoſtolis uſque nunc ſit conſervata & tradita in veritate*. Et cap. 4. *Tantæ igitur oſtenſionis cum ſint hæc, non oportet adhuc quærere apud alios veritatem quam facile eſt ab Eccleſia ſumere, cum Apoſtoli quaſi in depoſitorium fidei pleniſſime in eam contulerint omnia quæ ſint veritatis, uti omnis quicunque velit, ſumat ex ea potum vitæ. Hic eſt enim vitæ introitus, omnes autem reliqui fures ſunt & latrones, propter quod oportet devitare quidem illos; quæ autem ſunt Eccleſiæ cum ſumma diligentia diligere & apprehendere veritatis Traditionem: quid enim? Et ſi quibus de aliqua modica quæſtione deceptatio eſſet, nonne oporteret in antiquiſſimas recurrere Eccleſias, in quibus Apoſtoli converſati ſunt, & ab eis de præſenti quæſtione ſumere quod certum & re liquidum eſt? Quid autem ſi neque Apoſtoli quidem Scripturas reliquiſſent nobis, nonne oportebat ordinem ſequi Traditionis quam tradiderunt iis quibus committebant Eccleſias? Cui ordinationi aſſentiunt multæ gentes Barbarorum, quorum qui in Chriſtum credunt ſine charta & atramento ſcriptum habentes per ſpiritum in cordibus ſuis ſalutem, & veterem Traditionem diligenter cuſtodientes*. Quibus certe nihil deſiderari poteſt illuſtrius ad aſſerendam vim Traditionum non ſcriptarum, vult enim Irenæus veritates fidei non minus a Traditione quam a Scriptura ſumendas.

Perperam autem huic teſtimonio reſpondent Calviniſtæ, ſermonem ibi tantum eſſe de Traditiune ſumpta pro continuatione dogmatum ſcriptorum, non autem pro alia doctrina non ſcripta. Nam expreſſe diſtinguit Irenæus Traditionem a Scriptura, *Evenit*, inquit, cap. 2. *neque Scripturis jam neque Traditioni conſentire eos*. Et initio cap. 5. *Traditione igitur quæ eſt ab Apoſtolis ſic ſe habente in Eccleſia & permanente apud nos, revertamur ad eam quæ eſt ex Scripturis oſtenſionem eorum qui & Evangelium conſcripſerunt*. Certe Irenæum non loqui de Traditione Scripturæ patet ex eo quod ſcribit cap. 4. Barbaros qui nullas habent Scripturas, veterem Traditionem cuſtodire & in Chriſtum credere ſine chatta & atramento.

His aſtipulatur Tertullianus multis in locis, lib. de corona militis cap. 3. ſic habet: *Hanc ſi nulla Scriptura determinavit, certe conſuetudo corroboravit, quæ ſine dubio de Traditione manavit. Quomodo enim uſurpari quid poteſt, ſi traditum prius non eſt? Etiam in Traditionis obtentu exigenda eſt, inquis, autoritas ſcripta. Ergo quæramus, an & Traditio niſi ſcripta non debeat recipi. Plane negabimus recipiendam, ſi nulla exempla præjudicent aliarum obſervationum quas ſine ullius Scripturæ inſtrumento, ſolius Traditionis titulo, & exinde conſuetudinis patrocinio vindicamus*.

Vere quidem Tertullianus, ut reſpondent adverſarii, loquitur ibi de certis conſuetudinibus quæ ad diſciplinam pertinent, & quæ per Traditionem ſeu continuatam Eccleſiæ praxim vigere ſolent. Sed aliunde conſtat hunc Scriptorem talia hoc in loco principia circa Traditiones ſtatuere, ut manifeſte putet fide credenda eſſe dogmata non ſcripta perinde ut quæ ſcripta ſunt, nulla omnino appoſita diſtinctione inter fidei dogmata & Eccleſiaſticas obſervationes. Multa etiam pro aſſerenda Traditione ſcribit Tertullianus libro de præſcriptionibus, ubi dedita opera probat non ex Scripturis ſacris revincendos eſſe hæreticos, quia eas non recipiunt, ſed ex Traditionibs non ſcriptis in quibus fundata eſt ipſarum Scriptutarum veritas: *Ergo*, inquit cap. 19. *non ad Scripturas provocandum eſt, nec in his conſtituendum cer-*

certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria eſt, aut par incertæ. Nam etſi non ita evaderet collatio Scripturarum ut utramque partem parem ſiſteret, ordo rerum deſiderabat iſtud prius proponi quod ſolum diſputandum eſt, quibus competat fides ipſa, cujus ſint Scripturæ, a quo & per quos & quando & quibus ſit tradita diſciplina qua fiunt Chriſtiani. Ubi enim apparuerit eſſe veritatem & diſciplinæ & fidei Chriſtianæ, illic erit veritas Scripturarum & expoſitionum & omnium Traditionum Chriſtianarum.

Origenes in cap. 6. Epiſtola ad Romanos ſupponit manifeſte locum habere traditionem in rebus ad fidem pertinentibus. Sic enim habet pag. 353. *Pro hoc & Eccleſia ab Apoſtolis Traditionem accepit etiam parvulis Baptiſmum dare.*

S. Cyprianus docet Epiſt. 63. vino miſcendam eſſe aquam in Calice quia hoc ipſum fecit Chriſtus, ubi conſtat ex Traditione, *Admonitos nos ſcio*, inquit, *ut in Calice offerendo Dominica Traditio ſervetur: neque aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecit, ut Calix qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur.* Ubi Cyprianus dubio procul non loquitur de Traditione dogmatis ſcripti, nullo enim in loco Scripturæ legitur Chriſtum vino aquam miſcuiſſe in Calice Eucharistico.

S. Athan. in lib. de decretis Nicenæ ſynodi, *Ecce*, inquit, *nos quidem ex Patribus ad Patres per manus traditam fuiſſe, hanc ſententiam demonſtravimus. Vos autem o novi Judæi & Caiphæ filii quos tandem nominum veſtrorum poteſtis oſtendere progenitores?*

Præclarum eſt & omni exceptione majus quod ſcripſit S. Baſilius lib. de Spiritu Sancto c. 27. *Dogmata*, inquit, *& inſtituta quæ in Eccleſia prædicantur, quædam habemus e doctrina ſcripto prodita, quædam rurſus ex Apoſtolorum Traditione in myſterio, id eſt, in occulto tradita recepimus, quorum utraque parem vim habent ad pietatem; nec his quiſquam contradicit, quiſquis ſane vel tenuiter expertus eſt, quæ ſint jura Eccleſiaſtica.*

Neque eſt quod dicant hæretici noſtri Baſilium non referre inter illas Traditiones niſi quoſdam ritus minime neceſſarios ad ſalutem: contrarium enim manifeſte patet ex verbis ſequentibus, *Invocationis verba*, inquit, *quum conficitur panis Euchariſtiæ & poculum Benedictionis, quis ſanctorum in ſcripto nobis reliquit? Nec enim contenti ſumus quæ commemorat Apoſtolus aut Evangelium, verum alia quoque & ante & poſt dicimus, tanquam multum habentia momenti ad myſterium quæ ex Traditione citra ſcriptum accepimus. Conſecramus autem aquam Baptiſmatis & oleum unctionis, præterea ipſum qui Baptiſmum accipit; ex quibus ſcriptis? Nonne a tacita ſecretaque Traditione? Ipſam porro olei inunctionem quis ſermo ſcripto proditus docuit? Jam ter immergi hominem, unde ex Scriptura hauſtum?*

Quibus adde quod ſcribit idem S. Doctor ejuſdem lib. cap. 29. *Arbitror*, inquit, *Apoſtolicum eſſe etiam non ſcriptis Traditionibus inhærere. Laudo, inquit, vos quod omnia mea meminiſtis, & quemadmodum tradidi vobis Traditiones tenetis, & illud tenete Traditiones quas accepiſtis ſive per ſermonem ſive per Epiſtolam.*

Item S. Chryſoſtomus homil. 4. in cap. 2. Epiſt. 2. ad Theſſalonicenſes: *Hinc patet*, inquit, *quod non omnia per Epiſtolam tradiderint Apoſtoli ſed multa ſine litteris, eadem vero fide digna ſunt tam iſta quam illa. Quare Eccleſiæ Traditionem fide dignam exiſtimemus, Traditio eſt, nihil amplius quæras.*

S. Epiphanius hæreſi 75. diſputans adverſus Aerium qui orationes pro defunctis in Eccleſia fidei ſolitas rejiciebat, Traditiones non ſcriptas mirum in modum aſſerit, Num. 8. *Neceſſario*, inquit, *illud facere Eccleſiam duo, quæ traditum ſibi ritum illum a majoribus acceperit.*

Poteſt vero quiſquam maternam ſanctionem aut legem Patris evertere? Quemadmodum a Salomone ſcriptum eſt, Audi fili ſermones patris tui, & ne repellas leges matris tuæ; quibus Patrem, hoc eſt, unigenitum Deum cum Spiritu Sancto declarat partim ſcripto, partim ſine ſcripto docuiſſe, matrem vero noſtram Eccleſiam decreta quædam habere penes ſe quæ diſſolvi evertique nequeunt.

S. Gregorius Niſſenus lib. 3. contra Eunomium ſic habet: *Ac ne mihi aliquis obſtrepat, quod illud etiam quod a nobis pro confeſſo habetur rationibus & argumentis roboretur, ſciat is ſufficere nobis ad noſtri dogmatis probationem, quod venientem ad nos a majoribus Traditionem habemus, velut hæreditatem quandam per ſucceſſionem ab Apoſtolis, continuata per ſequentes ſanctos ſerie tranſmiſſam. At illi qui ad novitatem fidei dogmata convertunt, multis opus haberent rationum præſidiis, ſi vellent non pulveris inſtar leves & agitabiles, &c.* Satis eſt igitur ex S. Gregorio Niſſeno ad alicujus dogmatis aſſertionem, illud per Traditionem ſine Scripturis habere ab Apoſtolis ad nos uſque tranſmiſſum.

S. Hieronymus eandem aperte doctrinam tradit, Dialogo adverſus Luciferianos, tom. 4. part. 2. pag. 294. *An neſcis*, inquit, *Eccleſiarum hunc eſſe morem ut baptizatis poſtea manus imponantur & ita invocetur Spiritus Sanctus? Exigis ubi ſcriptum ſit? In actibus Apoſtolorum. Etiamſi Scripturæ auctoritas non ſubeſſet, totius orbis in hanc partem conſenſus inſtar præcepti obtineret. Nam & multa alia quæ per Traditionem in Eccleſiis obſervantur, auctoritatem ſibi ſcriptæ legis uſurpaverunt, velut in lavacro ter caput mergitare, deinde egreſſos lactis & mellis prægustare concordiam, ad infantiæ ſignificationem redire.*

Et clariſſime S. Auguſtinus lib. 5. de Baptiſmo ubi agens contra Donatiſtas, qui ex hoc Baptiſma collatum ab hæreticis rejiciebant, quod ſuper ea re nihil præceperunt Apoſtoli videlicet in Scripturis, ſic loquitur cap. 23. *Apoſtoli autem nihil quidem exinde præceperunt, ſed conſuetudo illa quæ opponebatur Cypriano ab eorum Traditione exordium ſumpſiſſe credenda eſt, ſicut ſunt multa quæ univerſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis præcepta bene creduntur, quanquam ſcripta non reperiuntur.* Dixerat lib. 4. cap. 24. *Et ſi quiſquam in hac re auctoritatem divinam quærat, quanquam quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur.*

Item parvulorum Baptiſma ad Apoſtolicam Traditionem revocans ſic loquitur, *Conſuetudo matris Eccleſiæ in baptizandis parvulis nequaquam ſpernenda eſt neque ullo modo ſuperflua deputanda, nec omnino credenda, niſi Apoſtolica eſſet Traditio.* Denique de Traditionibus in genere hanc ſtatuit regulam Epiſt. 54. quæ eſt ad Januarium. *Illa autem quæ non ſcripta ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſervantur, dantur intelligi vel ab ipſis Apoſtolis vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, commendata atque ſtatuta retineri.*

Quibus conſentaneum maxime eſt quod ſcribit Vincentius Lirinenſis in Commonitorio cap. 3. *In ipſa*, inquit, *Catholica Eccleſia magnopere curandum eſt ut id teneamus quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt. Hoc eſt etenim vere proprieque Catholicum quod ipſa vis nominis ratioque declarat. Sed hoc ita demum fiet, ſi hanc unam fidem veram eſſe fateamur quam tota per orbem terrarum confitetur Eccleſia; antiquitatem vero ita ſi ab iis ſenſibus nullatenus recedamus quos ſanctos majores ac patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt; conſenſionem quoque itidem, ſi in ipſa vetuſtate omnium, vel certe pene omnium Sacerdotum & Magiſtrorum definitiones ſententiaſque ſectemur.*

Ex

Ex his teſtimoniis abunde revincuntur hæretici, qui cum fateantur nondum his prioribus Eccleſiæ ſeculis fidem in Eccleſia defeciſſe, antiquiorum hujus ætatis Patrum autoritatem non rejiciunt; nullus autem eſt ex modo citatis qui clare ac diſerte non agnoſcat duplex Dei verbum, unum ſcriptum quod habemus in Bibliis, alterum non ſcriptum quod ab Apoſtolis viva voce & per ſermonem ad nos uſque tranſmiſſum eſt. Volunt iſti Scriptores verbum Dei non ſcriptum ſeu Traditiones parem in Eccleſia habere auctoritatem ac verbum ſcriptum, quod videlicet fluxit ab ore ipſius Chriſti, vel eſt ab Apoſtolis per Spiritum Dei inſpiratis dictatum. Eamobrem nonnulla identidem in exemplum adducunt fidei noſtræ dogmata, quæ tamen nullo in loco Scripturarum exſtant, ac certas demum ſtatuunt regulas quibus veras Traditiones divinas a falſis diſcernere quivis poſſit; unde manifeſte ſequitur admittendas eſſe Traditiones divinas, hoc eſt, præter Scripturam ſacram aliud eſſe verbum Dei non ſcriptum tanquam verum fidei noſtræ objectum; quod utique merito definivit Concil. Tridentin. ſeſſ. 4. his verbis: *Perſpiciensque hanc veritatem & diſciplinam contineri in libris ſcriptis & ſine ſcripto Traditionibus quæ ex ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu Sancto dictante quaſi per manus traditæ ad nos uſque pervenerunt, Orthodoxorum Patrum exempla ſecuta omnes libros tam veteris quam novi Teſtamenti, cum utriuſque unus Deus ſit Autor, necnon Traditiones ipſas tum ad fidem tum ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenus a Chriſto vel a Spiritu Sancto dictatas & continua ſucceſſione in Eccleſia Catholica conſervatas, pari pietatis affectu ac reverentia ſuſcipit ac veneratur.*

Ratio autem cur præter Scripturam ſacram admittenda ſint dogmata non ſcripta paris cum ipſo Dei verbo ſcripto autoritatis, hæc eſt, quia nempe Apoſtoli, cum Evangelium prædicarunt per orbem univerſum, non omnia fidei noſtræ myſteria ſcriptis tradere voluerunt ſingulis de plebe hominibus, ſed multa ſolis Eccleſiæ Paſtoribus tanquam bonum depoſitum commiſerunt, uti expreſſe teſtatur S. Paulus 2. Timoth. cap. 2. *Quæ audiviſti a me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus qui idonei erunt alios edocere.* Quomodo etiam ſe geſſerat Chriſtus Dominus erga ſuos diſcipulos, quibus multa poſt Reſurrectionem ſuam revelaturum ſe promiſerat quæ quidem antea intelligere non valebant, Joan. 16. *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo.*

Quamobrem mirum videri non debet, ſi multa dicantur a Catholicis ad fidem pertinere, quæ tamen non leguntur ſcripta in libris Canonicis. Quorſum enim, v.g. ſcriptis & pro populo explicaſſent Autores ſacri quæcunque pertinent ad myſteria Trinitatis & Incarnationis? nonne & poſtea hæc eadem fuit Epiſcoporum & Eccleſiarum conſuetudo ut materiam & formam Sacramentorum, alioſque ritus populum celarent vel ad majorem illis conciliandam venerationem, vel ne ab Ethnicis contemnerentur, vel denique ut populi ad Eccleſiæ Paſtores confugerent velut ad fidos Traditionum divinarum cuſtodes? Debent igitur admitti Traditiones divinæ, hoc eſt dogmata non ſcripta, quæ verbum Dei exhibent non minus ac ipſa Scriptura ſacra.

2. Quia hæc doctrina quam Patres univerſi unanimi conſenſu tradunt velut a Chriſto & Apoſtolis profectam, ita ut contrariam velut hæreticam condemnent, revera, ſi quid certi eſt apud homines, germanam univerſalis Eccleſiæ fidem exhibet, quia fides univerſalis Eccleſiæ non eſt alia quam fides diverſarum in particulari Eccleſiarum, fides alicujus regni eadem eſt ac fides ſingularum illius regni Provinciarum: ſed

unanimis ſanctorum Patrum conſenſus, cum doctrinam tradunt velut a Chriſto & Apoſtolis manantem, dubio procul refert doctrinam diverſarum Eccleſiarum, ſinguli enim docent quod tanquam certum atque a Deo revelatum tenetur in illa Eccleſia & quo tempore vivunt, quidam eorum vixit in uno ſæculo, alii in aliis ſæculis, iique omnes in diverſis regionibus: igitur eorum ſententia, cum ſcilicet inter ſe conſentiunt, veram Eccleſiæ univerſalis fidem repræſentat.

Porro univerſalis Eccleſiæ fides plane divina eſt, quia Eccleſia ab ipſo Chriſto fundata Spiritum habet veritatis, errare & falli neſcia: *Ego*, inquit, Dominus, Jo. 14. *rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis.* Ex ea ſcilicet ratione quod Eccleſia nihil proponit fidelibus tanquam fide divina credendum & a Deo revelatum quod revera non fuerit revelatum, & viva voce quaſi per manus a Chriſto & Apoſtolis ad ipſos tranſmiſſum.

Probatur vero inſuper, quia hæc fuit perpetua & conſtans Conciliorum generalium praxis, ut priuſquam ſua emitterent decreta ad fidem Catholicam ſtabiliendam & proſcribendos Hæreticos, doctrinam ſanctorum Patrum ſuper illis argumentis ſedulo ac diligenter exquirerent, eamque in omnibus religioſe ſequerentur, quod videlicet pro certo tenebant Epiſcopi in Conciliis congregati illud fide divina credendum & revera a Deo revelatum, quod Patres univerſi uno ore docebant velut communem Eccleſiæ fidem; tametſi non legeretur ſcriptum in libris Canonicis. Id patet ex Concilio Niceno magno adverſus Arianos, de quo nimirum ſic loquitur S. Athanaſius in Epiſtola ad Afros, *Epiſcopi non ſibimetipſis voces quibus utintur ad profligandos Arianos, excogitarunt, ſed eas a Patribus conteſtatas acceperunt & ſcriptis ſuis inſeruerunt.*

Item in Concilio Epheſino quod eſt tertium generale, lecta ſunt multa ſanctorum Patrum ſcripta adverſus Neſtorium, ut videre eſt, Actor. 1. pag. 508. tom. 3. Conciliorum; ubi & pag. 567. ſic loquuntur Patres Epheſini in relatione ad Imperatores de Neſtorii depoſitione: *Veſtra pietas veram fidem a primogenitoribus acceptam quotidianis incrementis augere non deſinens plurimam curam veritatis dogmatibus impendit. De quibus etiam cum ex Neſtorii prædicatione & doctrina a ſanctorum Patrum ac ſanctiſſimorum Apoſtolorum & Evangeliſtarum Traditione prorſus aliena.* Quod factum eſt ſimiliter a Concilio Calcedonenſi adverſus Eutychianos, a Conſtantinopolitano ſexto generali adverſus Monothelitas, prolixe vero a Niceno ſecundo quod eſt ſeptimum generale adverſus Iconomachorum impietatem pro aſſerendo imaginum cultu, & ita ab aliis poſtea Conciliis generalibus.

Solvantur Objectiones è Scripturis petitæ.

Objicies: Ex ipſis Scripturis doctrina ſalutis quæ in his habetur, perfecta eſt, & omnis continet ad ſalutem neceſſaria, quo fit ut nefas reputetur aliquid ipſi addere, Deuteron. 4. cap. *Ne addite ad verbum illud quod ego præcipio vobis.* Joſue 1. *Confortare igitur & eſto robuſtus valde & cuſtodias & facias omnem legem quam præcipit tibi Moſes ſervus meus, nec declines ab ea vel ad dexteram vel ad ſiniſtram:* Prov. 30. *Omnis ſermo Dei ignitus, clipeus eſt ſperantibus in ſe, ne addas quidquam verbis illius & arguaris inveniariſque mendax.* Item ad Galatas 1. c. *Sed licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit.* Et S. Joannes qui poſt alios Apoſtolos ſuperſtes canonem novi Teſtamenti abſolvit, in fine totius Scripturæ ſic loquitur Apocalipſ. cap. 22. *Si quis appoſuerit ad hæc,*

appo-

Digitized by Google

Apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto. Ergo non ſunt admittendæ Traditiones non ſcriptæ, catenus enim verbo Dei in Scripturis contento aliud adjiceretur paris cum eo autoritatis.

Diſt. ant. Scripturis ſacris non licet aliquid addere, ſi hoc ipſum quod additum non ſit a Deo revelatum, C. ſi ſit a Deo revelatum, N. His ergo Scripturæ oraculis non omnis omnino prohibetur additio quocumque tandem modo fiat & a quocumque Scriptore, aliter nihil in veteri Teſtamento adjici debuiſſet libro Deuteronomii, nihil autem in novo Teſtamento licuiſſet addere Epiſtolæ S. Pauli ad Galatas, quod nec ipſi pertendunt adverſarii qui alios quam multos agnoſcunt libros Scripturæ canonicos. Sed, ut per ſe patet, in his & aliis ſimilibus locis prohibetur, ne quis propria ac privata autoritate quicquam immutet, addat vel detrahat; quæ quidem interpretatio aperta eſt & facilis, ut majori non egeat explicatione. Jam vero quemadmodum propter hæc Scripturæ teſtimonia minime prohibitum fuit ne alii ſcriberentur libri qui ſimiliter in canone Scripturarum reponerentur, ita nec rejiciuntur divinæ Traditiones, ſeu dogmata a Chriſto vel ab Apoſtolis viva voce ad nos uſque tranſmiſſa.

Confirmatur hæc reſponſio ex eo quod præfatum Apoſtoli locum ſic interpretantur SS. Patres, ut hæc verba *præterquamquod* indicent ſolum eos anathematizari qui contrariam doctrinam tradunt, ita S. Auguſtinus Tract. 89. in Joan. *Non ait pluſquam accepiſtis, ſed præterquamquod accepiſtis: Nam ſi illud diceret, ſibi ipſi præjudicaret qui cupiebat venire ad Theſſalonicenſes, ut ſuppleret quæ illorum fidei defuerunt, ſed qui ſupplet, quod minus erat addit, non quod inerat, tollit*. Unde ſequitur Apoſtolum non excludere Traditiones divinas quæ doctrinam verbo non ſcripto promunt.

Inſtabis: Extant alia Scripturæ loca in quibus Traditiones expreſſe rejiciuntur, cujuſmodi eſt iſtud Matth. 15. cap. ubi ſic loquitur Chriſtus: *Irritum feciſtis mandatum Dei propter Traditionem veſtram .... ſine cauſa autem colunt me docentes doctrinas & mandata hominum*. Tum & iſtud Apoſtoli ad Coloſſenſes cap. 2. *Videte ne quis vos decipiat per philoſophiam & inanem fallaciam ſecundum Traditionem hominum*. Igitur non ſunt admittendæ Traditiones.

Diſt. ant. Rejiciuntur Traditiones falſæ & pure humanæ, C. divinæ, N. Chriſtus itaque damnat eo loci quaſdam Traditiones Phariſæorum qui neglectis Dei præceptis ad quaſdam indifferentes obſervantias plus æque ſcrupuloſius recurrebant, ut cum v.g. religioni ducebant ad feſtum Sabbati melius celebrandum ægrotos curare, aut cibum cum peccatoribus ſumere, unde Chriſtus ait ibidem ejuſmodi Traditiones eſſe mandata, & Traditiones hominum; ſed non idcirco damnat Traditiones divinas, hoc eſt dogmata ad mores aut fidem pertinentia, quæ licet non contineantur in Scripturis, non minus propterea ſunt verbum Dei, verbum a Deo revelatum.

Neque vero alia mens fuit Apoſtoli in loco propoſito ut vel ipſa verba commonſtrant, monet enim Coloſſenſes ut ſedulo ac diligenter caveant ab inanibus Philoſophorum fallaciis doctrinas hominum præferendo doctrinæ Dei, quatenus tunc temporis ab nonnullis inducebantur ad conjungendas Judæorum Ceremonias cum Chriſti fide & cultu; ſed non omnes propterea Traditiones rejicit, non omnia condemnat dogmata non ſcripta, quippe qui tam expreſſe Theſſalonicenſibus præcipit ut teneant traditiones quas didicerant ſive per Epiſtolas ſive per ſermones.

Objicies: Scriptura ſacra non ſemel commendatur perfecta, ſufficiens ad ſalutem, adeoque complectens omnia fidei divinæ dogmata, 2. ad Timoth. 3. capit. *Ab infantia*, inquit Apo-

Digitized by Google

Apoſtolus, *ſacras litteras noſti quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem per fidem quæ eſt in Chriſto Jeſu. Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus.* Quo ſenſu dixerat Pſaltes regius Pſalm. 19. *Lex Dei perfecta convertens animas*, hoc eſt, quæ de ſe continet quæcunque ad ſalutem neceſſaria ſunt : igitur præter Scripturam ſacram admittendæ non ſunt Traditiones non ſcriptæ.

Diſt. ant. Perfecta & ſufficiens ſecundum quid, C. ſimpliciter & abſolute, N. Scilicet Scriptura dicitur quidem ab Apoſtolo utilis ad docendum, arguendum & inſtruendum quatenus ad mores Chriſtianorum informandos, & ad omnes hæreticorum errores reprimendos plerumque ſufficit, ſola enim continet omnes fere fidei & morum regulas, quo ſenſu perfecta dici poteſt ; ſed tamen perfecta & ſufficiens ibi non dicitur per excluſionem ad Traditiones non ſcriptas, quemadmodum vetus Teſtamentum dici poteſt perfectum, ſed minime tamen ſufficiens per excluſionem ad alios libros canonicos novi fœderis. Certe de quolibet libro canonico dici merito poſſet illum eſſe utilem ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, &c. Dicere v. g. quivis poterit, Epiſtola S. Pauli ad Romanos, *divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus.* Sed non ideo ſequitur alium non eſſe librum canonicum, aliam Scripturam divinitus inſpiratam, quæ alia fidei divinæ dogmata contineat, ut per ſe patet, igitur quantumvis dicat Apoſtolus Scripturam in genere eſſe utilem ad docendum, &c. non idcirco aliam fidei regulam, puta Traditiones divinas excludit.

Et ratio eſt inſuper, quia de Scriptura tantum veteris teſtamenti eo loci loquitur Apoſtolus, de ea nimirum Scriptura quam a puero legerat Timotheus; eum enim gratulatur, quod ab *infantia ſacras litteras noverit*, prætérquamquod novum Teſtamentum nondum tunc temporis totum erat compoſitum : ergo aliam quamcunque Scripturam non putat, ſuperfluam & inutilem, adeoque colligi non debet ex iſto Apoſtoli teſtimonio Traditiones non ſcriptas ad ſalutem non eſſe neceſſarias.

At, inquiunt adverſarii, Scriptura dicitur utilis ad docendum, &c. adeo ut homo qui eam legerit, ſit perfectus & ad omne opus bonum perfecte inſtructus : ergo perfecta eſt ſimpliciter & ſufficiens, id eſt, continet omnia ad ſalutem neceſſaria.

Reſpondeo nihil eſſe in hac objectione quod dilutum optime non ſit in præcedenti reſponſione; cui quidem addere merito poſſumus quod ait Bellarminus Scripturam ſufficienter inſtruere quia pleraque ad ſalutem neceſſaria continet; & quæ non continet, oſtendit unde ſint petenda, nempe ex Eccleſiæ Traditione.

Solvuntur Objectiones ex ſanctis Patribus.

OBjicies autoritatem S. Irenæi qui lib. 3. cap. 1. ſcribit Apoſtolos in Scripturis tradidiſſe quod antea prædicaverant : *Non enim, inquit, per alios diſpoſitionem ſalutis noſtræ cognovimus quam per eos per quos Evangelium pervenit ad nos, quod quidem tunc præconiaverunt, poſtea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei noſtræ futurum.* Ergo putavit S. Irenæus plenam & integram fidem noſtram quoad ſingula dogmata contineri in Scripturis.

Nego conſ. Hoc unum quippe docet S. Irenæus veram eſſe fidem quæ Scripturis conſignata eſt ab Apoſtolis, quia nimirum hoc idem in Evangelio ſcri-

pſerunt

Digitized by Google

ſerunt quod antea per totum orbem annuntiaverant; ſed in hoc ne verbum quidem minimum pronunciat adverſus Traditiones, non enim dicit Apoſtolos nihil omnino aliud viva voce tradidiſſe quam quod in Evangelio ſcripſerunt; ſequeretur enim & præter Evangelium nonnullos alios extare libros Canonicos in quibus legitimum Dei verbum contineatur. Confirmatur autem abunde hæc ſolutio ex iis quæ ſupra a nobis adducta ſunt ex S. Irenæo qui aperte docet fidem non minus ſumendam ex Traditionibus non ſcriptis quam ex Scripturis ipſis.

Inſtabis: S. Irenæus cap. 2. ejuſdem libri vitio vertit hæreticis, quod ſpretis Scripturis ad Traditiones non ſcriptas confugerent: *Cum enim*, inquit, *ex ſcripturis arguuntur, in accuſationem convertuntur ipſarum Scripturarum, quaſi non recte habeant, neque ſint ex autoritate, & quia varie ſint dictæ, & quia non poſſit ex his inveniri veritas ab his qui neſciant Traditionem*. Ergo putabat ſtandum eſſe Scripturis & minime recurrendum ad Traditiones non ſcriptas.

Nego ant. Quin potius ex hoc Sanctus Irenæus acriter redarguit hæreticos illos, nimirum Valentinianos & Gnoſticos, quod pari omnes impietate & Scripturarum & Traditionum autoritatem rejiciebant; nimirum ajebant illi vel omni autoritate deſtituta eſſe vel depravata, vel ſuſpecta Scripturarum teſtimonia, niſi explicentur per Traditionem quæ & ipſa omnibus certa non eſt; en ſenſus verborum Sancti Irenæi qui totus eſt ibidem ut oſtendat e re catholica eſſe non minus Traditionum autoritatem quam Scripturarum agnoſcere: *Evenit itaque*, inquit, *neque Scripturis jam, neque traditioni conſentire eos hæreticos, adverſus tales certamen nobis eſt*. Unde ſic habet initio capitis tertii. *Traditionem itaque Apoſtolorum in toto mundo manifeſtatam in omni Eccleſia adeſt perſpicere omnibus qui vera velint audire, & habemus annumerare eos qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſiis*.

Inſtabis lib. 2. cap. 47. ait Sanctus Irenæus perfectas eſſe Scripturas & in iis omnem contineri doctrinam: *Credere autem hæc talia*, inquit, *debemus Deo qui & nos fecit, rectiſſime ſcientes quia Scripturæ quidem perfectæ ſunt, quippe a verbo Dei & Spiritu ejus*: Et lib. 4. cap. 66. *Legite diligentius id quod ab Apoſtolis eſt Evangelium nobis datum, & legite diligentius Prophetas & invenietis univerſam actionem, & omnem doctrinam, & omnem Paſſionem Domini noſtri prædicatam in ipſis*. Igitur vanæ ac ſuperfluæ ſunt Traditiones non ſcriptæ.

Diſt. ant. Perfectas eſſe Scripturas ſecundum quid, C. ſimpliciter, N. Familiare igitur eſt SS. Patribus, ut dicant, Scripturas eſſe perfectas & omnibus numeris ſuis abſolutas, ſed illud demum intelligunt ſecundum quid & cum aliqua reſtrictione, hoc eſt, in ordine ad ſubjectam materiam de qua in iis locis diſſerunt adverſus hæreticos quos impugnant; ſic v. g. ait Sanctus Irenæus priori loco Scripturas eſſe perfectas, quoad hoc nimirum quod clare & evidenter in iis affirmatur Deum eſſe unum a quo facti ſumus. In poſteriori autem docet ſolummodo omnem doctrinam oti & omnem actionem Chriſti annuntiatam fuiſſe & prædictam a Prophetis; quæ profecto neutiquam probant Traditiones divinas eſſe inutiles & non eſſe admittenda dogmata non ſcripta.

Objicies: Tertullianus lib. de oratione cap. 12. vanitatis ac ſuperſtitionis arguit quæ in religione Chriſtiana Dominico aut Apoſtolico præcepto non fundantur, *Sed quoniam*, inquir, *unum aliquod attigimus vacuæ obſervationis non pigebit cætera quoque denotare quibus merito vanitas exprobranda eſt, ſiquidem*

ſine

Digitized by Google

ſine illius aut Dominici aut Apoſtolici præcepti autoritate fiunt ; hujuſmodi enim non religioni ſed ſuperſtitioni deputantur. Ergo Traditionum vim & neceſſitatem non agnoſcebat.

Nego conſeq. Siquidem Traditiones divinæ, hoc eſt, dogmata quæ præter Scripturam admittuntur, præcepto vere Dominico nituntur, non recenſetur enim inter fidei divinæ objecta, niſi quia creduntur a Deo revelata, tametſi non ſint ſcripta.

Inſtabis lib. de carne Chriſti cap. 7. ſic habet idem Tertullianus Marcionem alloquens: *Non recipio quod extra Scripturam de tuo infers*. Igitur nulla ſunt dogmata non ſcripta.

Nego conſeq. Potuit enim Tertullianus rejicere falſas quaſdam Traditiones, & tamen alias vere divinas & Apoſtolicas recipere. Hic porro Tertullianus Marcionem arguit quod reſpondebat nonniſi eum tentandi gratia dictum eſſe Chriſtum habere matrem & fratres, quam interpretationem utpote falſam & abſurdam refellit ex eo quod non legitur in Scripturis, *Hoc quidem Scriptura non dicit, alias non tacens cum quid tentationis gratia factum eſt circa eum*. Et paulo poſt, *Non recipio quod extra Scripturam de tuo infers*. Hæc verba *de tuo* ſatis ſuperque mentem Tertulliani declarant.

. Inſtabis: Tertullianus non ſemel inculcat Scripturam ſacram per ſe ſolam ſufficere, lib. adverſus Hermogenem c. 22. *Adoro Scripturæ plenitudinem qua mihi & factorem manifeſtat & facta. In Evangelio vero amplius & miniſtrum atque arbitrum rectoris invenio ſermonem. An autem de aliqua ſubjacenti materia facta ſint omnia nuſquam adhuc legi. Scriptum eſſe doceat Hermogenis officina, ſi non eſt ſcriptum, timeat. Væ illud adjicientibus aut detrahentibus deſtinatum*. Lib. de reſurrectione carnis cap. 3. *Aufer hæreticis*, inquit, *quæ cum Ethnicis ſapiunt, ut de Scripturis ſolis quæſtiones ſuas ſiſtant, & ſtare non poterunt*. Unde ejuſdem libri cap. 47. hæreticos appellat lucifugas Scripturarum, *qualiter accipient lucifugæ iſti Scripturarum*. Igitur exiſtimabat Tertullianus in diſputationibus circa fidem ſtandum eſſe Scripturis, adeoque nuſpiam recurrendum ad Traditiones non ſcriptas.

Reſpondeo ex ejuſmodi teſtimoniis nihil omnino effici adverſus Traditiones non ſcriptas; ut enim jam dixi, ſolent affirmare SS. Patres perfectam & ſufficientem eſſe Scripturam in ordine ad materiam ſubjectam de qua diſputant adverſus hæreticos, nec propterea rejiciunt Traditiones non ſcriptas; unde cum videret Tertullianus ex Scriptura ſola abunde revinci Hermogenem, qui materiam infectam & Deo coæternam eſſe contendebat, merito exclamat *adoro Scripturæ plenitudinem**, qui tamen tam diſerte quam quod diſertiſſimum eſt, aſtruit multis in locis Traditiones non ſcriptas, ut ſupra videre eſt.

Objicies auctoritatem S.Cypriani qui Traditiones non ſcriptas directe impugnat Epiſt. 74. quæ eſt ad Pompejum de Baptiſmo hæreticorum: *Unde*, inquit, *eſt iſta Traditio, ea facienda eſſe quæ ſcripta ſunt Deus teſtatur, & proponit ad Jeſum Nave dicens: Non recedet liber legis hujus ex ore tuo, ſed meditaberis in eo die ac nocte, ut obſerves facere omnia quæ ſcripta ſunt in eo. Item Dominus Apoſtolos ſuos mittens, mandat baptizari gentes & doceri ut obſervent omnia quæcunque ille præcepit. Si ergo aut Evangelio præcipitur, aut in Apoſtolorum Epiſtolis, aut actibus continetur, ut a quacunque hæreſi venientes non baptiſentur, ſed tantum manus illis imponatur in pœnitentiam, ſervetur divina hæc & ſancta Traditio*. Igitur Cyprianus aperte rejicit omnes Traditiones non ſcriptas, qua in re S. Auguſtinus eum laudat, cum dedita opera ejus ſententiam de Baptiſmo hæreticorum refellit l. 5. de Baptiſmo c. 26. *Quod*, inquit,

nos

Digitized by Google

nos admonet Cyprianus ut ad fontem recurramus, id eſt, ad Apoſtolicam Traditionem, optimum eſt & ſine dubitatione faciendum. Deinde docet hoc ſcriptum eſſe ab Apoſtolis, & iſtud laudat ex Epiſt. ad Epheſios, cap. 4. quod ſit *unus Deus, una Fides, unum Baptiſma*.

Neque vero reſponderi poteſt Cyprianum illam quidem unam Traditionem de Baptiſmo rejicere, quia contra Scripturas eſſe putabat; ſed non alias propterea damnare, quæ etſi in Scripturis non ſint, tamen cum Scripturis non repugnant. Namque ex verbis Cypriani clariſſimum eſt eum rejicere Traditiones non quia adverſantur Scripturæ, ſed quia non continentur in Scriptura: ſic enim arguit, nullum dogma non ſcriptum admittendum eſt: ſed ratum eſſe Baptiſma hæreticorum eſt dogma non ſcriptum: ergo, &c.

Diſt. Traditiones non ſcriptas directe impugnat, eo quod eas putat falſas & ſuppoſititias, C. præciſe quia ſunt Traditiones non ſcriptæ, N. Non aliam eſſe S. Cypriani mentem conſtat, 1. quia refellit ibi quod dixerat Stephanus ſummus Pontifex in celebri hoc ſuo decreto, *nihil innovetur niſi quod traditum eſt*, non ex eo quod ad Traditionem recurrit Stephanus, ſed quia neſcit unde ſit illa Traditio, *unde eſt*, inquit, *iſta Traditio?* 2. Quia hanc Traditionem quam obtendebat ſummus Pontifex, humanam appellat & Scripturis contrariam, ait enim ibidem Cyprianus: *Quæ iſta obſtinatio eſt quæve præſumptio humana Traditionem divinæ diſpoſitioni anteponere, nec animadvertere indignari & iraſci Deum, quoties divina præcepta ſolvit, & præterit humana Traditio?* Et prope finem ejuſdem Epiſtolæ, *ſi ad divinæ Traditionis caput & originem revertamur, ceſſat error humanus, & Sacramentorum cæleſtium ratione perſpecta quicquid ſub caligine ac nube tenebrarum obſcurum latebat, in lucem veritatis aperitur ... quod & facere oportet Dei Sacerdotes præcepta divina ſervantes, ut ſi in aliquo nutaverit & vacillaverit veritas, ad originem Dominicam & Evangelicam & Apoſtolicam Traditionem revertamur, & inde ſurgat actus noſtri ratio, unde & ordo & origo ſurrexit*. Ex quibus perſpicuum maxime eſt idcirco S. Cyprianum rejicere Stephani Traditionem, quod eam putabat mere humanam, recens inventam & Scripturis contrariam; is enim, ut diximus, vinum aqua miſcendum propter Chriſti exemplum docet Epiſtola 63. quanquam illa doctrina nullo in loco Scripturæ habeatur.

Objicies: S. Cyrillus Jeroſolymitanus docet multis in locis ex una Scriptura ſacra fidem noſtram eſſe eruendam & probandam, adeo ut nihil aliud ſit inquirendum, & conſequenter opus neutiquam ſit Traditionibus non ſcriptis, Catecheſi 4. ſic habet: *Si vero Dominus conceſſerit, ex Scripturarum demonſtratione pro viribus explicabuntur. Nam divinorum ſanctorumque fidei Sacramentorum nihil ne minimum quidem abſque divinis Scripturis tradi debet, neque ſimplici probabilitate, neque verborum ornatu traduci. Ne mihi quidem ea tibi proferenti ſimpliciter fidem adhibeas, niſi de divinis Scripturis eorum quæ dicam demonſtrationem accipias. Nam fidei noſtræ ſalus & conſervatio non orationis facundia nititur, ſed Scripturarum divinarum comprobatione*.

5. Catecheſi 5. *Excerpe*, inquit, *tempore oportuno ex ſacris Scripturis quæ eſt inſita illis, probationem. Non enim, ut videtur, ab hominibus compoſitæ ſunt res fidei, ſed ex omni Scriptura quæ ſunt potiſſima, unam replent fidei doctrinam*.

Catecheſi 11. *Cur igitur curioſe inquiris ea quæ nec Spiritus ſolus locutus eſt in Scripturis? Qui ea quæ ſcripta ſunt non noſti, in his quæ ſcripta non ſunt, ne ſis curioſus. Quæſtiones multæ ſunt in Scripturis divinis, & tamen quæ ſcripta* etiam

Digitized by Google

etiam ſunt non comprehendimus , quid de eo quod ſcriptum non eſt , curioſi ſumus?

Catecheſi 13. *Per Dei gratiam de paſſione nonnulla producemus teſtimonia . Omnia enim de Chriſto ſcripta ſunt , & nihil eſt ambiguum , nihil non teſtatum . Omnia in columnis propheticis inſcripta ſunt , non in tabulis lapideis , ſed ex Spiritu Sancto manifeſte deſcripta .* Igitur exiſtimabat S. Cyrillus in ſolis Scripturis ſacris contineri totam & integram fidei noſtræ materiam , adeoque nulla extare dogmata non ſcripta , nullas Traditiones divinas .

Reſpondeo in iſtis omnibus locis hoc unum contendere S. Cyrillum , Scripturæ ſacræ , utpote ſufficienter fidem integram plerumque tradenti , ſtandum eſſe ; eo tantum ſenſu quod curioſius , quam par eſt , myſteria non ſunt indaganda , & quod in multis ac fere in ſingulis fidei Catholicæ punctis abunde ſufficiat , quod tamen intelligi debet citra excluſionem dogmatum non ſcriptorum ; quia nimirum in his duobus potiſſimum capitibus errare ſolent hæretici , primo quidem in eo quod multa in dubium revocant fidei dogmata quæ clare & manifeſte leguntur in Scripturis : Secundo , quia eaſdem Scripturas non ad ſenſum Eccleſiæ & Traditionis , ſed privata mente & prout affecti ſunt , explicare ſolent . Si ad præfata loca penitus attendatur , profecto manifeſtum eſt non aliam eſſe S. Cyrilli mentem : Nam Catecheſi 4. quæ objicitur , totus eſt ut Catholicam Eccleſiæ fidem propugnet , uti putat integram contineri in Symbolo & in Scripturis cum ea cautione quod a nemine traduci & ſumi debet ad libitum . Catecheſi 11. *Cur igitur* , inquit , *curioſe inquiris ea quæ Spiritus non ſcripſit in Scripturis ?* Ubi nonniſi curioſas inquiſitiones impugnat . Catecheſi 13. probat ſolum omnia quæ ad Chriſti Paſſionem ſpectant , contineri in Scripturis , *Omnia* , inquit , *de Chriſto ſcripta ſunt , & nihil eſt ambiguum , nihil non teſtatum , &c.* cujuſmodi ſunt alia quæ opponunt Calviniſtæ ex Catecheſi 16. ubi ſic habetur, *dicemus de Spiritu Sancto ea tantum quæ ſcripta ſunt , ſi quid autem ſcriptum non eſt , non ſcrutabimur curioſe .* Tum ex Catecheſi 17. cujus hæc ſunt verba , *Ingenue fatemur nos non humanis ratiocinationibus uſuros , inutile eſt enim , verum ea tantum quæ ſunt in ſacris Scripturis commemoraturos .* Quorum quidem legitimus ad mentem noſtram ſenſus facile ab omnibus perſpicitur . Scilicet impugnat ſolum eos qui præ nimia curioſitate multa non ſcripta fingebant & ad fidem ſuam accommodabant .

Certe S. Cyrillum adverſus Traditiones non ſcripſiſſe in citatis Catecheſibus ex eo manifeſte liquet , quos eaſdem Traditiones non ſcriptas ibidem ſatis aperte aſtruit . Catecheſi 4. titulo *Scriptura ſacra* ſic habet , *Diſce quoque ſtudioſe ab Eccleſia quinam ſint veteris Teſtamenti libri , qui vero novi .* Hoc unum profecto & quidem præcipuum eſt ex his fidei capitibus quæ per Traditionem cognoſcuntur , quinam videlicet ſint libri Canonici ; unde ſtatim addit Cyrillus : *Horum libros lege duos atque viginti , hos ſolos ſtudioſe meditare , quos & in Eccleſia ſecure tutoque recitamus . Multo prudentiores te erant Apoſtoli , vetereſque illi Epiſcopi Eccleſiæ antiſtites , qui hos tradiderunt . Tu ergo filius Eccleſiæ cum ſis , ne leges inſtitutaque Patrum evertas , corrumpaſve .*

Inſigne eſt quod ſcribit idem S. Cyrillus laudata Catecheſi 5. *Cum* , inquit, *non omnes poſſint Scripturas legere , & alios quidem inſcitia , alios vero occupatio quædam impediat a cognitione , ne ob inſcitiam animam perdas , in paucis verſibus univerſam fidei doctrinam comprehendimus , quod in ipſa lectione meminiſſe vos volo , & apud vos ipſos ſtudioſe recolere , non in chartis inſcribendo ſed in corde memoriam inſculpendo , & in*

medi-

meditatione cuſtodiendo, nec ubi Catechu*menus ea quæ vobis tradita ſunt, exaudiat*. Et poſtea, *Videte itaque fratres, ut ſervetis Traditiones quas nunc accepiſtis, & in latitudine cordis eas deſcribite, & cum pietate illas cuſtodiatis*.

Objicies autoritatem S. Athanaſii qui multis in locis docet Scripturam ſacram per ſe ſolam ſufficere ad fidem, ſic v. g. oratione contra gentes, *ſufficiunt per ſe ſacræ & divinitus inſpiratæ Scripturæ ad veritatis annuntiationem*. Libro de Incarnatione Chriſti contra Apollinarium, *Si diſcipuli eſtis Evangeliorum ne loquamini contra Deum iniquitatem, ſed per Scripturas incedite; quod ſi diverſa a Scripturis loqui vultis, cur nobiſcum concertatis . . . quæ eſt iſta veſtra immodeſtiæ vecordia ut loquamini quæ ſcripta non ſunt?* In Epiſtola de Synodis Arimini & Seleuciæ: *Fruſtra*, inquit, *circumcurſitantes prætexunt* Ariani, *ob fidem Synodos ſeſe poſtulare, cum ſit divina Scriptura omnibus potentior*. Epiſtola ad Serapionem: *Ne igitur*, inquit, *interroges, ſed ſolum ex ſacris litteris condiſcas, ſufficiunt enim quæ in illis reperias documenta*. Igitur rejicit Traditiones divinas.

Diſt. ant. ut ſupra, Scripturam per ſe ſolam ſufficere plerumque & ad certa fidei capita probanda, C. ſimpliciter ad fidem integram ſtabiliendam, N. Scilicet S. Athanaſius, uti & multi alii Patres, contendit ſatis eſſe ſi conſulantur Scripturæ, ad probanda ſcilicet ea fidei capita de quibus in illis locis diſputat adverſus hæreticos; non autem eo ſenſu quod dogmata omnia non ſcripta rejiciat, idque patet hoc momento quod in illis ipſis locis Traditiones non ſcriptas manifeſte aſtruit; nam in laudata ad Serapionem Epiſtola, poſtquam ex Scripturis probavit Spiritum Sanctum non eſſe creaturam, hæc addit, *Videamus tamen adhuc illam ipſam ab initio Traditionem & doctrinam, & fidem Catholicæ Eccleſiæ quam Chriſtus quidem dedit, Apoſtoli vero prædicaverunt & ſervaverunt: in hac enim Eccleſia fundamur & qui inde excidit, Chriſtianus non poterit dici ... atque ita unitas Trinitatis ſervatur, ita unus Deus in Eccleſia prædicatur*. Et in fine Epiſtolæ: *Ego enim ſecundum Apoſtolicam a Patribus acceptam fidem iſta tradidi nihil prorſus aliunde adjiciens, ſed ſicuti didiceram ea ſcripſi quæ cum ſacris Scripturis congruerent*.

Quamobrem in primo teſtimonio vult S. Athanaſius ſufficere Scripturas ad veritatis manifeſtationem, ad probandum ſcilicet adverſus gentes idola non eſſe deos & unum eſſe verum Deum. In ſecundo ſufficere Scripturas ad refellendum Apollinarium, quia revera Chriſtum eſſe perfectum hominem ex anima & corpore compoſitum ubique & expreſſe legitur in Scripturis. In tertio demum ait ſufficere Scripturam ad revincendas Arianorum ineptias quibus ajebant, ſi Spiritus ſanctus eſſet Deus & procederet a Patre, futurum ut Filius & Spiritus ſanctus eſſent germani fratres, vel ſi Spiritus a filio procedit, Deum Patrem Spiritus ſancti avum eſſe dicendum: reſpondet autem S. Athanaſius ſtandum eſſe in his rebus Scripturæ declaranti Spiritum ſanctum procedere a Patre, neque tamen ait eundem Spiritum eſſe Filii fratrem, uti nec Patrem appellat ejus avum: *Ne igitur interroges*, inquit, *ſed ſolum ex ſacris litteris condiſcas, ſufficiunt enim quæ in illis reperias documenta*.

Objicies: S. Baſilius in regulis brevioribus ad quæſtionem 95. docet in rebus ad ſalutem neceſſariis ſatis eſſe ſi confugiamus ad Scripturas, *Et hæc ipſa quæſtio ex his quæ ſuperius jam dicta ſunt explicetur. Quæ ad uſum namque pertinentia ſunt, ea ut unuſquiſque ex divinis litteris ediſcat & rectum eſt & neceſſarium, cum ad majorem animi expletionem in pietate, tum etiam ut ne humanis conſtitutionibus aſſueſiat*. Quæ-

ſtione 98. antiſtes, *quod ad Deum attinet, tanquam miniſter ſit Chriſti & diſpenſator myſteriorum Dei, metuens ne quid præter voluntatem Dei quæ ex confeſſo certa in ſacroſanctis Scripturis ſit, dicat ſtatuatve, exiſtatque aut falſus teſtis Dei aut ſacrilegus, ex eo quod aliquid alienum a doctrina inducat, aut contra eorum quæ grata ſunt Deo prætermittat*. Igitur S. Baſilius Traditionum neceſſitatem non agnoſcit.

Nego ant. In neutro enim hoc loco ſcribit S. Baſilius ſufficientes eſſe Scripturas, in priori quidem ait ſolum expedire ut novitii ſacras Scripturas quamprimum ediſcant, ne humanis conſtitutionibus aſſuefiant. In poſteriori autem monet cavere multum debere antiſtitem ſeu præpoſitum ne quid præter aut contra voluntatem Dei præcipiat, in conſtitutionibus ſcilicet monaſticis, ſed de Traditionibus divinis circa fidei dogmata non ſcripta ibi ne minimum habetur verbum.

Inſtabis: Idem S. Baſilius in Aſceticis cap. *De vera ac pia fide*, ſic habet: *Manifeſtiſſimum hoc infidelitatis argumentum fuerit & ſignum ſuperbiæ certiſſimum, ſi quis eorum quæ ſcripta ſunt aliquid velit rejicere, aut eorum quæ non ſcripta introducere*. Igitur Traditiones non ſcriptas rejicit.

Nego conſ. In illo enim opere (ſi tamen S. Baſilii eſt, quod multi Critici negant) eas ſolum rejicit Traditiones quæ Scripturis contrariæ ſunt, ut manifeſte liquet ex verbis ſequentibus: *Cum Dominus*, inquit, *dixerit, Oves meæ vocem meam audiunt; & paulo ante dixiſſet, alienum autem non ſequentur, ſed fugient ab eo, quia non noverunt vocem alienorum, Apoſtoluſque ſumpto ex hominibus exemplo vehementiſſime interdicat, ne quid eorum quæ in divinis litteris habeantur, dematur, aut, quod abſit, addatur. Sic enim eſt apud illum, tamen hominis confirmatum Teſtamentum nemo ſpernit, aut ſuperordinat. Quamobrem nos quoque, cum ante hac ſemper illud animo ratum habuerimus, ut omnem a Dominica doctrina alienam & vocem & ſententiam fugeremus*.

Inſtabis: Epiſtola 80. docet S. Baſilius ſtandum eſſe Scripturæ, nullamque habendam eſſe rationem Traditionum. Scilicet quæſtio tunc erat num tres dicendæ eſſent in Deo hypoſtaſes vel una tantum hypoſtaſis: volebant hi quos impugnat S. Baſilius unam eſſe hypoſtaſim, idque hoc tuebantur momento quod ejuſmodi doctrinam approbat Traditio & Eccleſiarum conſuetudo. Contra vero ſic loquitur Baſilius, ut aperte ſignificet ad iſtam controverſiam dirimendam ſtandum eſſe Scripturæ, non Traditioni, *Quid ergo*, inquit, *ad hoc dicimus? Non putamus æquum eſſe, ut quæ apud ipſos obtinuit loquendi conſuetudo, pro lege ac canone habeatur rectæ doctrinæ. Si enim ad probandam doctrinam rectam valet conſuetudo, licet & nobis omnino prævalentem apud nos conſuetudinem ex adverſo opponere. Quod ſi noſtram hanc conſuetudinem ipſi refigent, nobis plane licet illos imitari. Stemus itaque arbitratui inſpiratæ a Deo Scripturæ, & apud quos inveniantur dogmata divinis oraculis conſona, illis omnino veritatis adjudicetur ſententia*. Igitur S. Baſilius rejicit Traditiones non ſcriptas.

Diſt. ant. Docet S. Baſilius ſtandum eſſe Scripturæ, quando Traditio eſt obſcura & incerta, C. quando clara eſt & certa, N. In hac autem occaſione dubia prorſus erat Traditio, in hac nimirum controverſia quæ tunc inter Catholicos agitabatur de numero hypoſtaſeon in Deo; in quibuſdam enim Eccleſiis una dicebatur hypoſtaſis, in aliis autem tres dicebantur, quilibet ex utraque parte veterem & uſitatam obtendebant conſuetudinem, quo fit ut merito dicat S. Baſilius hac in cauſa conſuetudinem Eccleſiarum non eſſe audiendam, cum præſertim controverſia

dirimi

dirimi poſſet ex Scriptura, quod certe non impedit quominus ad Traditionem recurratur quando certa eſt & veras habet Traditionis divinæ notas, puta quando id de quo agitur, ab omnibus, ſemper & ubique tenetur.

Objicies autoritatem S. Hieronymi qui multis in locis vim & neceſſitatem Traditionum non ſcriptarum evertit: Sic v. g. in Pſal. 86. in hunc verſiculum, *Dominus narrabit in Scriptura populorum*, ſcribit: *Quomodo narrabit? Non verbo ſed Scriptura. In cujus Scriptura? In populorum. Non ſufficit in populorum, ſed etiam principum dicit, & quorum principum? Qui ſunt in ea, non dicit hoc, ſed qui fuerunt in ea. Videte ergo quomodo Scriptura ſancta Sacramentis plena eſt. Legimus Apoſtolum Paulum, legimus Petrum ...... videte quid dicat, qui fuerunt non qui ſunt, ut exceptis Apoſtolis quodcunque aliud poſtea dicetur, abſcindatur, non habeat poſtea autoritatem.*

Commentario in cap. Micheæ Prophetæ tom. 3. pag. 1503. ſic habet: *Eccleſia autem Chriſti quæ habitat bene & in toto orbe Eccleſias poſſidet, Spiritus unitate conjuncta eſt, & habet urbes legis Prophetarum, Evangelii, & Apoſtolorum, non eſt egreſſa de finibus ſuis, id eſt, de Scripturis ſacris, ſed cœptam retinet poſſeſſionem.*

Item in cap. 1. Aggæi Prophetæ ibidem pag. 1690. *Sed & alia quæ abſque autoritate & teſtimoniis Scripturarum quaſi Traditione Apoſtolica ſponte reperiunt atque confingunt, percutit gladius Dei.*

Et rurſus comment. in cap. 23. Matthæi: *Quod de Scripturis*, inquit, *habet autoritatem, eadem facilitate contemnitur qua probatur.*

Denique libro adverſus Helvidium tom. 4. pag. 141. ſecundæ partis: *Sed ut*, inquit, *quæ ſcripta ſunt non negamus, ita ea quæ non ſunt ſcripta renuimus*. Igitur ex S. Hieronymo in religione Chriſtiana opus non eſt Traditionibus non ſcriptis, ſed ſufficiunt dogmata in Scripturis contenta.

Reſpondeo adverſus hoc noſtrum de Traditionibus non ſcriptis dogma ne minimam quidem ideam injicere Sanctum Hieronymum in allatis locis, in quibus videlicet eas ſolum damnat Traditiones quæ falſæ ſunt, contrariæ Scripturis, & induci ſolebant ab hæreticis, non aliam eſſe S. Doctoris mentem manifeſte conſtabit cuilibet præfata loca penitus expendenti.

In primo quidem loco ait ſolum divus Hieronymus id quod annuntiaretur nunc ab aliquo tametſi Sancto, poſt Apoſtolorum tempora, non habere in Eccleſia autoritatem, dogmatis ſcilicet revelati, quod utique confitemur; neque enim fiunt in Eccleſia novæ revelationes, ſed nihil omnino iſtud efficit adverſus Traditiones non ſcriptas.

In ſecundo loco agit obiter S. Hieronymus adverſus hæreticos, qui dogmata Scripturis contraria introducunt. Ait enim verbis ſequentibus, *Vos vero qui habitatis juxta Sennem, id eſt, juxta abundantem Eccleſiam, o hæretici, o contraria dogmata plangite vos.* Præterquamquod adverſus Traditiones non ſcribit eo loci ſanctus Doctor, Eccleſia enim non egreditur e finibus ſuis, id eſt de Scripturis, cum dogma Traditionum aſſerit, quæ nimirum ipſæ tam apertis Scripturarum teſtimoniis obſirmantur.

In tertio S. Hieronymi teſtimonio nulla occurrit difficultas; perſpicuum eſt enim illum diſſerere adverſus falſas Traditiones & malas quorumdam hæreticorum conſuetudines, *qui tribus Quadrageſimis per annum jejunantes & Xerophagiis humiliantes animam ſuam &c.* intelligit Montaniſtas.

Quartus qui objicitur locus ad Traditiones non ſcriptas neutiquam ſpectat, ſed ad ſolam quæſtionem quam ibi examinat S. Hieronymus; refellens enim

enim quorumdam ſententiam qui Zachariam illum, de quo loquitur Sanctus Matthæus, eſſe patrem Joannis *ex quibusdam*, ut ait, *apocryphorum ſomniis*, addit, *hoc quia de Scripturis non habet autoritatem, eadem facilitate contemnitur qua probatur*. Quod certe non reſpicit aliam materiam.

Ejuſmodi eſt quod ſexto loco objicitur, cum enim ait Hieronymus, ſe ea quæ ſcripta non ſunt tenuere, id intelligit ſolum de iis quæ licet non ſcripta & aliunde falſa, propugnabat tamen Helvidius; addit enim verbis immediate ſequentibus: *Natum Deum eſſe de Virgine credimus quia legimus. Mariam nupſiſſe poſt partum non credimus, quia non legimus*.

Objicies: S. Chryſoſtomus ait homil. in Pſal. 95. nihil eſſe dicendum abſque teſtimonio Scripturæ: *Quis eſt*, inquit, *qui iſta promittit? Paulus; neque enim oportet quicquam dicere ſine teſtibus, ſolaque animi cogitatione: nam ſi quid dicitur abſque Scriptura, auditorum cogitatio claudicat nunc annuens, nunc hæſitans, & interdum ſermonem ut frivolum averſans, interdum ut probabilem recipiens. Verum ubi e Scriptura divinæ vocis prodiit teſtimonium, & loquentis ſermonem & audientis animum confirmat*.

Homil. 49. in Matth. ſic habet: *Neque refugium poteſt eſſe Chriſtianorum aliud volentium cognoſcere fidei veritatem niſi Scriptura divinæ*.

Denique homil. 13. in Epiſt. ad Corinthios, *Idque cum exactam rerum omnium lancem ac normam & amuſſim habeamus, nempe divinarum legum ſententiam. Quocirca vos omnes rogo atque obſecro, ut quid hic aut ille de his rebus ſentiat, nihil morantes ſcripturas ſacras de iis conſulatis*. Igitur ex Sancto Chryſoſtomo neceſſe non eſt recurrere ad Traditiones non ſcriptas.

Reſpondeo in his teſtimoniis nihil eſſe quo ſignificetur S. Chryſoſtomum non amiſiſſe vim & neceſſitatem Traditionum non ſcriptarum. In primo quidem verum eſt quod ait, nihil eſſe dicendum ſine Scripturæ teſtimonio, ſi nimirum *ſola animi cogitatione & ſine teſtibus affirmetur*, quales certe non ſunt Traditiones divinæ non ſcriptæ, ut per ſe patet.

Secundus locus nihil efficit, quia mens autoris eſt ſolummodo confugiendum eſſe ad Scripturas, cum advenerit tempus Antichriſti: *Cum videritis*, inquit, *hæreſim impiam quæ eſt exercitus Antichriſti, ſtantem in locis ſanctis Eccleſiæ, in illo tempore qui in Judæa ſunt, fugiant ad montes, id eſt, qui ſunt in Chriſtianitate, conferant ſe ad Scripturas*. Sed non contendit ſufficere Scripturas ad omnem fidei Catholicæ veritatem cognoſcendam. Præterquamquod hoc opus non eſſe S. Chryſoſtomi fatentur omnes Critici.

In tertio loco docet Chryſoſtomus Scripturam ſacram eſſe rerum omnium lancem & normam ſecundum quid, hoc diximus ſupra, hoc eſt in ordine ad materiam de qua ibi diſſerit, oſtendens non ex vulgi opinionibus, ſed ex lege & verbo Dei judicandum, an melior apud Deum ſit pauperis quam divitis conditio; non autem ſimpliciter, quaſi ſola Scriptura ſine Traditionibus omne fidei dogma contineat.

Objicies autoritatem Sancti Auguſtini qui multis in locis ſcribit adverſus Traditiones non ſcriptas.

1. Enim lib. 2. de Doctrina Chriſtiana capit. 9. docet ſufficientem eſſe Scripturam ſacram; *In iis enim*, inquit, *quæ aperte in Scripturis poſita ſunt inveniuntur illa omnia quæ continent fidem moreſque vivendi, ſpem ſcilicet & charitatem*. Ubi & affirmat non per Traditionem ſed per Scripturam ipſam explicanda eſſe Scripturarum loca obſcuriora: *Tum vero*, inquit, *facta quadam familiaritate cum ipſa lingua divinarum Scripturarum, in ea quæ obſcurata ſunt*

ape-

Digitized by Google

aperienda & diſcutienda pergendum eſt, ut ad obſcuriores locutiones illuſtrandas de manifeſtioribus ſumantur exempla, & quædam certarum ſententiarum teſtimonia dubitationem in certis auferant.

2. Lib. de bono viduitatis cap. 1. *Quid ego*, inquit, *amplius te doceam, quam id quod apud Apoſtolum legimus? Sancta enim Scriptura noſtræ doctrinæ regulam figit, ne audeamus ſapere plus quam oportet ſapere . . . . Non ſit ergo mihi aliud te docere niſi verba tibi Doctoris exponere, & de iis quod Dominus dederit, diſputare*.

3. Epiſt. 167. num. 4. *Si divinarum Scripturarum*, inquit, *earum ſcilicet quæ Canonicæ in Eccleſia nominantur, perſpicua firmatur auctoritate, ſine ulla dubitatione credendum eſt; aliis vero teſtibus vel teſtimoniis quibus aliquid credendum eſſe ſuadetur, tibi credere vel non credere liceat, quantum ea momenti ad faciendum fidem vel habere vel non habere perpenderis*. Igitur non ſunt admittendæ Traditiones non ſcriptæ.

Reſpondeo hæc S. Auguſtini teſtimonia non adverſari Traditionibus non ſcriptis.

Ac primum quidem quod petitur e libro de Doctrina Chriſtiana, probat ſolum reperiri ſufficienter in Scripturis quæ credenda ſunt explicite ab omnibus Chriſtianis, quæque ad eorum mores infirmandos ſunt neceſſaria, qualia ſunt quæ ad fidem, ſpem & charitatem ſpectant, quod veriſſimum eſt, quamvis præter illa fidei dogmata quæ in his divinis litteris continentur, quædam alia ſint paris auctoritatis & neceſſitatis ac ipſum verbum Dei ſcriptum, ut enim ait Sanctus Doctor, lib. 5. de Baptiſmo cap. 23. in probationibus laudato: *Sunt multa quæ univerſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis præcepta bene creduntur, quamquam ſcripta non reperiantur*.

Cum autem ait S. Auguſt. obſcuriores Scripturæ locutiones per manifeſtiores eſſe explicandas, certe intelligit ſic agendum eſſe plerumque, & quando revera quædam clariora ſuppetunt loca, quorum beneficio ſufficienter elucidari poſſint obſcuriora; non autem ita ut nunquam liceat confugere ad Traditiones, contrarium enim ex eodem ſancto Doctore mox oſtendemus in ſequenti articulo.

In ſecundo loco qui objicitur ex libro de bono viduitatis nulla omnino occurrit difficultas, hæc enim propoſitio, *Sancta Scriptura doctrinæ noſtræ regulam figit*, non debet intelligi pro quolibet univerſim fidei dogmate, ſed pro ea ſolum doctrina quam ibi tradit Sanctus Doctor & quam putat abunde ſtabilitam apud S. Paulum; *Quid igitur*, inquit, *te doceam, quam id quod apud Apoſtolum legimus?* Iſque idem ſenſus eſt ejuſmodi propoſitionum quæ paſſim leguntur apud ſanctos Patres.

Tertium denique teſtimonium nullius momenti eſt adverſus Traditiones non ſcriptas; verum eſt enim aliis teſtibus & teſtimoniis aliis a Scriptura ſacra non eſſe credendum, niſi quantum ipſa fidem faciunt, qua poſita regula verbum Dei non ſcriptum paris debet eſſe auctoritatis ac ſcriptum, quandoquidem verbum eſt Dei perinde ac ſi ſcriptum eſſet.

Certe ejuſmodi præconia quibus commendari ſolet ab autoribus Eccleſiaſticis Scriptura ſacra tanquam perfecta, & ſola ſufficiens ad fidem fundandam, nihil quicquam detrahere Traditionibus non ſcriptis, conſtat ex eo quod qui dubio procul vim & neceſſitatem Traditionum admiſerunt, non aliter tamen de Scriptura ſacra plerumque loquuntur, ſic v. g. Bellarminus concione 4. de Dominica ſecunda Adventus, *Scriptura divina*, inquit, *propterea quod Deum auctorem habet, cujus perfecta ſunt opera, ejuſmodi eſt, ut nihil penitus habeat imperfecti, nihil enim detrahi, nihil addi, nihil in ea reprehendi, nihil conſiderari poſſit*

poſſit, *neque ſolum perfectiſſima*, *ſed etiam utiliſſima eſt & omne genus eruditionis continet*. Perperam igitur innumera nobis objiciuntur loca & Patrum & Theologorum qui ſic de Scripturæ plenitudine & ſufficientia loquuntur, ut aliud quodcunque verbum Dei rejicere videantur. Quandoquidem & iiſdem plane præconiis Scripturam extollunt, qui aliunde Traditiones non ſcriptas totis viribus propugnarunt, ut patet ex Bellarmini exemplo, quo nullus unquam pro Traditionibus non ſcriptis fortius dimicavit.

Solvuntur Objectiones e ratione petitæ.

Objicies: Si Traditiones non ſcriptæ ſunt neceſſariæ & paris cum Scriptura ſacra auctoritatis, ſequitur inde Scripturam ſacram non eſſe regulam fidei; omnis enim regula fidei continet ſingula religionis dogmata: ſed Scriptura ſacra eſt regula & norma fidei, ex eo enim appellatur Canonica & totum ejus corpus Canon, ut docet S. Thomas in 6. cap. 1. Epiſt. ad Corinthios: *Doctrina*, inquit, *Apoſtolorum & Prophetarum dicitur Canonica*, *quia eſt quaſi regula intellectus noſtri*. Igitur non eſt recurrendum ad Traditiones non ſcriptas.

Huic argumento ut clare & nitide reſpondeatur, obſervandum eſt totam hanc difficultatem pendere ex notione regulæ fidei; ut video enim, plurimi e noſtris cum hæreticis ſuper hoc negotio acriter diſputant, ita ut tota quæſtio ex eo pendeat quid ſit fidei regula. Mihi quidem non probatur Bellarmini ſententia dicentis Scripturam Sacram non eſſe fidei regulam, quia, inquit ille Theologus, regula fidei nec plura nec pauciora continet quam quæ ſunt fidei, quod non competit Scripturæ ſacræ, quæ plura continet, nimirum hiſtorias quæ non ideo ſcriptæ ſunt, ut neceſſario credantur; pauciora vero, quia non continet Traditiones divinas non ſcriptas. Addit Bellarminus idcirco Scripturam ſacram non eſſe regulam fidei, quia non eſt unum opus continuum, ſed continet varia opera, hiſtorias, conciones, vaticinia, Epiſtolas.

Sed mihi, inquam, hæc Bellarmini ſententia non placet, quia juxta communem omnium Theologorum loquendi rationem, Scriptura ſacra, uti & Traditio, eſt fidei noſtræ regula: neque enim id ſolum reputari debet fidei regula quod nec plura nec pauciora continet quam quæ ſunt fidei, ſicuti nec quod eſt opus continuum. Sed regula fidei hic dici debet quod fidei objectum continet, ita ut tamen aliud quoque poſſit eſſe fidei objectum, adeoque alia fidei regula. Quo ſemel poſito Scriptura ſacra eſt regula fidei, & Traditio quoque eſt regula fidei; Scriptura quidem continet verbum Dei ſcriptum, Traditio autem verbum Dei non ſcriptum, quod utrumque ex eo præciſe quod Dei verbum eſt, paris omnino eſt auctoritatis, & utrinque verum fidei Catholicæ objectum complectitur.

Reſpondeo itaque diſt. maj. Si admittantur Traditiones non ſcriptæ, ſequitur Scripturam Sacram non eſſe regulam fidei totalem & adæquatam, C partialem & inadæquatam, N. Nimirum regula fidei cenſeri debet, ut puto, locus qui exhibet vel continet aliquod fidei noſtræ objectum, quo ſenſu quilibet liber canonicus eſt regula fidei, & ipſa quoque Eccleſia eſt regula fidei ſuo modo, quia in ſuis ſanctionibus nonnulla exhibet ac proponit fidei capita. Porro ſi regula fidei eſt ille locus, in quo continetur aliquod fidei divinæ objectum, ſequitur in noſtris principiis ſupra probatis, Scripturam ſacram non eſſe niſi regulam partialem fidei, quia nimirum præter Scripturam ſacram multa inſuper fidei dogmata continentur in Traditionibus non ſcriptis; quemadmodum & dici poteſt novum Teſtamentum eſſe regulam fidei, quanquam non omnia

Digitized by Google

omnia & ſingula Catholicæ fidei complectatur; etiam fatentibus adverſariis, quia datur inſuper vetus Teſtamentum, quod ſimiliter continet varia fidei noſtræ objecta; unde nihil efficit adverſus hoc noſtrum dogma de Traditionibus non ſcriptis, quod Scriptura ſacra vulgo dicatur regula fidei.

Objicies: Omnia dogmata quæ incertum eſt prodiiſſe a Spiritu ſancto admitti non debent tanquam fidei Catholicæ objecta, a Deo ſcilicet revelata; ſed omnia dogmata non ſcripta incertum eſt prodiiſſe a Spiritu ſancto, a Deo fuiſſe revelata; quicquid enim adduci poteſt ad probandum ejuſmodi dogmata non ſcripta, fuiſſe a Deo revelata, valde dubium & fallax eſt, quæcunque ad eorum originem probandam uſurpari poſſunt, omnia ſunt infirma & titubantia, utpote mere humana quæ fidem omnino indubitatam non faciunt: igitur ſtandum eſt ſoli Scripturæ ſacræ, quæ ſola fidei noſtræ articulos contineat ſolaque legitimum Dei verbum exhibeat, adeoque nulla debent admitti dogmata non ſcripta.

Nego min. & dico dubium & incertum non eſſe, ſed imo certiſſimum, ea dogmata quantumvis non ſcripta prodiiſſe a Spiritu ſancto & a Deo revelata, quæ quidem talia eſſe docent Catholici ſub nomine Traditionum non ſcriptarum; ſi nimirum ratio habeatur regularum quibus uti ſolent ad veras illas Traditiones a falſis dignoſcendas: ejuſmodi ſunt enim illæ regulæ, ut ſi alicui dogmati ſingulæ bona fide applicentur, de hujus doctrinæ veritate nemo ſani judicii compos cum ullo fundamento dubitare poſſit. Hæ ſunt autem regulæ prout adhiberi ſolent a Theologis. Quinque profert Bellarminus lib. 4. de verbo Dei non ſcripto cap. 9.

Prima regula hæc eſt, quando univerſa Eccleſia aliquid tanquam fidei dogma amplectitur quod non invenitur in divinis litteris, neceſſe eſt dicere ex Apoſtolorum traditione id haberi; quia nempe, cum Eccleſia univerſa errare non poſſit, quod de fide eſſe credit, ſine dubio de fide eſt, nihil autem eſt de fide niſi quod Deus per Prophetas aut per Apoſtolos revelavit: non enim novis revelationibus regitur Eccleſia, ſed in iis permanet quæ tradiderunt illi qui miniſtri fuerunt ſermonis; unde dicitur Epheſ. 2. cap. *ædificata ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum*. Igitur illa omnia quæ Eccleſia fide tenet, tradita ſunt ab Apoſtolis aut Prophetis, ſcripto aut verbo.

Quam ſecundo loco regulam profert Bellarminus, eadem eſt cum prima. Quando, inquit, univerſa Eccleſia aliquid ſervat quod nemo conſtituere potuit niſi Deus, quod tamen nuſquam invenitur ſcriptum, neceſſe eſt dicere ab ipſo Chriſto & Apoſtolis ejus traditum, quia videlicet Eccleſia univerſa non poteſt errare in operando uti nec in credendo.

Tertia regula eſt, id quod in univerſa Eccleſia & omnibus retro temporibus ſervatum eſt, merito ab Apoſtolis creditur inſtitutum, etiamſi illud tale ſit ut potuerit ab Eccleſia inſtitui.

Quarta regula eſt, cum omnes Doctores Eccleſiæ communi conſenſu docent aliquid ex Apoſtolica Traditione deſcendere, ſive in Concilio generali congregati, ſive ſcribentes ſeorſum in libris, illud credendum eſt ad Apoſtolicam Traditionem pertinere.

Quinta demum regula eſt, id ſine dubio credendum eſſe ex Apoſtolica Traditione deſcendere, quod pro tali habetur in illis Eccleſiis, ubi eſt integra & continua ſucceſſio ab Apoſtolis ad nos uſque.

Eaſdem regulas quibus veræ Traditiones a falſis, divinæ ab humanis certo ſecernantur, jamdudum expreſſe tradiderant Veteres. S. Irenæus lib. 3. adverſus hæreſes c. 3. ſic loquitur: *Traditionem Apoſtolorum in toto mundo manifeſtatam, in omni Eccleſia adeſt perſpicere omnibus qui vera velint audire, & habemus annumerare eos qui ab Apoſtolis inſtitu-*

Digitized by Google

ſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſiis & ſucceſſores eorum uſque ad nos.

Tertullianus lib. de præſcriptionibus hæreticorum cap. 21. *Si hæc ita ſunt*, inquit, *conſtat proinde omnem doctrinam quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolicis matricibus & originalibus fidei conſpiret veritati deputandam*, *ſine dubio tenentem quod Eccleſiæ ab Apoſtolis*, *Apoſtoli a Chriſto*, *Chriſtus a Deo accepit*, *omnem vero doctrinam de mendacio præjudicandam quæ ſapiat contra veritatem Eccleſiarum & Apoſtolorum & Chriſti & Dei*. Ait c. 33. *Id eſſe Dominicum & verum quod ſit prius traditum*, *id autem extraneum & falſum*, *quod ſit poſterius immiſſum*.

Item S. Auguſtinus lib. 4. de Baptiſmo cap. 24. *Quod univerſa tenet Eccleſia*, *nec Conciliis inſtitutum ſed ſemper retentum eſt*, *non niſi autoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur*.

Et Vincentius Lirinenſis in Commonitorio jam laudato cap. 3. rem breviter ſed præclare omnino exprimit. *In ipſa*, inquit, *Catholica Eccleſia magnopere curandum eſt*, *ut id teneamus*, *quod ubique*, *quod ſemper*, *quod ab omnibus creditum eſt*. Ut illud, inquam, teneamus tanquam divinum a Deo revelatum, non ab hominibus adinventum, & ita pro vero ac legitimo fidei noſtræ objecto non minus habeatur quam verbum Dei ſcriptum.

Huc itaque redit tota ratiocinatio qua Traditiones non ſcriptas, ſeu dogmata non ſcripta vere a Deo fuiſſe revelata, vere a Spiritu Sancto prodiiſſe probamus ex regulis mox allatis. Impoſſibile eſt non fuiſſe a Deo revelatum, illud dogma quod videmus ubique, ſemper & ob omnibus creditum, velut a Chriſto & Apoſtolis olim traditum, & cujus tamen nulla apparet inſtitutio, nullum initium, quod, ut ait S. Auguſtinus, non videmus a Conciliis inſtitutum; Neque enim tam ſtupidi unquam fuere homines ut pro divino & divinitus inſpirato acciperent, quod ipſi videbant ab hominibus inventum & inſtitutum: ſed talia ſunt dogmata non ſcripta, de quibus nunc quæſtio eſt, ea nimirum ſemper ubique, & ab omnibus fuere tradita, eorum nulla apparet inſtitutio, nullum initium: igitur certo creduntur a Deo revelata; adeoque dubium & incertum non eſt ejuſmodi dogmata a Spiritu ſancto prodiiſſe.

Et certe tanta eſt vis, tantum pondus in hoc ratiocinio, ut eo uti adverſarios neceſſe ſit ad aſſerendam Scripturarum veritatem, nimirum ut hunc vel illum librum demonſtrent divinum & canonicum: ſi quis enim v.g. neget Evangelium S. Matthæi eſſe unum ex libris canonicis, quod olim revera negabant Marcionitæ, qui ſolum S. Lucæ Evangelium agnoſcebant, quo tandem argumento oſtendent Calviniſtæ illud Evangelium eſſe Matthæi, certe nullum aliud ipſis ſuppetit ratiocinium præter iſtud, quo tanquam divinum & ab Apoſtolis ſeu Evangeliſtis ſcriptum illud ſine ulla dubitatione creditur, quod ſemper, ubique, & ab omnibus ita eſſe traditum eſt. Quod enim librum aliquem canonicum ab alio minime canonico ex ſola ipſius libri inſpectione diſcernunt, res eſt tam abſurda quam quod abſurdiſſimum, uti poſtea oſtendemus, cum de judice controverſiarum agetur. Stet igitur firmum iſtud ratiocinium, quo probamus nonnulla eſſe dogmata non ſcripta quæ vere a Deo ſunt revelata, ideoque non minus ad fidem Catholicam pertinent quam dogmata ſcripta.

Inſtabis: Nullum reipſa proferri poteſt ejuſmodi dogma Catholicum, quod non contineatur in Scripturis, ſi nimirum quemdam excipias, de quibus non conſentiunt Calviniſtæ, quæque rejiciunt tanquam nova & falſa Romanæ Eccleſiæ commenta; qualia ſunt v.g. Purgatorium, Tranſſubſtantiatio, cultus ſanctorum & imaginum, &c. quæ quidem dogmata in exemplum afferri non debent hac in diſſertatione, quæ tota potiſſimum inſtituitur adverſus illos Hæreticos: igitur nullæ ſunt Traditiones non ſcriptæ.

Nego

Nego ant. Omiſſis enim multis dogmatibus dubio procul ad fidem & doctrinam Chriſtianorum pertinentibus, quæ quidem hic commemoro adverſus Calviniſtas propter rationem mox adductam, certum eſt & alia quoque admitti fidei divinæ objecta quæ clare & aperte non continentur in Scripturis; ejusmodi eſt dogma, quo creditur Baptisma Chriſti eſſe verum peccati originalis remedium, id quippe non legitur in ſacris litteris, quanquam ibidem ejus neceſſitas aperte declaretur. Sic etiam v. gr. nullo in loco ejusdem Scripturæ legitur, baptizandos eſſe infantes, unde multi exiſtimarunt, vel in primis Eccleſiæ ſæculis ſolos adultos ut doctrinæ ita & Baptismi capaces propter iſta Chriſti Domini verba: *Ite & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii*, *&c.* Præterea nec in Scripturis legitur validum eſſe Baptisma ab Hæreticis collatum, quamobrem Stephanus ſummus Pontifex robur Traditionis oppoſuiſſe dicitur, cum ſuper ea re diſputavit adverſus S. Cyprianum. Scilicet hæc & alia ejusmodi quæ in Evangeliis non reperiuntur, ſola Traditione perpetua & conſtanti innotuerunt in Eccleſia.

Quin & libros canonicos tum veteris tum novi Teſtamenti a non canonicis aliter diſcernere nemo poteſt quam per Traditionem, ut modo diximus. Nam plane fictitium eſt, quod hic proferunt Novatores, certas divinæ inſpirationis notas præ ſe ferre libros canonicos præ aliis qui non ſunt canonici; cui enim vel perſpicaciſſimo apparent ejusmodi notæ in libris Judicum, Ruth & aliis quos tanquam canonicos admittunt illi Hæretici, quæ non conveniant libris Judith, Tobiæ, Eſther & aliis quos rejiciunt? Nonne & eosdem reperias divinæ inſpirationis caracteres in Epiſt. ad Hebræos, ac in illa quæ eſt ad Romanos? Nimirum aliter diſcerni certo non poſſunt libri canonici a non canonicis, quam per Traditionem divinam & Apoſtolicam, quæ docet illos a Prophetis vel Apoſtolis, Deo inſpirante, fuiſſe ſcriptos, ſecus vero illos qui ex albo canonicorum expuncti ſunt ubique ſemper & ab omnibus.

Deinde alia quoque Traditionum non ſcriptarum exempla merito hic proferre licet, quanquam inter fidei divinæ objecta non reponantur a Novatoribus; cum videlicet ab omni ratione alienum ſit ea rejicere divinæ fidei dogmata, quæ quidem a Deo fuiſſe revelata nemo unquam negaverit, ſi præfatas Traditionis divinæ & Apoſtolicæ regulas illis applicare voluerit. Ejusmodi ſunt numerus ſeptenarius Sacramentorum, eorum materia & forma, Transſubſtantiatio quæ fit in Euchariſtia, perpetua B. Mariæ virginitas, & alia id genus, quæ docentibus primum Apoſtolis tanquam vera Chriſti doctrina ſemper & in omnibus Eccleſiis retenta ſunt; proindeque manifeſte falſum eſt, quod objiciunt Calviniſtæ nullum reipſa extare exemplum dogmatis Catholici & fide divina credendi quod non contineatur in Scripturis.

Inſtabis: Tam certo credi non debet ejusmodi dogmata non ſcripta, veram Chriſti & Apoſtolorum doctrinam exhibere, adeoque paris eſſe autoritatis cum verbo Dei ſcripto, quæ quidem dogmata probabiliter corrupta, aut ſaltem inſigniter immutata fuerunt: ſed veriſimile eſt, dogmata non ſcripta quæ ab Epiſcopis, aut etiam fidelibus unius ſæculi ad alios ſequentis nonniſi verbo, ſermone, aut fama quadam transmiſſa ſunt, non parum fuiſſe adulterata atque immutata; nemo enim neſcit quantæ mutationi obnoxium ſit id omne quod per rumorem & famam ſolet prædicari ab hominibus & ab uno ſæculo ad aliud transmitti, qua de cauſa in more poſitum fuit apud veteres Hæreticos, ut falſis Traditionibus velut divinis & Apoſtolicis ſuos errores audacter confirmarent: igitur Traditiones non ſcriptæ eandem non merentur fidem ac ipſa Scriptura.

Nego min. & dico, certiſſimum eſſe iſthæc dogmata non ſcripta, quæ tanquam a Deo revelata, & ipſum Dei

verbum agnoſcuntur a Chriſtianis, ſemper eadem a primo Chriſtianiſmi ævo ad nos uſque fuiſſe transmiſſa ſine ulla ſui immutatione; utpote cum talis immutatio quam Traditionibus Apoſtolicis affingunt Calviniſtæ, ſit omnino impoſſibilis. Namque haud intelligitur alio pacto fieri potuiſſe hanc immutationem ſeu adulterationem dogmatum non ſcriptorum, quam ſi omnes Eccleſiæ & ſinguli earum Paſtores vel ſupina quadam negligentia paſſi fuerint, ut quæ dogmata prius erant de fide, jam non reſpicerentur tanquam de fide credenda; vel in iiſdem adulterandis dogmatibus omnes unanimi conſenſu conſpiraverint: ſed neutro modo id concipitur poſſibile; ſciunt enim omnes quanto in pretio ſunt apud Chriſtianos, & præcipue Epiſcopos fidei divinæ dogmata, quanta cum diligentia iſti pro munere ſuo invigilent, ut eadem ſemper integra & inconcuſſa ſervetur fides, nec vel minima ex parte violetur depoſitum: ergo plane incredibile eſt quod affirmant Novatores, corruptas atque immutatas fuiſſe identidem & labentibus ſæculis Traditiones Apoſtolicas.

Deinde vero retorquere merito poſſumus argumentum adverſus Proteſtantes, qui ex altera parte agnoſcunt ſolam Scripturam ſacram eſſe fidei noſtræ regulam. Nimirum dicemus libros canonicos dubio procul fuiſſe corruptos atque immutatos, cum tot manibus in diverſis locis & temporibus fuerint exſcripti; verum quod reſpondent Hæretici, nimirum ubique terrarum & ſemper cautum fuiſſe a Paſtoribus Eccleſiæ, ne vel minima in ſacros codices irreperet immutatio, idem merito reſpondebimus contigiſſe erga Traditiones divinas & Apoſtolicas, quas Veteres, ut oſtendimus, pari veneratione proſequebantur ac ipſum Dei verbum ſcriptum.

Nec moror quod veteres Hæretici ad confirmandos ſuos errores divinis paſſim Traditionibus abutantur falſas plerumque pro veris obtrudentes. Nam ſua dubio procul autoritate cadere non debent Traditiones non ſcriptæ, eo quod iis non ſemel abutuntur Hæretici; quemadmodum nec Scriptura ſacra quam maxima ex parte aut rejiciunt, aut corrumpunt hujusmodi homines, ſuam amittit fidem & autoritatem.

Cæterum animus hic non eſt longiori diſputatione excutere varia exempla quæ proferunt adverſarii, ut inde probent immutatas plerumque Traditiones in Eccleſia Romana, qualis eſt v.g. doctrina de Millenario in terris Chriſti regno quam veteres nimirum Papias, Juſtinus, Irenæus, &c. ex Apoſtolica Traditione deſcendere contenderunt, quam tamen doctrinam velut fabulam rejecerunt Patres quarti quintive ſæculi ac deinceps. Sic, inquiunt iidem Calviniſtæ, Patres unanimi conſenſu docuerunt beatam Virginem Mariam fuiſſe, ad inſtar aliorum hominum, conceptam in peccato originali, quam nihilominus ſententiam Theologi pene omnes a quinque aut ſex ſæculis condemnant ut falſam & erroneam, ita ut contraria jam habeatur ab omnibus ut fidei Catholicæ conſona.

Hæc, inquam, aliaque ſimilia exempla prolixius hic non diſcutio, tum quia omnium in particulari Traditionum defenſio nos alio longius abduceret; tum quia hæc eadem ſigillatim ſuo quæque loco explicamus. Quid de Millenariorum fabula ſenſerint Veteres, diximus in primo hujus operis volumine; in ſexto autem de immaculata Conceptione B. Virginis; ex quibus recte intellectis manet nihil immutatum fuiſſe in Traditionibus Apoſtolicis.

Neque eſt etiam quod nobis opponant adverſarii conſuetudines Eccleſiarum prope innumeras, quæ ſub nomine Traditionum Apoſtolicarum commemorari ſolent in Eccleſia, & tamen jam a longo tempore antiquatæ non obſervantur, cujusmodi ſunt trina immerſio in Baptiſmo, varii pœnitentiæ publicæ ritus, communio Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie pro Laicis &c. Siquidem fatemur ultro ejusmodi Traditiones quæ non ſpectant fidem Catho-

Digitized by Google

thoſicam, ſed tantum diſciplinam, vel externam politiam, mutationi obnoxias eſſe, quod nimirum natura ſua ceremoniæ ſunt diverſæ pro diverſitate locorum & temporum.

Si autem quæras quo pacto diſcerni poſſint ritus qui ad fidem pertinent ab aliis conſuetudinibus quæ nonniſi diſciplinam ſpectant. Reſpondeo id ſatis ſuperque fidelibus indicare praxim ipſam Eccleſiæ; quæcumque enim præcepta ſunt a Chriſto vel Apoſtolis tanquam firmum & conſtans dogma ſemper fuerunt obſervata cum ſumma religione & in omnibus Eccleſiis: quæ vero tradita ſunt ab Apoſtolis ut meræ ceremoniæ quas abolere non dubitavit Eccleſia de legitimis cauſis & in certis temporibus, dubio procul non pertinuiſſe ad fidem merito creduntur. Præterquam quod Traditiones quæ ad fidem attinent, ſatis dignoſcuntur ex natura ſua immutabiles: quis enim v. g. crediderit Apoſtolos nonniſi ad aliquod tempus præcepiſſe fidelibus, ut crederent myſterium SS. Trinitatis, & Incarnationis? Quæ vero ad diſciplinam pertinent, ſe habent ut quædam ceremoniæ ex natura ſua temporariæ & mutabiles.

Inſtabis: Teſtimonium pure humanum non eſt paris autoritatis cum verbo Dei: ſed Traditiones non ſcriptæ etiam eorum quæ unanimi conſenſu referuntur a ſanctis Patribus, non ſunt niſi teſtimonium humanum: igitur.

Nego min. Dogmata enim non ſcripta referuntur quidem ab hominibus tanquam teſtibus qui doctrinam Apoſtolorum ad alios tranſmittunt, ſed non ſunt doctrina mere humana, verbum mere humanum: quod enim aliquod dogma divinum, ab ore ipſius Chriſti vel Apoſtolorum profectum, beneficio ſcripturæ vel viva voce propugnatum ſit hominibus, perinde eſt omnino & paris debet eſſe autoritatis; utrinque enim Dei verbum eſt.

Jam vero nullius momenti eſt quod objicitur, Patres erroribus quandoque fuiſſe obnoxios, Patres non ſemel erraſſe etiam in iis punctis quæ ad religionem pertinent, quod argumentum fuſe & acriter proſequitur Dallæus lib. 2. *de vero uſu Patrum* cap. 4. petitum ex ſcriptis Juſtini, Irenæi, Clementis Alexandrini, Tertulliani, Cypriani, Origenis, Lactantii, Hilarii, Baſilii, Gregorii, utriuſque Nazianzeni & Niſſeni, Ambroſii, Epiphanii, Chryſoſtomi, Hieronymi, Auguſtini &c. in quibus errores non paucos occurrere cuilibet legenti compertum eſt, inquit ille Calviniſta.

Nam trita eſt apud omnes ſolutio qua dilui ſolet hæc criminatio non modo SS. Patribus, ſed & univerſæ Eccleſiæ injurioſa. Nimirum fatemur quemlibet e SS. Patribus ſeorſim ab aliis errare poſſe: errare quippe, ut vulgo dicitur, humanum eſt, ſed negamus Patres omnes in recenſendis fidei Catholicæ dogmatibus ſimul & unanimi conſenſu eandem tradentes doctrinam errare unquam poſſe: *Sed eorum*, inquit Vincentius Lirinenſis Commonitorio cap. 39. *Patrum ſententiæ conferendæ ſunt qui in fide & communione Catholica, ſancte, ſapienter, conſtanter viventes, docentes & permanentes, vel mori in Chriſto fideliter, vel occidi pro Chriſto feliciter meruerunt, quibus tamen hac lege credendum eſt, ut quicquid vel omnes vel plures, uno vel eodem ſenſu manifeſte, frequenter, perſeveranter, velut quodam conſentiente ſibi magiſtrorum concilio accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint, id pro indubitato, certo, ratoque habeatur; quicquid vero quamvis ille ſanctus & doctus, quamvis Epiſcopus, quamvis Epiſcopus & Martyr præter omnes, aut etiam contra omnes ſenſerit, id inter proprias & occultas & privatas opiniunculas a communis, publicæ & generalis ſententiæ autoritate ſecretum ſit*. Hac adhibita regula, hoc eſt quando Patres unanimi conſenſu narrant quæ in ſua regione & in ſuis temporibus credebantur, falli & errare non poſſunt in iis ſcilicet quæ ad religionem & fidem Catholicam pertinent; unde facta ſincere ſingulorum enumeratione, nullum eſt Eccleſiæ dogma,

in

Digitized by Google

in quo vel univerſi Patres, vel major ſaltem eorum pars non conſentiat, ac proinde nihil adverſus vim Traditionum efficit, quod quidam e ſanctis Patribus aliquando erraſſe dicantur.

In hunc ſenſum loquitur S. Auguſtinus lib. 11. contra Fauſtum cap. 5. ubi ait Patrum ſcripta etiam eum vera dicunt, paris non eſſe autoritatis cum Scripturæ verbis: *In opuſculis autem poſteriorum*, inquit, *quæ libris innumerabilibus continentur, ſed nullo modo illi ſacratiſſimæ Canonicarum Scripturarum excellentiæ coæquantur, etiam in quibuſcunque eorum invenitur eadem veritas, longe tamen eſt impar autoritas*. Hæc enim intelligenda ſunt de ſcriptis SS. Patrum diſtributive, ut aiunt, & ſigillatim ſumptorum, non autem prout collective, hoc eſt, unanimi conſenſu aliquod fidei dogma tradunt velut a Chriſto & Apoſtolis profectum: tunc enim certam fidem faciunt, tanquam teſtes probatiſſimi; ejuſmodi dogma paris cum ipſa Scriptura ſacra autoritatis, quia verbum eſt divinum, perinde eſt autem quod verbum Dei ſit ſcriptum vel ore tenus traditum.

Hinc ille ipſe S. Auguſtinus eum adverſus Julianum peccati originalis propagationem demonſtrat, argumento petito ex conſtanti ſcriptorum Eccleſiaſticorum Traditione, aperte docet certum eſſe aliquod fidei dogma, eum a Catholicis Scriptoribus unanimi conſenſu traditur: *Alia ſunt*, inquit lib. 6. cap. 6. *in quibus inter ſe aliquando etiam doctiſſimi atque optimi regulæ Catholicæ defenſores ſalva fidei compage non conſonant, & alius alio de una re melius aliquid dicit & verius. Hoc autem unde nunc agimus, ad ipſa fidei pertinet fundamenta*. cap. 7. *Sed ecce quo te introduxi, conventus Sanctorum iſtorum non eſt multitudo popularis, non ſolum filii, ſed & Patres Eccleſiæ ſunt. Ex illo numero ſunt de quibus prædictum eſt: Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii, conſtitues eos principes ſuper omnem terram. Ex qua filii generati ſunt, ejus patres facti ſunt, ut docerent*. Lib. 2. cap. 9. idem adhuc clarius proſequitur. *Hoc autem probabimus*, inquit, *Catholicorum autoritate Sanctorum, qui & hoc aſſerunt, quod de originali peccato dicimus, & illa quinque eſſe vera omnia confitentur. Ac per hoc non eſt conſequens ut hoc falſum ſit, quia vera ſunt illa. Tales quippe ac tanti viri ſecundum Catholicam fidem, quæ antiquitus toto orbe diffunditur, & hoc & illa vera eſſe confirmant*. Et c. 10. *Quod invenerunt in Eccleſia, tenuerunt quod didicerunt, docuerunt; quod a patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt*.

Ex quibus manifeſte ſequitur S. Auguſtinum pro certo tenuiſſe talem eſſe SS. Patrum autoritatem, quando in aliquod fidei dogma tradendum unanimi conſenſu conſpirant, ut nemo Catholicus ſalva fide poſſit contradicere, quod nimirum Patres ſunt Eccleſiæ ut doceant, iique fideliter tradunt quod acceperunt, quibus verbis non potuit ſignificantius exprimere vim Traditionum non ſcriptarum.

Objicit Dallæus multa ratiocinia ut oſtendat certam atque indubitatam fidem non facere teſtionia SS. Patrum ſaltem ad aſtruenda quædam fidei divinæ dogmata non ſcripta: *Haud facile*, inquit, *non videtur ex ſcriptis Patrum certo exſculpere quid ii ſenſerint de omnibus capitibus quæ hodie Proteſtantes inter & Pontificios controvertuntur*.

1. Quia pauca ſunt veterum doctorum ſcripta præſertim eorum qui primo vel ſecundo vel tertio ſæculo floruerunt; unde ſequitur tempora quæ ad primam illam ætatem accedunt, a ſuſpicione corruptelarum, ſive in doctrina ſive in moribus non eſſe immunia.

2. Quia ſcripta Veterum, quæ ſuperſunt e tribus prioribus ſæculis, maximam partem agunt de rebus alieniſſimis ab iis quæ hodie circa religionem in controverſiam vocantur; hi enim pro ſuorum temporum ratione, vel impia Ethnicorum ſacra exagitant, vel portentoſa

Hæ-

Hæreticorum ſui temporis deliria confutant, vel fideles ad mortem pro Chriſti nomine perferendam hortantur; quæ quidem non ſpectant ad tranſſubſtantiationem, & ad Euchariſtiæ adorationem, vel Papæ monarchiam, aut alia capita de quibus nunc contenditur.

3. Arguit Dallæus ex eo quod difficile ſit vere certoque cognoſcere quæcunque Patrum nomine circumferuntur; quod nimirum Veteribus falſo aſcripti & ſuppoſititii nullo numero inveniuntur libri.

4. Probat Dallæus certo neminem aſſequi poſſe, quæ vera & genuina fuerit autorum ipſorum ſententia, quod illorum ſcripta prioribus & poſterioribus ſæculis, tempore, imperitia, fraudibus, immutata fuerint atque adulterata.

5. Contendit non facile eſſe Patrum ſcripta intelligere, tum propter linguas & idiotiſmos quibus utuntur, tum propter rerum explicandarum variis Rhetoricæ & Dialecticæ artificiis obſcuratam & impeditam rationem; tum quod pleraſque voces alio, quam qui nunc in uſu eſt ſenſu, uſurpent.

6. Ait nihil certi & comperti haurire poſſe lectorem ex operibus Patrum, quod plerumque in iis nullo indicio demonſtrent vel innuant quæ propria ſit eorum doctrina, quæ ſit ſequenda vel fugienda, quæ probabilis vel neceſſaria, quæ ad rem denique & quæ non.

7. Quia Patres in iiſdem fidei capitibus non ſemper perſtiterunt, ſed e quibuſdam ſuis ſententiis nonnunqoam diſceſſerunt, prout exercitatione, vel ætate eorum, maturuerat judicium.

8. Argumentatur Dallæus ex eo quod difficillimum eſt pernoſcere, non ſolum quæ fuerit unius aut plurium Patrum, ſed inſuper quæ totius Eccleſiæ fuerit doctrina, quod tamen attingere debent Catholici Romani, quia ſingulos ſeorſim Patres falli potuiſſe non negant.

Ex quibus concludit ad probandam veritatem eorum capitum, quæ hodie inter Chriſtianos vocantur in controverſiam, parum valere Veterum ſcripta.

Reſpondeo vana ac futilia eſſe hæc Dallæi argumenta, idque ex eo potiſſimum momento colligitur, quod eædem plane difficultates, quæ ad elevandam SS. Patrum auctoritatem proponit Calviniſta, ſimiliter pugnant adverſus Scripturam ſacram: poterit enim dici, uti revera dicere ſolent Hæretici, Libros Canonicos maximam partem agere de rebus alieniſſimis, ab iis quæ hodie circa religionem in controverſiam vocantur; in iis autem non reperiri Tranſſubſtantiationem, Confeſſionem auricularem, Euchariſtiæ adorationem, aut alia capita de quibus nunc contenditur. Dici poterit certo cognoſci non poſſe; quinam ſint libri vero nomine Canonici, quod multi alii inveniuntur ſuppoſititii.

Dici poterit certo neminem aſſequi poſſe, quæ vera ſit Scripturarum doctrina, cum prioribus & poſterioribus ſeculis fuerint hominum imperitia vel fraudibus immutatæ. Dici poterit facile non intelligi ſacrum textum propter linguas & idiotiſmos, & quod pleræque voces alio quam qui nunc in uſu eſt, uſurpantur. Deinque dici poterit in lectione Scripturarum nullo certo indicio demonſtrari quænam ſit auctoris ſacri mens, quid tanquam probabile ſolum, vel ut neceſſarium proponat; in iiſdem ſcriptis apertas reperiri contradictiones, & tales demum locutiones, ut nemo certo pernoſcere poſſit, an ſint metaphorice vel litteraliter accipiendæ.

Quod igitur ad ſolvendas ipſas difficultates, quæ adverſus Scripturarum auctoritatem militant, reſpondebit Dalleus, hoc ipſum ſervata proportione merito reponimus cuivis eaſdem proponenti adverſus unanimem SS. Patrum conſenſum in ſanciendis dogmatibus non ſcriptis, quæ a Chriſto vel Apoſtolis, viva voce & quaſi per manus ad ſe tranſmiſſa ſinguli teſtantur. Scilicet quanquam nonniſi pauca ad nos pervenerint Veterum ſcripta, conſtat nihilominus ex iis quæ ſuperſunt, abunde aſtrui & confirmari quæ-

Digitized by Google

quæcunque fidei Catholicæ dogmata ab Hæreticis variorum temporum fuere impugnata, ut aperte colligitur ex ſingulorum capitum enumeratione.

Deinde quod addit Dallæus plurima SS. Patribus falſo adſcripta fuiſſe opera, tum vero quæ ipſis merito adjudicantur, maxima ex parte fuiſſe corrupta: Reſpondemus ex ſcriptis SS. Patrum divinæ fidei dogmata non altrui ab Eccleſia, niſi poſtquam adhibita ſeveriori critica & maturiori judicio Epiſcopis & Catholicis doctoribus innotuit, quæ vera & genuina ſint Veterum ſcripta. Atque hæc quidem reſponſio alias ſimiliter difficultates clare diluit. Norunt enim Calviniſtæ in more poſitum eſſe apud Paſtores Romanæ communionis, ut in accurata veterum Scriptorum diſcuſſione prudenter & ſecundum veras criticæ regulas judicium ferant. Nimirum ex antecedentibus & conſequentibus ratiocinantur; ad illorum ſcopum & propoſitum attendunt, naturam cujuslibet ſcriptionis examinant, aliterque judicant de homiliis & concionibus ac de operibus dogmaticis ac polemicis. Quæ obſcuriora videntur ex clarioribus, ut par eſt, explicant, legitimis adhibitis regulis, ſenſum litteralem a metaphorico diſcernunt; uno verbo, quod præſtant Novatores ad verum & genuinum Scripturæ ſenſum attingendum, hoc idem ſummo cum ſtudio adhibemus ut ſinceram SS. Patrum doctrinam aſſequamur, cum ea cautione, ut ex iis quæ in eorum ſcriptis occurrunt, hoc ſolum tanquam divina fide credendum & a Deo revelatum, adeoque paris cum verbo Dei ſcripto auctoritatis ſtatuatur, quod vel ab omnibus Patribus, vel ſaltem a majori eorum parte aſſeritur tanquam Dei verbum, a Chriſto vel Apoſtolis profectum, & ita de fide tenendum, ut contraria doctrina ſit hæretica. Quo ſemel poſito ſtatim evaneſcunt præfatæ Dallæi objectiones.

De Eccleſia.

Animus non eſt ea omnia hoc loco diſcutere quæ ad Tractatum de Eccleſia pertinent; eam ſolum attingimus quæſtionem, quæ præſentis eſt inſtituti in qua videlicet quæritur an Eccleſia ſit judex controverſiarum fidei, adeoque merito cenſeatur vera fidei noſtræ regula.

Eccleſia ſumitur dupliciter. 1. late pro univerſo fidelium cœtu; & definiri ſolet, cœtus hominum ejuſdem fidei profeſſione & eorumdem Sacramentorum communione colligatus ſub regimine legitimorum Paſtorum, ac præſertim Summi Pontificis. Hoc ſenſu Eccleſia continet Laicos ſimul & Clericos: Cathecumeni nondum ſunt in Eccleſia, ab ea excluduntur infideles, hæretici, excommunicati & ſchiſmatici, minime vero peccatores & reprobi.

2. Eccleſia minus late ſumitur pro ſolis Paſtoribus, quorum proprium munus eſt regere & docere populum, unde cum Epiſcopi in aliquo Concilio ex omnibus orbis partibus congregati aliquam veritatem definierunt, hoc dicitur definitum ab Eccleſia: quibus poſitis, quæritur utrum Eccleſia hoc poſteriori ſenſu accepta, (Laicis enim non competit jus regendi & docendi) ſit judex controverſiarum in materia fidei.

Utrum Eccleſia ſit judex controverſiarum.

Duplex diſtinguitur judicium, unum diſcretionis quod unicuique homini competit, cujus eſt diſcernere verum a falſo, bonum a malo. Alterum eſt juriſdictionis quod conjunctam habet poteſtatem obligandi alios, unde & ortum eſt nomen Judicis.

Quæſtio hæc agitatur, non de judicio diſcretionis, ut per ſe patet, ſed de judicio juriſdictionis, & quæritur num ad dirimendas fidei controverſias quæ identidem emergunt in Eccleſia, ſuppetat hominibus judex qui poſſit certo & ju-

& judicio irreformabili illas finire, & quiſnam ſit ille judex, ad quem confugere teneantur homines. Hic porro de judicio infallibili agitur: certum eſt enim ſaltem apud Catholicos quemlibet Epiſcopum in ſua Diœceſi jure divino conſtitutum fuiſſe judicem doctrinæ fidei & morum. (Neque enim audiendi ſunt Calviniſtæ qui dicunt homines Eccleſiaſticos nonniſi nuncios eſſe, indices & adminiſtros doctrinæ, propriæ vero non eſſe judices quibus ullum dominium quicquam definiendi Deus contulerit.) Sed nos cum fateamur quemlibet Epiſcopum ſeorſim ab aliis aliquid definientem errare poſſe, imo quævis Concilia, ſi non ſunt univerſalia & totius Eccleſiæ, per poſteriora emendari poſſe; quæſtionem iſtam inſtituimus de judice cujus judicium in materia religionis ſit abſolutum & infallibile.

Contendunt Proteſtantes nullum dari judicem infallibilem ad dirimendas fidei controverſias, nullum mortalem hominem aut cœtum, judicem eſſe infallibilem, & proinde reliquum eſſe ut confugiamus ad ſolum Deum tanquam ſummum judicem in Scriptura loquentem. Supponunt unicuique in Eccleſia fideli datum fuiſſe privatum judicium, quo ſatis ſuperque ſingula fidei capita diſcernere poſſit, ſi nimirum conſulat Scripturas, ſed contendunt alium non eſſe externum judicem hominibus datum ad dirimendas fidei controverſias cum auctoritate & juriſdictione.

Quamobrem ut hunc Novatorum errorem, quo nullus eſt alius in illorum ſyſtemate pejor & damnoſior, omni ex parte diſſipemus, tria nos modo demonſtrare conabimur. 1. Scripturam ſacram non eſſe judicem controverſiarum. 2. Nec id dici poſſe de privato cujuslibet fidelis ſpiritu. 3. Penes Eccleſiam eſſe de fidei controverſiis judicare.

Prima Conclusio.

Sacra Scriptura minus bene dicitur judex controverſiarum.

Primo, quia talis debet eſſe judex qui a litigantibus poſſit adiri, eorumque rationes & querelas audire, explicare, examinare: ſed hæ veri judicis dotes non competunt Scripturæ, quæ inſtar legis poſita ſuppeditat textum, aut potius ipſa textus eſt mutus qui nihil reſpondet, nihil explicat. Si autem dicant adverſarii Scripturam non eſſe mutam, cum Spiritus ſanctus teſtetur eam loqui, dicere, clamare, Lucæ 16. *habent Moſen & Prophetas, audiant eos*. Rom. 9. *dicit Scriptura Pharaoni*. Reſpondemus abunde conſtare experientia innumeras circa fidem altercationes extare quæ per ſolam Scripturam terminari non poſſunt, tametſi loquatur, ut aiunt, quia eam ſuo modo & prout affectus eſt, quilibet interpretatur.

Secundo, quia textus ille merito non cenſetur controverſiarum judex, quem ſciunt omnes in multis ſuis partibus maxime obſcurum: judex enim clare & nitide debet ſuam ſententiam dicere, debet clare proponere quid ſit credendum; aliter diſputantium circa fidem quæſtiones non poterit decidere; ſed Scriptura ſacra in multis ſuis partibus obſcura eſt, ac in illis potiſſimum in quibus deſcribuntur dogmata, & fidei Catholicæ myſteria, tum vero in iis locis ita ſupra humanæ mentis captum poſita, & ad intelligendum difficilis, ut homines vel litteratiſſimi vix eam explicare poſſint. Quanquam nihil vitii propterea Scripturis ineſſe contendimus; obſcuritas enim ſacri textus propter quam nonniſi difficile intelligi poteſt, ſummam ejus altitudinem & mentis noſtræ imbecillitatem demonſtrat.

Tertia ratio eſt, quia docet experientia etiam eos qui Scripturam agnoſcunt controverſiarum judicem, nec ad alium externum confugere volunt, tamen con-

 tinuo,

tinuo & in infinitis fidei ſuæ capitibus inter ſe diſſidere, ita v. g. Lutherani & Calviniſtæ acriter inter ſe diſputant, utrum corpus Chriſti ſit realiter & ſubſtantialiter præſens in Euchariſtia, quanquam utrique Scripturam advocent ut judicem; Lutheranis enim contendentibus Scripturam pronunciaſſe his verbis: *Hoc eſt Corpus meum*, adeſſe ſub altari verum realiter Chriſti Corpus; reſpondent Calviniſtæ ſenſu figurato intelligenda eſſe hæc verba: in hoc præciſe ſita eſt illorum altercatio, quod apertis verbis Scriptura non determinat, utrum propoſitio illa Chriſti accipienda ſit in ſenſu litterali vel metaphorico, & ita in cæteris fidei articulis: ſignum eſt igitur ſic compoſitam eſſe Scripturam (quod utique verum eſt de multis aliis locis) ut per ſe ſola non poſſit fidei controverſias terminare, nec fungi unquam officio judicis.

Fundatur iſtud ratiocinium in natura ipſa legis & judicis eorumque diſcimine; nimirum Scriptura eſt lex & regula judicii, quæ debet cognoſci, & applicari a judice, ſed non eſt ipſa nec eſſe poteſt judex; Scriptura eſt textus qui conſulitur, & ſubjectæ materiæ, de qua judicandum eſt a judice, applicatur; judex vero conſulit ipſe & applicat regulam: quomodo enim altercationes populi in aliqua Republica terminabuntur, ſi præter leges ſcriptas non eſſent Magiſtratus & Judices? Nonne quilibet civis vellet pro nutu ad ſuam cauſam leges inflectere? Quis foret unquam litium finis?

Quarta ratio eſt, quia Scriptura ſola non continet omnia fidei Catholicæ dogmata, uti enim in libris Canonicis, aliud agnoſcendum eſt non ſcriptum paris cum illo auctoritatis: opus erit igitur alio judice præter Scripturam qui hæc dogmata non ſcripta declaret, qui ea fidelibus explicet; adeoque Scriptura non eſt judex omnium fidei controverſiarum.

Denique & accedit ratio petita ex difficultatibus quæ naſcuntur de ipſius Scripturæ auctoritate & de numero librorum Canonicorum de quibus in quavis ætate diſputatum eſt; quidam enim plura quam quatuor Evangelia admiſerunt, alii unum duntaxat. Nonnulli primis Eccleſiæ temporibus ſub ementitis Apoſtolorum nominibus falſas obtrudebant Epiſtolas; alii contra genuinas expungebant, quod & nunc non raro contingit.

Namque ab omni ratione alienum eſt quod affirmat Calvinus lib. 1. Inſtit cap. 7. tam facile diſcerni libros Canonicos a non Canonicis, quam lucem a tenebris, album a nigro, ſuave ab amaro: maniſeſte enim contradicit experientia; unde neceſſario ſequitur, Scripturam ſolam haberi non poſſe judicem omnium fidei controverſiarum, quas inter hæc non infimum tenet locum, in qua diſputatur acriter quinam ſint libri Canonici, & quomodo a non Canonicis ſecernendi.

Objicies: Nullius momenti eſt argumentum ſupra deſumptum ex obſcuritate Scripturæ, ſi cuilibet facile ſit verum Scripturæ ſenſum attingere, loca obſcuriora ex aliis clarioribus interpretando: ſed nemo non poteſt hanc uſurpare methodum ad faciliorem Scripturarum intelligentiam, uti plerumque ſolent ipſi Catholici, & non ſemel præceptum fuit a SS. Patribus, ac nominatim a ſancto Auguſtino lib. 2. de doctrina Chriſtiana, cap. 25. & 26. Igitur negari non debet Scripturam eſſe judicem controverſiarum propter illius obſcuritatem.

Nego min. Quia talis eſt ſacri textus obſcuritas, præſertim ubi ſermo eſt de veritatibus dogmaticis ac de myſteriis, ut loca obſcuriora explicari non poſſint per alia quæ videntur clariora: id conſtat maxime experientia, quantumvis enim hac methodo utantur Proteſtantes, ſpreto & rejecto quovis alio judice; & ſi vero aliunde multi inter illos in cognitione linguarum ſint verſatiſſimi, tum vero in Scriptutis indagandis perſpicaciſſimi, infeliciter tamen experiuntur ex ejuſmodi diverſorum locorum collatione legitimum ſenſum exſciri & haberi non poſſe ita ut omnes fidei controverſiæ hoc pacto

Digitized by Google

pacto dirimantur, quin potius perpetuo diſſentiunt non modo a Catholicis Romanæ communionis, ſed & inter ſe Calviniſtæ & Lutherani, ne dicam Calviniſtæ cum Calviniſtis, & Lutherani cum Lutheranis; quod quidem ita fit, quia nimirum unusquisque aliquem Scripturæ locum putet clarum, perſpicuum & intellectu facilem; alter vero illum dicat obſcurum, & inintelligibilem.

Hoc ipſum recte expreſſerat divus Petrus 2. Epiſt. cap. 3. ubi teſtatur quædam eſſe intellectu difficilia in Epiſtolis S. Pauli. *Paulus*, inquit, *ſcripſit vobis ſicut & in omnibus Epiſtolis, loquens in eis de his in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras Scripturas*. Igitur vel imperitia, vel inſtabilitate hominum plerumque corrumpuntur Scripturæ, tametſi loca habeant alia aliis clariora, nec legitimus illarum ſenſus ſine alio judice textum explicante & interpretante attingi unquam poteſt.

Inſtabis: Scriptura ubique prædicatur clara, lucida & intellectu facilis, Pſal. 118. verſ. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen ſemitis meis*. 2. Petri cap. 1. *Et habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui bene facitis attendentes quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco*. Igitur Scriptura cenſeri non debet obſcura, ac proinde non requiritur judex externus qui ejus ſenſum referat.

Reſpondeo ex priori teſtimonio colligi ſolum poſſe Scripturam ſacram ut plurimum eſſe claram & intellectu facilem, in iis præſertim locis, in quibus leges & mandata pro moribus informandis deducuntur, quod aperte ſignificat Pſaltes Regius in laudato Pſalmo, ubi nonniſi de lege & mandatis divinis loquitur: *Beati immaculati in via qui ambulant in lege Domini .... legem pone mihi Domine viam juſtificationum tuarum .... a mandatis tuis intellexi, &c.* Sed non inde ſequitur nullum eſſe Scripturæ locum obſcurum, ambiguum, & intellectu difficilem, quam multa enim paſſim occurrere abunde monſtrat ipſa lectio, & quantum ad ea explicanda opus ſit judice &, interprete ſatis probat experientia.

Alterum locum ex Epiſt. S. Petri deſumptum Hæreticis neutiquam favere probat Cornelius a Lapide. 1. Quia lucerna ſignificat lumen nocturnum. 2. Quia S. Petrus lucernam ibi appellat prophetiam, quam conſtat eſſe natura ſua obſcuram. 3. Quia ait lucernam hanc lucere in caliginoſo loco, id eſt, in nocte & tenebris hujus ſæculi. 4. Quia Scriptura eſt lucerna, ſed quæ non lucet niſi lux ejus pandatur a doctoribus Eccleſiæ, cujus rei cauſam affert S. Auguſtin. lib. 2. de doctr. Chriſt. cap. 6. *Ita*, inquit, *obſcure quædam dicta ſunt, ut denſiſſimam caliginem obducant, quod totum divinitus proviſum eſſe non dubito ad edomandam labore ſuperbiam, & intellectum a faſtidio revocandum, cui facile inveſtigata plerumque viloſcunt*.

Neque vero audiendus eſt Calvinus, qui vitio nobis vertit, quod Scripturam plerumque obſcuram eſſe dicimus, quaſi labem aliquam inde aſpergamus in ſacrum textum. Siquidem, ut jam obiter monui, oritur hujusmodi obſcuritas non ex aliquo ipſius doctrinæ ſacræ vitio, ſed potius ex ejus majeſtate atque altitudine, quam pro ingenii noſtri imbecillitate attingere non poſſumus, quod profecto ita eſſe in plerisque Scripturæ partibus nemo non experitur, quantumvis perſpicaciſſimi ſit ingenii, vel etiam ſingulari eruditione & litteratura præditus. Idque ſufficit ut Scriptura ſola non dicatur judex controverſiarum in materia fidei; talis enim judex debet clare & nitide quæſtiones & dubia explicare modo ad omnium hominum uſum accommodato.

Objicies: Conſtat Scripturam ubique dici judicem, ita ut præcipiatur expreſſe ad illam tanquam ad judicium Dei ultimum recurrere, Joan. 12. *Sermo quem locutus ſum, ille judicabit eum in noviſſimo die*. Item ad Hebræos cap. 4. verbum Dei dicitur habere vim judicandi, vel ipſas cordis cogitationes: *Vivus eſt enim ſermo*

Digitized by Google

Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens uſque ad diviſionem animæ & ſpiritus, & diſcretor cogitationum. Unde Chriſtus, Joan. 5. cap. ad Scripturam auditores remittit. *Scrutamini*, inquit, *Scripturas . . . illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me*. Et Lucæ 16. *Si Moſen & Prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexit, credent*. Unde patet majorem eſſe in Scriptura auctoritatem ad teſtificandum quam in quovis alio loquente, & judicante.

Quibus facile aſtipulantur SS. Patres, qui ſolent in difficillimis circa fidem controverſiis ad ſacram Scripturam provocare, ſic v. gr. Optatus Milevitanus lib. 5. adverſus Parmenianum cap. 3. *Vos dicitis licet, nos dicimus non licet: inter licet veſtrum & non licet noſtrum nutant, & remigant animæ populorum. Nemo vobis credat, nemo nobis, omnes contentioſi homines ſumus. Quærendi ſunt judices, ſi Chriſtiani, neutraque parte dari non poſſunt, quia ſtudiis veritas impeditur. De foris quærendus eſt judex; ſi Paganus, non poteſt Chriſtiana noſſe ſecreta; ſi Judæus, inimicus eſt Chriſtiani Baptiſmatis: ergo in terris de hac re nullum poterit reperiri judicium, de cœlo quærendus eſt judex. Sed ut quid pulſamus ad cœlum, cum habeamus hic in Evangelio Teſtamentum ... vivus cujus eſt Teſtamentum, in cœlo eſt; ergo voluntas ejus velut in Teſtamento, ſic in Evangelio requiratur*.

S. Athanaſius in Epiſt. de Synodo Ariminenſi, *Fruſtra*, inquit, *circumcurſantes prætexunt ſe ob fidem Synodum poſtulare, cum ſit divina Scriptura omnibus potentior*.

Item S. Baſilius Epiſt. 80. quæ eſt ad Euſtathium, *Stemus*, inquit, *arbitratui inſpiratæ a Deo Scripturæ, & apud quos inveniuntur dogmata divinis oraculis conſona, illis omnino veritatis adjudicetur ſententia*.

S. Ambroſius lib. 1. de fide cap. 4. eamdem inſtituit methodum. *Nolo*, inquit, *argumento credas ſancte Imperator & noſtræ diſputationi, Scripturas interrogemus, interrogemus Apoſtolos, interrogemus Prophetas, interrogemus Chriſtum. Quid multa? Patrem interrogemus, cujus honori ſtudere ſe dicunt*.

Præclare vero idem docet S. Auguſtin. in lib. 3. contra Maximinum cap. 14. hæc habet: *Nec ego Nicenum, nec tu debes Ariminenſe tanquam præjudicaturus proferre Concilium, nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris, Scripturarum auctoritatibus non quorumcumque propriis, ſed utriusque communibus teſtibus, res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione concertet*. Et lib. de unitate Eccleſiæ cap. 3. *Non audiamus hæc dico, hæc dicis, ſed audiamus hæc dicit Dominus, ſint libri Dominici, quorum auctoritati utique conſentimus, utique credimus, utique ſervimus. Ibi quæramus Eccleſiam, ibi diſcutiamus cauſam noſtram*.

Ex quibus patet id moris fuiſſe apud SS. Patres, ut in concertationibus quas habebant cum Hæreticis, non ex Conciliis ipſis generalibus, ſed ex ſola Scriptura diſcuſſionem, & ultimum judicium peterent.

Reſpondeo, ex iſtis auctoritatibus nihil omnino confici adverſus noſtram ſententiam; fatemur enim Scripturam hoc ſenſu regulam eſſe fidei noſtræ, quod per illam judicabuntur homines; vel etiam in ordine ad plures controverſias judicem eſſe ſufficientem, quando nimirum ita clara eſt, ut de illius ſenſu nemo dubitare poſſit; ſed negamus illam eſſe judicem ultimum pro omnibus controverſiis quæ naſci ut plurimum ſolent, uti & jam natæ ſunt multæ in Eccleſia, tunc enim opus eſt judice Scripturarum explicante.

Præterea non diffitemur etiam, quin Patres, quando rem habebant cum Hæreticis, ad Scripturam provocarent, velut ad communem judicem, ſed profecto quia ſentiebant illam ad ejusmodi controverſias, de quibus tunc agebatur, dirimendas per ſe ſolam ſufficere, in quem ſenſum intelligenda ſunt verba SS. Optati, Athanaſii, Baſilii & Ambroſii, ut abunde

de

Digitized by Google

de oſtendit eorum lectio. Vel idcirco nolunt ad auctoritatem Conciliorum eſſe recurrendum, quia nullo in pretio erant apud Hæreticos, quale fuit Nicenum M. quod rejiciebant Ariani, & apud quos nullius erat auctoritatis: unde S. Auguſtinus dicebat Maximino Ariano non ex Conciliis, ſed ex Scriptura dimicandum; ex quibus tamen non ſequitur exiſtimaſſe illos Patres uni Scripturæ ſtandum eſſe in omnibus controverſiis, & nunquam recurrendum ad Concilia, ut mox oſtenſuri ſumus.

Secunda Conclusio.

Nemo Chriſtianus debet agnoſcere privatum judicium ſuum tanquam fidei controverſiarum judicem.

Probatur, quia judex ultimus controverſiarum (de quo nimirum hic quæſtio eſt) debet eſſe certæ & infallibilis auctoritatis; ſed privatum hominis judicium non eſt certæ & infallibilis auctoritatis, nemo enim non experitur quanta ſit humanæ mentis fragilitas, quanta in cognoſcendo & judicando imbecillitas, præſertim cum agitur de rebus altiſſimis & abſconditiſſimis, qualia ſunt fidei noſtræ dogmata & myſteria.

Adde quod Deus expreſſe teſtatur in Scripturis privatam hominum doctrinam in materia fidei & religionis non eſſe amplectendam. Ezechiel 13. *væ Prophetis inſipientibus qui ſequuntur ſpiritum ſuum & nihil vident*. Quoniam videlicet labi & errare humanum eſt, & nemo eſt qui non ſentiat proprio experimento ſe non valere certo & infallibiliter de aliqua doctrina dijudicare.

At, inquiunt Proteſtantes, cum diximus, datum eſſe cuilibet de vera fidei doctrina judicare, & controverſias privato ingenio dirimere, hoc intelligimus eo ſenſu, quod a vero Scripturæ ſenſu vel latum unguem non recedat; unde proprie loquendo in noſtro ſyſtemate, Deus in Scriptura loquens, eſt judex doctrinæ, non homo qui hoc ſolum habet quod juxta privatam & ſingularem ſcientiam diſcernat verum a falſo.

Reſpondeo, hac ſuppoſita explicatione, verum adhuc manere, quod hæreticis exprobramus, videlicet unumquemque privata ſcientia doctrinas diſcernere & controverſiarum eſſe judicem, quia in illa hypotheſi quilibet ſibi arrogat ſcientiam & auctoritatem interpretandi Scripturas: Deus eſt, inquiunt, judex in Scriptura loquens, ſed ut recte ipſis reponimus, difficultas eſt, quo ſenſu hæc Dei verba in Scripturis ſint accipienda: Scriptura enim quandoque eſt obſcura, neque uniuscujuſque arbitrio relictum eſt legitimum illius ſenſum certo & infallibiliter definire.

Objicies: Quorumcunque eſt Scripturam legere & ſcrutari, eorum eſt ſenſum ejus indagare & definire: ſed omnium Chriſtianorum eſt Scripturam legere & ſcrutari; nemo autem prudens alio fine legit quam ut intelligat, ſiquidem Scriptura non in nudis verbis ſed in ſenſu conſiſtit: igitur.

Reſpondeo ex iſto ratiocinio colligi ſolum poſſe, penes quemlibet Chriſtianum eſſe legere, ſcrutari, & explicare Scripturam, ita ut verum illius ſenſum attingere conetur; quod quidem minime negamus, hoc ſolum dicimus neminem debere ita privato ingenio confidere Scripturas explicando ut ad alium ſupremum judicem, puta ad Eccleſiam, non putet recurrendum.

Inſtabis: Quicunque a Deo promiſſiones habent de intelligentia Scripturæ, habent & media ſeu auxilia ad id præſtandum, Deus enim non deeſt in neceſſariis: atqui Deus promiſit intelligentiam Scripturæ volentibus & laborantibus, Joan. 6. cap. *Et erunt omnes docibiles Dei*. 1. Joan. 2. *Sed vos unctionem habetis a Sancto, & noſtis omnia*. Igitur Chriſtiani ſi bona fide agant, Scripturas recte poſſunt intelligere ſine adminiculo judicis externi.

Reſpondeo nihil inferri ex iſto argumento, unum enim ex mediis a Chriſto inſtitutis ad intelligentiam Scripturæ aſſequen-

quendam, eſt obedientia fidelium erga autoritatem Eccleſiæ, hanc audire & ſequi tenentur, non autem proprio ac privato judicio acquieſcere vel in dubiis vel in quæſtionibus controverſis. Quibus adde hoc ratiocinium nihil probare, ſequeretur enim datum eſſe omnibus & ſingulis nullo excepto Scripturam intelligere, quod tamen nec ipſi pertendunt Novatores.

Atque in hunc ſenſum intelligi debent multa Scripturæ loca quæ objiciunt hæretici, in quibus nempe dicitur omnium fidelium eſſe vocem Chriſti ſummi Paſtoris noſſe & diſcernere a voce alienorum, ſpiritus docentium explorare, omnia probare, ab erroribus & ſeductoribus cavere, adeoque in omnia dogmata diligenter inquirere; nec quidquam in cauſa fidei temere & ſine judicio amplecti, uti videre eſt Act. 17. 1. Corinth. 2. 1. Theſſalon. 2. 1. Joan. 4. &c. Scilicet fatemur e re fidelium eſſe non omnem indiſcriminatim doctrinam recipere, cavere a Pſeudoprophetis, & Scripturas earumque interpretationes cum aliquo diſcretionis judicio examinare; ſed præterquamquod talis cura non committitur omnibus & ſingulis Chriſtianis, quandoquidem ejus incapaces ſunt homines de plebe & illiterati, ut omnibus perſpicuum eſt, contendimus nec illud etiam datum eſſe doctis & litteratis per excluſionem autoritatis Eccleſiæ & judicis externi infallibilis propter rationes jam non ſemel allegatas.

Tertia Conclusio.

Eccleſia eſt judex controverſiarum fidei, abſolutus ſcilicet ac infallibilis, cujus judicio ſtare ultimo debent fideles.

Probatur 1. quia talem regiminis Eccleſiaſtici formam præſcripſit ipſe Chriſtus qui voluit in omni controverſia confugiendum eſſe ad Eccleſiam, Matt. 18. c. *Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ: ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus*, Ubi licet agatur de privatis injuriis & offenſis erga fratres, tamen merito colligitur ex illis verbis adeundam eſſe Eccleſiam in Scripturarum interpretatione & controverſiis fidei.

Cap. 23. ejuſdem Evangelii Chriſtus Dominus dixit: *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, omnia ergo quæcunque dixerint vobis, ſervate & facite, ſecundum opera vero eorum nolite facere*. Certe is conſtituitur judex in controverſiis, cui præcipitur obſequium in omnibus quæ dixerit & docuerit: ſed Chriſtus præcipit turbis populi obſequium erga Sacerdotes & Pontifices in omnibus quæ docuerint: igitur ab ipſo Chriſto hi conſtituuntur judices in converſiis fidei & morum.

Hanc porro Eccleſiaſtici regiminis formam, utpote quæ omnium convenientiſſima eſt, demandaverat olim Deus pro Judæis, ut aperte colligitur ex Deuteron. cap. 17. his verbis: *Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & lepram, & judicum intra portas tuas videris verba variari, ſurge & aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus. Venieſque ad Sacerdotes Levitici generis & ad judicem qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcunque dixerint qui præſunt loco quem elegerit Dominus & docuerint te juxta legem ejus, ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram*. Ex quibus veriſimile redditur Chriſtum in novo Teſtamento non dubitaſſe eandem politiam inſtituere, qua nimirum datum ſit Paſtoribus & Epiſcopis in aliquo Concilio generali congregatis fidei controverſias ultimo judicio dirimere.

Probatur 2. ex perpetua & conſtanti Eccleſiæ praxi quæ docet omnes fideles ipſoſque Paſtores ſemper ad Concilium generale, quod univerſam repræſentat Eccleſiam, confugiſſe, ut ibi omnes fidei controverſiæ ultimo terminarentur, ni-

Digitized by Google

mirum quotieſcunque orta ſunt diſſidia inter privatos fideles, vel privatas Eccleſias; quotieſcunque exorti ſunt hæretici qui fidem Catholicam impugnarent, licet primum damnati fuiſſent vel à proprio Epiſcopo, vel ab aliquo Concilio provinciali, vel demum a ſummo Pontifice, ab iſtorum judiciis tametſi ſolemniter latis, ſemper provocatum eſt ad Eccleſiam ſeu Concilium generale, ubi reipſa hæreticorum cauſæ fuerunt iterum diſcuſſæ & ultimo finitæ, huic laudabili conſuetudini ultro conſentientibus cunctis fidelibus, nec refragante ipſo ſummo Pontifice. Sic v. g. cum ortum eſſet aliquod diſſidium Jeroſolymæ circa obſervationem legalium, hujus controverſiæ judicium non uni ex Apoſtolis nec ipſi beato Petro ſoli creditum eſt, ſed univerſo Apoſtolorum cœtui, Act. 15. *Conveneruntque Apoſtoli & ſeniores videre de verbo hoc*. Unde ſinguli Apoſtoli rem definiunt his verbis: *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis*.

Dehinc in quovis fere Chriſtianismi ſæculo cum aliqua graſſata eſt hæreſis, poſt multas altercationes, ultimo tandem & irreformabili Eccleſiæ ſeu Conciliorum generalium judicio proſcripti ſunt illi hæretici, Arius v. g. in Concilio Nicæno anno 325. Macedonius in Concilio Conſtantinopolitano anno 181. Neſtorius in Epheſino anno 431. Anno 451. Eutyches in Calcedonenſi & ita deinceps, cum videlicet ea ſemper fuerit omnium communis doctrina ſolam Eccleſiam eſſe abſolutum & infallibilem controverſiarum in fide judicem, uti expreſſe declaravit Concilium Tridentinum ſeſſ. 4. his verbis: *Præterea ad coercenda petulantia ingenia decernit* (Synodus) *ut nemo ſuæ prudentiæ innixus in rebus fidei & morum ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, ſacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum quem tenuit & tenet ſancta mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione Scripturarum ſanctarum*. Ejus eſt profecto fidei controverſias judicare, cujus eſt Scripturam ſacram interpretari, in omnibus enim controverſiis fere ſemper agitur de vero Scripturæ ſenſu, ſed ex Concilio Tridentino ad Eccleſiam pertinet judicare de vero Scripturæ ſenſu: igitur.

Probatur 3. ex SS. Patribus qui hac in parte unanimi conſenſu idem docent. Ita S. Irenæus lib. 3. cap. 2. ſcribit in quoſdam hæreticos ſui temporis, & probat ex Traditione & doctrina Præſulum poſt Apoſtolos ſinceram inveniri veritatem, *Cum autem*, inquit, *ad eam iterum Traditionem quæ eſt ab Apoſtolis, quæ per ſucceſſiones Presbyterorum in Eccleſiis cuſtoditur, provocamus eos, adverſantur Traditioni dicentes ſe non ſolum Presbiteris, ſed etiam Apoſtolis exiſtentes ſapientiores ſinceram inveniſſe veritatem*. Hæreticos eo loci redarguit Irenæus, quod putabant ſe privato judicio utentes melius interpretari Scripturas quam ſequendo Traditionem & Presbyterorum doctrinam, quem errorem æmulantur Novatores; vide etiam lib. 4. cap. 45.

Tertullianus lib. de præſcriptionibus hæreticorum docet cum hæreticis non eſſe diſputandum ex Scripturis, quin prius conſtet quæ ſit vera Eccleſia, quoniam hæc a Chriſto & Apoſtolis fundata eſt: *Ergo*, inquit cap. 9. *non ad Scripturas provocandum eſt, nec in his conſtituendum certamen in quibus aut nulla, aut incerta victoria eſt, aut par incertæ. Nam etſi non ita evaderet collatio Scripturarum, ut utramque partem ſiſteret, ordo rerum deſiderabat illud prius proponi, quod nunc ſolum diſputandum eſt. Quibus competat fides ipſa, cujus ſint Scripturæ a quo & per quos & quando & quibus ſit tradita diſciplina qua fiunt Chriſtiani, ubi enim apparuerit eſſe veritatem & diſciplinæ & fidei Chriſtianæ, illic erit veritas Scripturarum, & expoſitionum, & omnium Traditionum Chriſtianarum*. Eo loci diſerte probat Tertullianus per ſolam Eccleſiam haberi veritatem Scripturarum, expoſitionum & Traditionum,

quo

quo poſito Eccleſia eſt judex omnium controverſiarum quæ ſuboriri ſolent circa veritatem Scripturæ, ejus interpretationis & Traditionum.

Item S. Cyprianus Epiſt. 55. quæ eſt ad Cornelium præclara ſcribit pro autoritate Eccleſiæ, *Cum hæc tanta*, inquit, *ac talia, & multa alia exempla præcedant, quibus Sacerdotalis autoritas & poteſtas de divina dignatione firmatur, quales putas eſſe eos, qui Sacerdotum hoſtes & contra Eccleſiam Catholicam rebelles, nec præmonentis Domini communicatione, nec futuri judicii ultione terrentur? Neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt aut nata ſunt Schiſmata, quam inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia Sacerdos & ad tempus judex vice Chriſti cogitatur.* Et clarius Epiſtola ad Florentium Pupianum: *Nec hoc jacto*, inquit, *ſed dolens profero, cum te judicem Dei conſtituas & Chriſti qui dicit ad Apoſtolos, ac per hos ad omnes præpoſitos qui Apoſtolis vicaria ordinatione ſuccedunt: Qui audit vos me audit, & qui me audit, audit eum qui me miſit; & qui rejicit vos, me rejicit, & eum qui me miſit; Unde enim ſchiſmata & hæreſes obortæ ſunt & oriuntur, niſi dum Epiſcopus qui unus eſt & Eccleſiæ præeſt, quorumdam præſumptione contemnitur.* Quibus verbis nihil expreſſius ſcribere potuit Cyprianus ut oſtenderet Eccleſiæ Paſtores eſſe judices controverſiarum & tales a Chriſto fuiſſe conſtitutos.

S. Ambroſius Epiſt. 21. ad Valentinianum Imperatorem aſſerit ad ſolos Sacerdotes & Prælatos pertinere judicium in cauſa fidei: *At certe*, inquit, *ſi vel Scripturarum ſeriem divinarum vel vetera tempora retractemus, quis eſt qui abnuat in cauſa fidei, in cauſa, inquam, fidei Epiſcopos ſolere de Imperatoribus Chriſtianis, non Imperatores de Epiſcopis judicare?* Quid ſentiat de autoritate Concilii Nicæni generalis paulo poſt aperit his verbis: *Hoc ſcriptum eſt in Ariminenſi ſynodo, meritoque Concilium illud exhorreo, ſequens Tractatum Concilii Niceni, a quo me nec mors nec gladius poterit ſeparare.*

S. Auguſtinus lib. 1. contra Creſconium cap. 33. eos remittit ad judicium Eccleſiæ qui falli metuunt in obſcuritate quæſtionis: *Proinde quamvis hujus rei certe de Scripturis Canonicis non proferatur exemplum, earumdem tamen Scripturarum etiam in hac re a nobis tenetur veritas, cum hoc facimus quod univerſæ placuit Eccleſiæ, quam ipſarum Scripturarum commendat autoritas, ut quoniam ſancta Scriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit hujus obſcuritate quæſtionis, eandem Eccleſiam de illa conſultat, quam ſine ulla ambiguitate ſancta Scriptura demonſtrat.* Tritum eſt quod ſcribit idem S. Doctor lib. contra Epiſtolam fundamenti cap. 5. *Ego vero*, inquit, *Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoveret autoritas.* Quæ proinde judex eſt infallibilis aliarum omnium in fide controverſiarum.

Omitto hic referre innumera aliorum Patrum teſtimonia, quæ paſſim affirmarunt eos eſſe hæreticos apertos qui condemnati fuerunt ab Eccleſia, & in Conciliis generalibus, vel aliorum Patrum qui appellarunt ipſi ad Concilia totius orbis, ut S. Chryſoſtomus artibus Theophili injuſte depoſitus, vel demum qui diſerte affirmarunt non aliter verum Scripturæ ſenſum haberi tuto poſſe quam per interpretationem Eccleſiæ, ut Vincentius Lirinenſis in Commonitorio fere ad initium: *Hic forſitan*, inquit, *requirat aliquis, cum ſit perfectus Scripturarum canon, ſibique ad omnia ſatis ſuperque ſufficiat, quid opus eſt ut ei Eccleſiaſticæ intelligentiæ jungatur autoritas? Quia videlicet Scripturam ſacram pro ipſa ſua altitudine non uno eodemque ſenſu univerſi accipiunt: ſed ejuſdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur, ut pene quot homines ſunt, tot illinc ſententiæ erui poſſe videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius, &c.* Hic paucis

cis

Digitized by Google

cis duas rationes affert Vincentius propter quas Eccleſia conſtituitur a Catholicis judex controverſiarum fidei, quæque inter alias non infimum tenet locum. Prima eſt quia ut abunde probat experientia, non uno & eodem ſenſu Scriptura accipitur ab omnibus. Secunda vero, quia non infrequenter oriuntur hæreſes quæ non poſſunt efficacius extirpari quam per Eccleſiæ judicium.

Probatur demum rationibus nonnullis quas modo præcedentibus concluſionibus partim tetigimus.

1. Judex controverſiarum in fide vel eſt Eccleſia ſeu Paſtores in Concilio generali congregati, vel Scriptura ſola, vel privatus cujuslibet ſpiritus; ſed neutrum ex ipſis propugnari poteſt propter rationes mox allatas: igitur ſola Eccleſia dici poteſt judex, cujus ſcilicet judicio ſtandum ſit abſolute.

2. Quia is ſolum eſt judex controverſiarum cui omnes veri judicis proprietates competunt: ſed ſoli Eccleſiæ competunt proprietates. Nam dotes illæ ſunt quod poſſit adiri a litigantibus, eorum difficultates audire, explicare & ſolvere, quod poſſit legem ſcriptam interpretari, atque demum pervicaces damnare & plectere: ſed ſoli Eccleſiæ competunt ejusmodi dotes. Unde id muneris ſemper ſibi vendicarunt Epiſcopi in Conciliis, ubi hæreticos audierunt diſputantes, legem ſeu Scripturam interpretati ſunt cum auctoritate, & perduelles hæreticos damnarunt: igitur.

3. Quia aut Eccleſia eſt judex omnium fidei controverſiarum, cujus nempe judicio ſtandum ſit; aut nullus unquam erit finis controverſiarum. Nam ſi Eccleſiæ judicio in dirimendis controverſiis ſtandum non eſt, judicium relinquitur ipſis litigantibus poſt ſententiam a judice latam, adhuc diſceptabunt de ipſa ſententia, an recte ad Scripturæ normam vel male fuerit lata. Abſurdum conſequens quia illa hypotheſi perpetua erit diſceptatio inter partes poſt ſententiam latam, jam nulla finietur controverſia: igitur abſolute ſtandum eſt judicio Eccleſiæ in dirimendis controverſiis.

Solvuntur Objectiones.

Objicies: Penes Eccleſiam non eſt judicium controverſiarum, ſi Eccleſia non ſit infallibilis: agitur enim, ut initio diſputationis monuimus, de judice infallibili qui nunquam errare poſſit: ſed Eccleſia non eſt infallibilis.

1. Quia ab actu ad poſſe, ut ajunt, valet conſecutio: ſed Eccleſia non ſemel erravit in fide. Scilicet erravit Synagoga Judæorum quando Chriſtum declaravit impoſtorem, quæ tamen tunc temporis Eccleſiam repræſentabat. Deinde erravit Eccleſia quarto ſæculo, cum totus pene orbis Arianiſmo fuit infectus in Concilio Ariminenſi.

2. Quia expreſſe teſtatur S. Auguſtinus ipſa Concilia generalia ab aliis poſterioribus corrigi poſſe, lib. 2. de Bapt. c. 3. his verbis: *Quis neſciat ipſa Concilia quæ per ſingulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum Conciliorum autoritati quæ fiunt ex univerſo orbe Chriſtiano ſine ullis ambagibus cedere, ipſaque plenaria ſæpe priora poſterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clauſum erat, & cognoſcitur quod latebat.*

3. Quia dubium eſt perſæpe ubinam reſideat Eccleſia, in magno conflictu dubitatur quænam Epiſcoporum congregatio veram repræſentet. Nam v. g. quarto ſæculo non minore frequentia & celebritate congregata ſunt Concilia Arianorum quam Orthodoxorum, ejuſdem momenti videbatur Ariminenſe ac Nicenum: unde S. Auguſtinus lib. 3. contra Maximinum cap. 14. *Nec ego Nicenum, nec tu debes Ariminenſe tanquam præjudicaturus proferre Concilium.* Adeoque certo affirmari non poteſt Concilium generale eſſe infallibile.

4. Quia judicium humanum eſt fallibile & errori obnoxium: atqui judicium Epiſcoporum tametſi ex orbe univerſo con-

congregatorum eſt pure humanum : igitur non eſt infallibile.

Nego min. & breviter reſpondeo ad ſingula hæc momenta prout poſtulat præſentis inſtituti ratio, hanc enim materiam quæ Conciliorum generalium infallibilitatem ſpectat, plenius aliquando proſequemur Deo dante in Tractatu de Eccleſia.

Ad primum quidem dico Eccleſiam nunquam erraſſe.

Quod objicitur de Synagoga Judæorum, nihil omnino efficit, oportuit enim ut illa omnino deficeret moriente Chriſto, cum præſertim in ejus locum ſuffecta fuerit nova Chriſtianorum Eccleſia, ex ea nimirum cauſa quod evaneſcit figura accedente veritate. Prætérquamquod non dicimus Synagogam Jeroſolimitanam fuiſſe infallibilem. Nec plus virium habet quod dicitur Eccleſiam totam erraſſe in Concilio Ariminenſi: 1. quia Concilium Ariminenſe non repræſentabat univerſam Eccleſiam. 2. Quia Patres illius ſynodi non ſubſcripſerunt formulæ quæ aperte eſſet Ariana, nec animo hæretico quaſi voluerint quicquam aſtruere adverſus fidem Catholicam de Conſubſtantialitate Verbi.

Ad ſecundum quod attinet, cum ait S. Auguſtinus priora Concilia poſterioribus emendari, hoc intelligit quoad quæſtiones facti, ut ipſius verba manifeſte demonſtrant, ſubdit enim immediate: ***Cum aliquo experimento rerum aperitur quod clauſum erat.***

Ad tertium dico ſatis ſuperque innoteſcere, an aliquod Concilium ſit œcumenicum necne, tale eſt enim quando convocatum eſt, & congregatum ex omnibus univerſi orbis partibus, ibique Epiſcopi ex ſuis ſingulis provinciis veram Eccleſiæ doctrinam deferentes, libere & pacate ſuam ſententiam ferunt, præſertim ſi illius decreta poſtmodum approbentur ab univerſa Eccleſia. Hæc una eſt omnium de Concilio generali doctrina, cui nihil obeſt quod aliunde nonnullas ſuper ea re quæſtiones inter ſe movent Catholici, an v. g. convocari debeat a ſummis Pontificibus vel ab Imperatoribus, an ei præeſſe debeat Papa necne; manentibus enim ejusmodi jurgiis, utrique conſentiunt Concilium illud eſſe generale quod univerſam repræſentat Eccleſiam. Jam vero quod Maximino declarat Auguſtinus nec ex Ariminenſi nec ex Niceno eſſe diſputandum, verum erat in illa occaſione in qua nimirum ſciebat S. Doctor ſe cum aliquo Ariano rem habere qui Nicenum Concilium pluris non faciebat quam ipſe Ariminenſe, unde ait ad Scripturas eſſe confugiendum. Profecto ſummam Niceni Concilii autoritatem paulo antea fuerat profeſſus: *Hoc eſt*, inquit S. Doctor, illud *ομουσιον quod in Concilio Niceno adverſus hæreticos Arianos a Catholicis Patribus veritatis autoritate & autoritatis veritate firmatum eſt.*

Ad quartum denique dico judicium Epiſcoporum in Concilio generali congregatorum eſſe quidem judicium hominum, ſed cui præeſt Spiritus ſanctus; ita juxta ſolemnem a Deo factam promiſſionem non patiatur illos Epiſcopos, qui univerſam Chriſti Eccleſiam repræſentant, vel latum unguem derivare a fide, quod quidem ut certum fiat, non abs re erit nonnulla maximeque gravia huc arceſſere momenta ad aſtruendam hanc Eccleſiæ infallibilitatem.

Ac primo id oſtenditur ex Scripturis, Matth. 16. cap. ait Chriſtus: *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Portæ autem inferi prævalerent, ſi error prævaleret, ſi Eccleſia erraret. 1. ad Timot. 3. cap. *Eccleſia Dei vivi*, inquit Apoſtolus, *eſt columna & firmamentum veritatis*. Quibus accedunt ea Scripturæ loca in quibus legitur Epiſcopos eſſe audiendos ut magiſtros, Lucæ 10. *Qui vos audit me audit*: Hæbreorum 3. *obedite præpoſitis veſtris*. Si tenemur audire Paſtores & eorum ſequi doctrinam, illi dubio procul errare non poſſunt, præſertim cum ad

eum

eum finem ſint a Chriſto conſtituti, ut nos doceant, ne circumferamur omni vento doctrinæ.

2. Id aperte demonſtrat modus loquendi quo utuntur Apoſtoli in Concilio Jeroſolimitano ſuum decretum pronuntiantes & unde formam ſuam poſtea acceperunt Concilia generalia: *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis*, *&c.* quod evincit infallibilem eſſe eorum autoritatem quemadmodum ſi loqueretur ipſe Spiritus.

3. Quia in id conſentiunt omnes SS. Patres. Sanctus Athanaſius Epiſt. ad Epictetum miratur quomodo quidam controverſiam movebant de rebus in Concilio Niceno definitis, cum decreta Conciliorum generalium ſine errore mutari non poſſint. S. Auguſtinus ſcribit non ſemel in libris de Baptiſmo ea ſolum ex cauſa excuſandum eſſe Cyprianum, quod illa quæſtio in qua erraverat, nondum fuerat illius tempore in Concilio plenario totius orbis eliquata. S. Gregorius Nazianzenus docet oratione in Athanaſium Epiſcopos in Concilio Niceno a Spiritu ſancto fuiſſe congregatos. S. Gregorius Magnus lib. 1. Epiſt. 24. affirmat ſe quatuor prima Concilia generalia venerari non minus quam quatuor Evangelia.

4. Demum & eadem doctrina ratione ſtabilitur. Certum eſt Deum, qui hominibus non deeſt in neceſſariis, reliquiſſe aliquem ſupremum controverſiarum judicem, qui nimirum non eſt alius quam Eccleſia, ut mox oſtenſum eſt: ſed ſupremus controverſiarum Judex debet eſſe infallibilis, alioquin nihil certi eſſet in Eccleſia, ejus judicio ſtare nemo poſſet, nullus foret controverſiarum finis, perpetua forent jurgia, nulla hæreſis abſolute proſcripta; unitas & conſenſio ſervari non poſſet inter fideles: igitur Eccleſia eſt infallibilis.

Deinde ſi Eccleſia poſſet errare, poſſet quoque deficere ac penitus interire; qui enim errare poteſt in aliquo fidei articulo, poteſt etiam errare in altero, adeoque in omnibus aut præcipuis articulis; quo poſito jam nulla eſſet fides & nulla Eccleſia. Abſurdum conſequens, unde nec ipſi volunt adverſarii totam univerſalem Eccleſiam deficere poſſe, quanquam putent majorem hominum partem uno tempore profitentium fidem errare poſſe & aliquando erraſſe: igitur.

Inſtabis: Nemo neſcit interpolata plerumque & corrupta fuiſſe acta Conciliorum generalium non tantum negligentia & incuria hominum ſed & malitia impoſtorum vel hæreticorum: igitur merito dici non poſſunt infallibilia.

1. Retorqueo argumentum: Interpolatæ ſunt non ſemel Scripturæ ſacræ tum ab hæreticis, tum a Judæis, & aliquando etiam incuria Amanuenſium: ergo fidem certam non faciunt Scripturæ ſacræ: ergo verbum Dei non eſt infallibile & judex in materia fidei; hanc certe conſequentiam negabunt adverſarii.

2. Dicimus aut corrupta non fuiſſe acta Conciliorum, quæ videlicet ſervata ſunt pura & integra ab majoribus Eccleſiis, aut ſi qua in parte corrupta quandoque fuerint, eorum propterea autoritatem nec elevari nec imminui, quia facile compertum habuerunt Catholici quid immutaverint hæretici in actis Conciliorum quæ ſemper eadem cura aſſervata ſunt in Eccleſia qua & ipſius Scripturæ integritati invigilabatur.

Objicies: Ea ſententia rejicienda eſt in qua manifeſtus admittitur circulus & quidem vitioſus ſed in iſta ſententia quæ probat Eccleſiam eſſe judicem infallibilem omnium fidei controverſiarum, quo nimirum pacto illud fuit ſuperius probatum, manifeſtus admittitur circulus & quidem vitioſus. Nam in hoc ſyſtemate probatur Scripturam eſſe autenticam & verbum Dei ex autoritate Eccleſiæ hanc veritatem declarantis, & viciſſim probatur Eccleſiam eſſe infallibilem ex ipſius Scripturæ teſtimonio & autoritate: ſed in hoc vitioſus committitur circulus, unum enim probatur per aliud, & viciſſim, ut per ſe patet: igitur.

Nego min. & dico in hoc noſtro ſy-

ſtemate & modo ratiocinandi, quo probamus Eccleſiam ex Scriptura & Scripturam ex Eccleſia, non committi circulum vitioſum. Siquidem tunc ſolum circulus eſt vitioſus in ratiocinio, quando ad aliquid probandum aſſumitur aliud, non aliunde notum quam per illud ipſum ad quod probandum aſſumitur; quod certe obſervandum maxime eſt & fundamenti loco habendum in iſta difficultate, cujus reſolutio unice pendet ex genuina notione circuli vitioſi. Ratio vero hujus definitionis qua volumus explicari debere vitioſum circulum eſt, quia in vero ratiocinio ignotum debet probari ex notiori; demonſtratio enim fit ex noto, hoc eſt, ex medio notiori: quando ad aliquid probandum aſſumitur aliud non aliunde notum quam per illud ipſum ad quod probandum aſſumitur, tunc diſcurſus non fit ex notiori, tunc non probatur ignotum ex noto ſeu ex medio notiori: igitur tunc circulus eſt vitioſus.

Jam vero in ſyſtemate Catholicorum, qui probant Scripturam ex Eccleſiæ teſtimonio, probatio non fit per Eccleſiam, ut non aliunde notam quam ex Scriptura, quin potius per hiſtoriam conſtat nobis cœtum illum Paſtorum, quem dicimus Eccleſiam, per continuam Traditionem idem docere quod Chriſtus & Apoſtoli docuerunt, adeoque falli non poſſe, cum veram Scripturam diſcernunt a falſa, cum libros canonicos a non canonicis diſtinguunt. Equidem cum poſtea Scripturam legunt fideles, ibique aſſertam reperiunt infallibilitatem Eccleſiæ, in ea fide obfirmantur qua credant Eccleſiæ autoritatem ex Scriptura; ſed quam tamen Eccleſiæ autoritatem aliunde notam habebant, ut mox dixi, quo fit ut probetur Scriptura per Eccleſiam, & Eccleſia per Scripturam, nec tamen vitioſus committatur circulus.

Eſto quod in hac parte incidamus in circulum materialem, ut ajunt, quia unum probatur per aliud & viciſſim, Eccleſia per Scripturam, & Scriptura per Eccleſiam, ſed non incidimus in circulum formalem & vitioſum, quod ſufficit. Neque enim omnis circulus eſt vitioſus in ratiocinio, ſolent enim Philoſophi probare naturam rei cujusvis per ejus proprietates, & proprietates ejusdem per naturam; probatur v.g. hominem eſſe rationalem, quia docilis eſt & diſciplinarum capax, & viciſſim probatur illum eſſe diſciplinæ capacem, quia rationalis eſt.

Altera ratio cur in allato noſtro ſyſtemate non incidimus in circulum vitioſum, eſt, quia in hac quæſtione rem habemus cum Calviniſtis, qui illam Scripturæ partem agnoſcunt veram & canonicam, ex qua aſſerimus autoritatem & infallibilitatem Eccleſiæ; unde nihil neceſſe eſt, ut ea Scripturæ pars dicatur nobis nota per Eccleſiam, quo poſito formaretur circulus; ſatis eſt ſi argumentum ſic adornemus ex Scriptura ab illis conceſſa, non fit enim circulus vitioſus ſi ad aliquid probandum utimur medio ab adverſariis conceſſo, ut per ſe patet: igitur quando Catholici probant Eccleſiæ autoritatem ex Scriptura non committunt circulum vitioſum.

Tertio perperam Calviniſtas nobis hoc in negotio vitioſum circulum objicere, ex eo maxime colligitur, quod majori cum fundamento idem ipſis exprobraretur; volunt enim non alium eſſe fidei noſtræ & controverſiarum judicem quam Scripturam ut privato cujuslibet ſpiritu & interiori Spiritus ſancti perſuaſione cognitum: ſed apertum eſt manifeſte illos hoc modo committere vitioſum circulum, probant enim Scripturam eſſe divinam & fide dignam, quia ex interiori Spiritus ſancti perſuaſione hoc compertum habent; ſi vero quæratur ab illis quomodo certo norunt interiorem illam perſuaſionem eſſe Spiritus ſancti, & tali privatæ inſpirationi fidem eſſe adhibendam, reſpondent ſe id noſſe ex Scriptura, puta ex iſtis locis: *Spiritualis autem judicat omnia*, 1. Cor. 2. *Non neceſſe habetis ut quiſquam doceat vos, ſed unctio ejus docet vos de omnibus*. In quo certe manifeſtum admittunt circulum. Pe-

Digitized by Google

De reſolutione Fidei.

RESolutio fidei, nimirum actus fidei, de quo nunc agitur, nihil aliud eſt quam diſcuſſio principiorum illius fidei actus, hoc eſt rationum, propter quas creditur aliqua veritas; ut cum v. g. dicimus de actu fidei quo credimus tres eſſe in Deo perſonas, ideo nos credere, quia Deus id revelavit in Scripturis, ideo vero nos credere hoc revelatum in Scripturis, quia illud teſtatur Eccleſia, & ideo demum nos teſtimonio Eccleſiæ fidem adhibere, quia cœtus eſt hominum divina protectione adjutus; tunc, inquam, fit analyſis & reſolutio fidei.

Jam vero cum quæritur a Theologis in quid ultimo reſolvatur fides noſtra, facilis eſt reſponſio, ſi conſulantur quæ mox a nobis dicta ſunt in præcedenti diſſertatione; idem eſt enim ac ſi quæratur quinam ſit ultimus & abſolutus controverſiarum judex; unde Calviniſtæ dicunt fidem divinam reſolvi ultimo in Scripturam, quia non aliam fidei regulam admittunt præter Scripturam privato ſpiritu & interna perſuaſione cognitam. Nos vero dicimus fidem noſtram ultimo reſolvi in autoritatem Eccleſiæ, quia revera hoc tantum credimus de fide & a Deo revelatum quod Eccleſia credendum proponit.

Quin & aliquo modo fides Catholica ulterius reſolvitur in motiva credibilitatis, quia ſi ulterius quæratur ratio, propter quam Eccleſiæ fidei dogmata proponenti acquieſcimus, reſpondemus ideo nos Eccleſiæ fidem adhibere, quia per motiva credibilitatis maximam ſibi conciliavit autoritatem. Sed in motiva credibilitatis, ut ajunt Theologi, nonniſi diſpoſitive reſolvitur fides.

De Habitu Fidei.

NOnnulla hic veniunt examinanda: Primo, utrum fides ſit habitus. Secundo, utrum ſit virtus. Tertio, utrum ſit virtus infuſa & ſupernaturalis. Quarto denique, utrum ſit una in omnibus fidelibus. Quid circa illa capita ſentiamus, totidem concluſionibus breviter aperiemus.

PRIMA CONCLUSIO.

Datur fides habitualis, ſeu fides eſt habitus.

1°. Id conſtat ex celebri hoc Apoſtoli teſtimonio 1. ad Corinth. cap. 13. *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc*. Quod quidem intelligi non poteſt de actibus tranſitoriis; adeoque de habitibus qui permanent, uti oſtendimus ſub initio hujuſce Tractatus.

2. Idem aperte colligitur ex Concilio Viennenſi, cujus etiam verba ibidem retulimus, & ubi diſerte aſſeritur in Baptiſmo infundi habitus gratiæ & virtutum, quo nomine virtutum intelliguntur ſaltem virtutes Theologicæ, ac proinde fides.

3. Ex Concilio Tridentino quod expreſſe definivit ſeſſ. 6. cap. 7. hominem in juſtificatione accipere dona multa, & nominatim *fidem, ſpem & charitatem*. Loquitur ibi Concilium de infantibus peræque ac de adultis; ſed reſpectu infantium hoc non poteſt intelligi de actibus fidei, ſpei & charitatis, ut per ſe patet: igitur admitti debet fides habitualis. Conſulantur inſuper SS. Patrum teſtimonia, quæ loco mox citato a nobis adducta ſunt.

Objicies: Inutile omnino ac ſupervacaneum videtur admittere fidei habitum, ſi qua enim ex cauſa daretur ejuſmodi habitus, maxime ut intellectus redderetur potens ad credendum; neque enim, ut vulgo docent Theologi, habitus ſupernaturales dant agere facilius, ſed ſimpliciter facultatibus quibus inſunt: ſed habitus fidei inutilis eſt ut intellectus reddatur potens ad credendum; ſatis eſt enim ad credendum, ſi intellectus per motiva credibilitatis determinatus gratiam Dei actualem accipiat in tempore & data occaſione, uti contingit quando adultus ante Baptiſmum credit fidei noſtræ myſteria quæ ipſi

ipſi ad Baptiſmum properanti credenda proponuntur : igitur inutilis eſt fidei habitus.

Reſpondeo inutilem non eſſe fidei habitum, quia licet actus fidei abſolute elici poſſint ab homine fidei habitum non habente, tamen connaturalius eſt ut actus fiant per habitum, cum univerſim loquendo connaturalius operetur facultas per adjutorium ſibi intrinſecum quod eatenus fit ipſi quaſi proprium, quam per aliquid extrinſecum & ſibi aſſiſtens. Præterquamquod hanc ſententiam amplectimur ratione minus ducti quam allatarum ſupra autoritatum vi & pondere.

Secunda Conclusio.

Fides eſt virtus, quod quidem intelligitur de virtute intellectuali.

Ratio eſt, quia ille habitus eſt virtus qui per ſe & ex natura ſua determinatus eſt ad operationem rectam : ſed habitus fidei per ſe & ex natura ſua determinatus eſt ad rectam operationem, nimirum ad aſſentiendum veritati : ergo eſt virtus. Unde, ut jam monuimus, ſub nomine virtutis deſignatur a Concilio Viennenſi.

Objicies : Saltem fides informis, hoc eſt fides quæ a charitate ſejuncta eſt, minus bene dicitur virtus : igitur fides in genere non eſt virtus.

Diſt. ant. Minus bene dicitur virtus moralis, C. intellectualis, N. Nimirum cum fides informis non perficiat voluntatem, nec reddat hominem in genere moris meliorem, eam non dicimus virtutem moralem ; ſed quia perficit intellectum quem de ſe inclinat ad aſſentiendum vero, eamobrem recte dicitur virtus intellectualis, & ſic facile conciliantur opiniones Theologorum, qui hac in parte diſſentiunt, aliis affirmantibus fidem eſſe virtutem, aliis negantibus.

Tertia Conclusio.

Fides eſt virtus infuſa & ſupernaturalis.

1. Id manifeſte oſtendunt decreta Conciliorum Viennenſis & Tridentini jam citata, ex quibus patet fidem eſſe in infantibus uti & gratiam ſanctificantem, & alia dona ; ſed fides actualis dubio procul non eſt in infantibus, nec fides proinde habitualis per actus repetitos acquiſita ; ſupereſt igitur, ut illud intelligatur de fide infuſa.

Deinde fides eſt ſupernaturalis, nam ille habitus eſt ſupernaturalis qui per ſe & ex natura ſua hominem ordinat ad finem ſupernaturalem ; ſed fides per ſe & ex natura ſua hominem ordinat ad finem ſupernaturalem puta ad viſionem intuitivam Dei. 2. Ille habitus eſt ſupernaturalis, cujus actus exerceri non poſſunt ſine divino gratiæ auxilio, quod ſupernaturale eſt : ſed actus fidei exerceri non poſſunt ſine gratia Dei, quæ eſſentialiter ſupernaturalis eſt : igitur.

Objicies : Ille habitus non eſt natura ſua infuſus & ſupernaturalis, qui per laborem & ſcientiam producitur : ſed fides per laborem & ſcientiam producitur ex S. Auguſtino, lib. 14. de Trinit. cap. 1. ſic loquente, *Huic ſcientiæ tribuens, ſed illud tantummodo quo fides ſaluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur, qua ſcientia non pollent fideles plurimi ; quamvis polleant ipſa fide plurimum*. Igitur fides non eſt infuſa & ſupernaturalis.

Diſt. min. Fides gignitur per ſcientiam diſpoſitive & præparatorie ; C. per ſe formaliter ; N. Nimirum recte dicitur Apoſtolos fidem ubique terrarum diſſeminaſſe, in cordibus hominum procreaſſe, genuiſſe, hoc ſenſu quod & per miracula quæ patrabant, & per Evangelii prædicationem ſic homines diſponebant, ut iſti per Baptiſmum acciperent fidem, Deo illam infundente ; non autem eo ſenſu, quod per prædicationem Apoſtolorum immediate producta fuerit fides in cordibus hominum.

Nec

Nec alia fuit mens S. Auguſtini cum ait per ſcientiam gigni fidem, defendi & roborari, ut per ſe ſatis intelligitur ex verbis quæ objiciuntur.

Quarta Conclusio.

Fides eſt una, hoc eſt unus ſpecie habitus.

Probatur ex Apoſtolo id teſtante verbis expreſſis ad Epheſ. 4. cap. *Unus Dominus, una Fides*. Quod potiſſimum intelligitur ratione objecti & credendorum, quia fides Catholica certum articulorum numerum complectitur quos tenentur ſinguli fideles credere vel implicite vel explicite, quemadmodum unum eundemque adorant Chriſtum ſervatorem, *unus Chriſtus;* & uno eodemque initiantur Baptiſmate, *unum Baptiſma*.

Deinde habitus fidei eſt unus ſpetie in ſingulis fidelibus, ſi ſumatur nimirum ratione objecti formalis, a quo ſpecificantur habitus, quantumvis diverſa habeat objecta materialia: nam objectum formale fidei, ut diximus, eſt revelatio Dei; ſed eadem eſt revelatio Dei pro omnibus revelatis tametſi ſpecie & natura diverſis, quæ quidem ſingula credimus propter idem motivum, nempe quia Deus ea revelavit: igitur habitus fidei eſt unus.

De Actu Fidei.

Actus fidei duplex, internus & externus. Utrumque deſignavit Apoſtolus ad Rom. cap. 10. *Corde*, inquit, *creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*. Actus internus dicitur ſimpliciter actus fidei, externus vero dicitur fidei Confeſſio. De utroque paucis agendum eſt.

De Actu interno Fidei.

Actus fidei eſt firmus aſſenſus qui præbetur rebus a Deo revelatis propter ipſam Dei revelationem; nam actu credere idem eſt ac aſſentiri, & credere per fidem divinam eſt credere veritates a Deo revelatas propter ipſam revelationem, quod utique jam abunde explicuimus, cum diximus objectum materiale fidei eſſe res omnes a Deo revelatas, objectum vero formale eſſe ipſam Dei revelationem. Quippe actus definiri ſolet per ſuum objectum materiale quod tenet locum generis, & per ſuum objectum formale quod tenet locum differentiæ.

His præſuppoſitis quæ diximus de fide in genere & quæ maxime ſpectant fidei actum, nonnulla ſuperſunt examinanda: 1. Utrum actus fidei per ſe præciſe conſideratus ſit ſupernaturalis. 2. An judicium præcedens ſit quoque ſupernaturale. 3. An actus fidei ſit diſcurſivus. 4. An ſit liber & meritorius. 5. An ſit certus & certior qualibet ſcientia naturali. 6. An ſit neceſſarius neceſſitate medii.

Utrum Actus Fidei ſit ſupernaturalis.

Actus fidei per ſe & præciſe ſpectatus, eſt ille quo intellectus firmiter aſſentitur rebus a Deo revelatis propter ipſam Dei revelationem, ſed talis actus multos habet alios tum mentis tum voluntatis ſibi conjunctos.

1. Enim antequam eliciatur actus fidei, intellectus percipit ea quæ credenda ſunt & quæ credenda proponuntur ab Eccleſia, in qua perceptione ſimplici non conſiſtit fides, quia cogitare præciſe non eſt credere, aliter infideles & Athei qui percipiunt fidei noſtræ myſteria, cenſerentur ea credere, quod tamen nemo dixerit. Unde ex S. Auguſtino lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 2. credere nihil aliud eſt quam cum aſſentione cogitare, *Quanquam*, inquit, *& ipſum credere nihil aliud eſt quam cum aſſentione cogitare, non enim omnis qui cogitat credit, cum multi cogitent ut credant*.

2. Huic ſimplici credendorum perceptioni ſuccedit actus mentis quo attenditur ad motiva credibilitatis, quæ videli-

delicet objectum fidei noſtræ reddunt prudenter credibile, eſt enim, uti jam oſtendimus, ab omni ratione alienum, ut credatur quod prius non fuit cognitum ut credibile; quod tamen intelligendum eſt de actibus fidei prout exercentur ordinarie, nam fieri nonnunquam poſſet ut eliceretur actus fidei circa objectum fidei propoſitum ante ullam cognitionem motivorum credibilitatis.

3. Et actui fidei prærequiritur actus voluntatis, quo nimirum voluntas pia motione affecta intellectum determinat ad aſſentiendum revelationi, hoc eſt objecto fidei revelato: quibus præmiſſis actibus tandem intellectus noſter ſuum præbet aſſenſum, in quo quidem aſſenſu formaliter & præciſe conſiſtit Actus fidei, de quo quæritur an ſit entitative ſupernaturalis.

CONCLUSIO.

Actus fidei eſt ſupernaturalis.

Primo, quia Actus cenſentur eſſe in eodem ordine in quo ſunt eorum habitus a quibus nempe procedunt: ſed habitus fidei, ut modo oſtenſum eſt, eſt ſupernaturalis & ex natura ſua infuſus qui per actuum repetitionem acquiri non poteſt: igitur & actus.

Secundo, ille actus eſt ſupernaturalis qui ſine gratia Dei & cum ſolis facultatibus ab homine exerceri non poteſt: ſed talis eſt actus fidei, ut ex profeſſo docuimus in Tractatu noſtro de Gratia pag. 125. dicente nimirum Apoſtolo 2. ad Corinſ. cap. 3. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid a nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Et ad Epheſ. cap. 2. *Gratia ſalvati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt.* Ergo.

Tertio, quia ille actus eſt entitative ſupernaturalis qui per ſe & ex natura ſua ordinatur ad vitam æternam, qui ad Deum tendit anquam autorem gloriæ; ex illo enim ordine judicatur potiſſimum actus ſupernaturalitas; quo fit ut actus dicantur naturales per quos Deus attingitur velut autor naturæ: ſed actus fidei per ſe & ex natura ſua tendit in Deum tanquam autorem gloriæ; per fidem enim quæ prima eſt gratia & ſalutis noſtræ fundamentum, cognoſcimus Deum & ipſi adhæreſcimus prout eſt remunerator noſter in altera vita: igitur actus fidei eſt ſupernaturalis.

Objicies: Sic loquitur Concilium Tridentinum, ſeſſ. 6. cap. 3. ut manifeſte ſupponat hominem credere poſſe ſine gratia. Docet enim hominem ſine Dei gratia non poſſe credere ſicut oportet, quemadmodum nec poteſt ſperare & diligere, quaſi dixerit Concilium hominem gratia deſtitutum non poſſe credere actu meritorio, quod ſupponit illum poſſe credere aliter, adeoque omnem fidei actum non eſſe ſupernaturalem.

Diſt. ant. Manifeſte ſupponit hominem credere poſſe ſine gratia, actu fidei naturalis, C. actu fidei ſupernaturalis, N. Cum itaque Patres Tridentini ſupponunt hominem credere poſſe ſine Dei gratia, ad ſummum id intelligitur de fide naturali & humana, quæ non eſt vera fides Catholica; ſed minime ſupponunt dari fidem divinam & Theologicam, cujus actus exerceantur ſine gratia, & quæ non ſit entitative ſupernaturalis.

Jam vero licet actus fidei præciſe & formaliter ſpectatus, conſiſtat in aſſenſu mentis, non in actu voluntatis imperantis, ut ſupra oſtenſum eſt, cum de ſubjecto fidei diſſeruimus, certum eſt tamen ejuſmodi actum voluntatis, aſſenſum intellectui præcipientis ad actum fidei maxime pertinere; eſt enim cauſa ejus proxima, proxime applicans & determinans intellectum ad aſſentiendum.

Quod ſi quæratur utrum illa volitio ſit ſupernaturalis.

Reſpondeo affirmative. Siquidem omnis bona voluntas ad actum ſupernaturalem & meritorium ordinata, merito cenſetur ſupernaturalis: ſed ejuſmodi actus voluntatis actum fidei imperantis, eſt bona voluntas quæ ad actum ſupernatura-

tura-

Digitized by Google

turalem & meritorium, puta ad actum fidei ordinatur, igitur & ipſa eſt ſupernaturalis. Unde S. Auguſtinus lib. de prædeſtinat. Sanctorum cap. 5. hæc habet, *Credere vel non credere eſt in arbitrio voluntatis humanæ, ſed præparatur voluntas a Domino*. Et Concil. Arauſicanum II. can. 5. *Si quis ſicut argumentum, ita etiam initium fidei, ipſumque credulitatis affectum quo in eum credimus qui juſtificat impium, non per gratiæ donum, ſed naturaliter nobis ineſſe dicit, Apoſtolicis dogmatibus adverſarius approbatur beato Paulo dicente: Confidimus, quia qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet uſque in diem Domini noſtri Jeſu Chriſti*.

An judicium præcedens actum Fidei ſit ſupernaturale.

Agitur de illo mentis judicio quo nimirum judicatur objectum fidei eſſe certo credibile, antequam reipſa credatur. Tale judicium eſſe admittendum ex eo maxime colligitur, quod voluntas non poteſt legitime imperare intellectui ut alicui veritati aſſentiatur, niſi præceſſerit rectum judicium de illius credibilitate, quod quidem judicium, ut jam diximus, formatur propter evidentia credibilitatis motiva & argumenta. Quæritur autem utrum illud judicium ſit naturalis vel ſupernaturalis ordinis. Qua in re in duas ſententias plane oppoſitas iverunt Theologi.

CONCLUSIO.

Judicium de objecti fidei credibilitate eſt mere naturale.

1. Quia illud judicium eſt naturale, cujus objectum eſt mere naturale & aliunde per medium pure naturale formatur: ſed iſtud judicium de quo quæſtio eſt, & habet objectum naturale & per viam mere naturalem formatur; habet quidem objectum naturale puta evidentiam credibilitatis quæ reſultat ex motivis credibilitatis, quæ quidem evidentia naturalis eſt ordinis, ut per ſe patet, deinde illud judicium formatur per viam naturalem, nimirum examinando motiva credibilitatis, quæ totidem ſunt argumenta e penu rationis deprompta, ut ex ſingulorum enumeratione colligere eſt: igitur judicium præcedens actum fidei quo judicatur objectum fidei eſſe certo credibile, eſt naturalis ordinis.

2. Si actus ille judicii eſſet ſupernaturalis, fides non eſſet prima gratia, non eſſet initium & fundamentum ſalutis; non eſſet enim primus actus ſupernaturalis & infuſus: abſurdum conſequens; quia hæc eſt communis SS. Patrum & Theologorum doctrina, fidem eſſe primum, ut ita dicam, ſupernaturalitatis gradum, ab fide initium ſumere vitam ſupernaturalem: igitur.

Objicies: Licet propoſitis motivis credibilitatis poſſit intellectus ſolis naturæ viribus elicere judicium de credibilitate articulorum fidei, tamen non æſtimat illa motiva digne, &, ſicut oportet, niſi gratia divina adjuvetur, conſentanee ad illa S. Pauli verba 2. Corint. 3. *Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid a nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*. Unde Concil. Tridentin. ſeſſ. 6. can. 3. definit, Neminem poſſe credere ſicut oportet ſine præveniente Spiritus ſancti gratia: igitur judicium de credibilitate objecti fidei divinæ eſt ſupernaturale.

Nego ant. Si enim propoſitis ſemel motivis credibilitatis poteſt intellectus noſter ſolis naturæ viribus elicere judicium de credibilitate articulorum fidei, certe & ſine gratia ſibique ſoli relictus, æſtimare poterit illa eadem motiva digne & ſicut oportet; hæc enim ambo plane unum idemque ſunt, ut ſatis intelligatur ex intelligentia terminorum. Revera licet propoſitis motivis poſſit intellectus ſolis naturæ viribus judicare myſteria fidei noſtræ eſſe certo credibilia, idcirco tamen non poteſt ea credere actu fidei divinæ, neque etiam velle credere ſine gra-

gratiæ divinæ beneficio, ſed judicare poteſt illa eſſe certo credibilia. Unde in eo peccant infideles quod ſpretis motivis credibilitatis propter quæ judicant, judicio ſcilicet humano & naturali, fidei noſtræ objecta eſſe credibilia, ea tamen non credant. Nam fatentibus adverſariis ſufficit ad peccatum infidelitatis, quod infideles agant contra judicium naturale de credibilitate propoſita.

Nec moror quod objicitur ex S. Paulo & Concilio Tridentino, hæ enim ſententiæ intelligi debent de fide ipſa, hoc eſt, de aſſenſu quo credimus, & de voluntate credendi quæ cum ipſo fidei aſſenſu conjungitur, non autem de judicio quo æſtimantur motiva credibilitatis antequam eliciatur fidei actus. Certe ſi naturaliter acciperentur hæc S. Pauli verba, ſequeretur & ſupernaturalem eſſe primam ac ſimplicem myſteriorum perceptionem quæ reperitur etiam in infidelibus, hæc enim ſimplex cognitio eſt cogitatio, quod tamen nec pertendunt adverſarii.

Inſtabis: Judicium illud dirigit actum volendi credere qui entitative ſupernaturalis eſt, ut ſupra dictum eſt: igitur neceſſe eſt ut ſit in ſubſtantia ſupernaturale, ſicut ipſe voluntatis actus.

Nego conſeq. Argumentum enim iſtud nimis probat, ſcilicet probat omnes actus intellectus qui præcedunt actum fidei, eſſe ſupernaturales, his enim actibus quos Theologi appellant præambula fidei, dirigitur & fundatur fidei actus, quales ſunt v. g. cognitio exiſtentiæ Dei, ejus veracitatis, perſuaſio de revelatione a Deo facta, perceptio objectorum fidei, quæ quidem ratione naturali nobis innoteſcunt antequam primus eliciatur fidei divinæ actus, & cujusmodi etiam debet eſſe judicium quo fidei objecta judicantur certo credibilia.

Utrum Actus Fidei ſit diſcurſivus.

PArtem affirmantem tenent nonnulli Theologi non infimæ notæ, Gabriel Biel in 3. diſt. 23. quæſt. 2. art. 2. Almainus ibidem quæſt. 3. tum & Vaſquez 1. parte diſput. 1. cap. 3. tametſi pro parte oppoſita ſtet major Theologorum numerus, ſi nimirum actus fidei per ſe formaliter & præciſe conſideretur.

CONCLUSIO.

Actus fidei per ſe & preciſe ſpectatus non eſt diſcurſivus.

Probatur, quia actus fidei per ſe & præciſe ſpectatus, nihil eſt aliud quam aſſenſus datus propoſitioni a Deo revelatæ: ſed ejuſmodi actus non eſt diſcurſivus, non eſt diſcurſus ſed merum judicium quo mens noſtra propoſitioni revelatæ adhæret, non propter bonitatem alicujus illationis & conſequentiæ, ſed propter veritatem ipſius propoſitionis cognitæ: igitur aſſenſus fidei non eſt diſcurſivus. Quamobrem in eo aſſenſum Theologicum ab aſſenſu fidei diſtinguere ſolent Theologi, quod ille vel ex una vel ex duabus præmiſſis de fide neceſſario & eſſentialiter eliciatur diſcurrendo, hic vero immediate & citra ullum diſcurſum verſetur circa propoſitionem aliquam a Deo revelatam. Unde etiam contingit, ut vera fides admittatur in ruſticis, in quibus nullum eſt ratiocinium, nullus ſyllogiſmus, cujus quidem veritatis ratio eſt quia non credunt niſi impetu & inſpiratione divina.

Objicies: Actus fidei divinæ generatur per diſcurſum proxime & immediate deductum ex Dei teſtimonio in hunc modum: Quicquid Deus dixit verum eſt; ſed Deus dixit ſe eſſe trinum; ergo Deus eſt trinus: igitur actus fidei eſt diſcurſivus.

Diſt. ant. Generatur per diſcurſum, ita ut ejuſmodi diſcurſus præſupponantur, ut aiunt, præparatorie ad fidei aſſenſum, C. ita ut pertineant ad ipſum fidei aſſenſum præciſe conſideratum, quo modo hic ſumi debet, N. Majori explicatione non indiget reſponſio.

Inſtabis: In omni ſyllogiſmo diſcurſi-

Digitized by Google

vo idem etiam occurrit, nimirum præmiſſas quæ influunt in concluſiones ſe habere ſolum ut quaſdam propoſitiones præſuppoſitas ad ipſam concluſionem, nec ad illam præciſe ſpectatam pertinere, in hoc enim v. g. ſyllogiſmo: Omnis homo eſt animal, ſed Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt animal; duæ præmiſſæ præſupponuntur ſolum ad concluſionem, & aſſenſus qui præbetur concluſioni, verſatur ſolum circa ipſam concluſionem non circa præmiſſas: atqui tamen aſſenſus iſte qui præbetur concluſioni eſt diſcurſivus: ergo licet diſcurſus præſupponantur tantum veluti præparatorie ad aſſenſum fidei, tamen aſſenſus fidei eſt diſcurſivus.

Nego ant. & dico in ſyllogiſmo diſcurſivo non modo premiſſas ſe habere ut propoſitiones præſuppoſitas & præparatorias ad aſſenſum, ſed & vere pertinere ad ipſum aſſenſum qui præbetur concluſioni, quia tunc intellectus aſſentitur concluſioni vi bonæ illationis tanquam motivi & objecti formalis, in quo præciſe conſiſtit diſcurſus quatenus diſcurſus eſt. Verum aſſenſus fidei per ſe & præciſe eſt aſſenſus tantum enuntiativus, quo judicatur ſimpliciter rem ita eſſe, v. g. Deum eſſe trinum. Revera per actum fidei creditur Deum eſſe trinum, quia Deus revelavit; unde revelatio Dei eſt objectum formale & motivum aſſentiendi, ſed iſte modus aſſentiendi non eſt propterea diſcurſivus; quia non habet pro motivo & ratione formali bonitatem formæ ſyllogiſticæ, in quo conſiſtit diſcurſus formalis & artificioſus, de quo hic quæſtio eſt.

Inſtabis: Diſcurrere eſt inferre unum ex alio: ſed in aſſenſu fidei unum infertur ex alio: nam v. g. judicatur Deum eſſe trinum in perſonis, quia id revelatum eſt in Scripturis; igitur aſſenſus fidei eſt diſcurſivus.

Diſt. maj. Inferre unum ex alio per regulas artis ſyllogiſticæ, & ita ut illatio bona ſit ratio motiva determinans ad præbendum aſſenſum, C. inferre unum ex alio præciſe, N. Nimirum diſcurrere non eſt unum per aliud cognoſcere qualitercunque, aliter quando res aliqua ſignificata per ſuum ſignum cognoſceretur, quod fit plerumque per ſimplicem apprehenſionem, aut ſaltem per judicium, ibi eſſet diſcurſus, quod tamen falſum eſt, niſi id intelligatur de diſcurſu virtuali & implicito.

Objicies: Aſſenſus fidei humanæ eſt diſcurſivus; ergo & aſſenſus fidei divinæ, par enim utrobique ratio eſſe debet utriuſque fidei hac in parte.

Nego ant. & dico aſſenſum fidei humanæ per ſe etiam & præciſe ſpectatum, non eſſe diſcurſivum propter rationes mox adductas.

Objicies: Hæbreorum 11. cap. fides dicitur *argumentum non apparentium*. Argumentum autem vel eſt diſcurſus vel ſaltem ad diſcurſum pertinet: igitur aſſenſus fidei eſt diſurſivus.

Reſpondeo *argumentum* eo loci ſignificare convictionem, certam perſuaſionem, quia reipſa per fidem convicti firmiter adhæremus veritatibus obſcure cognitis, qualia ſunt myſteria quæ vitam alteram ſpectant.

Utrum aſſenſus Fidei ſit liber & meritorius.

DUo continentur ſub iſto titulo, primum an actus fidei ſit liber, ſecundum an ſit meritorius.

Dico primo actum fidei eſſe liberum; nam ille actus eſt liber, videlicet tanquam actus imperatus, qui a propria facultate exercetur voluntate ipſum imperante; ſed aſſenſus fidei ab intellectu exercetur voluntate ipſum imperante, ut enim ſupra dictum eſt, omnem fidei actum præcedit pius credulitatis affectus, pia voluntatis motio per quam determinatur intellectus ad aſſentiendum. Illa autem voluntatis motio eſt maxime libera, quia propoſitis motivis credibilitatis quibus objectum fidei redditur certo credibile, liberum eſt & indifferens voluntati applicare intellectum ad credendum

dum vel ad non credendum; unde contingit quandoque, ut iiſdem propoſitis rationibus ad credendum, homo credat, quandoque vero ut non credat: igitur aſſenſus fidei eſt voluntarius & liber.

Dico ſecundo actum fidei eſſe meritorium, id enim non ſemel inſinuant Scripturæ, S. Paulus Hebræorum cap. 11. loquens de antiquis Patriarchis, Samſon, Jephte, David, Samuel, &c. ſic habet, *Qui per fidem vicerunt regna operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones*, quod aperte probat fidem eſſe meritoriam.

Et ratio eſt quia eſt actus voluntarius, liber & honeſtus, actus virtutis eſt meritorius: ſed aſſenſus fidei eſt liber & honeſtus etiam honeſtate ſupernaturali, quia præcipitur a voluntate in ordine ad vitam æternam, & ex motivo ſupernaturali agente beneficio gratiæ divinæ: igitur actus fidei eſt meritorius.

Quæres utrum actus fidei ſit meritorius de congruo tantum vel de condigno.

Reſpondeo 1. duplicem eſſe fidem, aliam informem quæ ſejuncta eſt a charitate, aliam eſſe formatam quæ conjuncta eſt cum charitate. Item meritum duplex eſt, aliud de congruo, aliud de condigno.

Reſpondeo 2. actum fidei formatæ meritorium eſſe de condigno, ſiquidem actus virtutis qui exercetur ab homine juſto, meritorius eſt de condigno, Scripturæ enim pollicentur futurum ut Deum diligentibus omnia cooperentur in bonum, ſed actus fidei formatæ eſt actus virtutis qui exercetur ab homine juſto, ut per ſe patet: igitur.

Deinde actus fidei informis meritorius non eſt de condigno, uti docet Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 8. his verbis: *Cum vero Apoſtolus dicit juſtificari hominem per fidem & gratis, ea verba in eo ſenſu intelligenda ſunt quem perpetuus Eccleſiæ Catholicæ conſenſus tenuit & expreſſit, ut ſcilicet per fidem ideo juſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum & radix omnis juſtificationis ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & ad filiorum ejus conſortium pervenire, gratis autem juſtificari ideo dicamur, quia nihil eorum quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides ſive opera ipſam juſtificationis gratiam promeretur*. Quod & aperte ſignificaverat Apoſtolus 1. Corint. 13. his verbis: *Si charitatem non habuero nihil ſum, nihil mihi prodeſt*.

Actus tamen fidei non formatæ per charitatem meritorius eſt de congruo, quatenus congruum eſt ut Deus homini credenti, & per gratiæ auxilium conanti gratiam uberiorem conferat per quam juſtificetur: *Si quis dixerit*, inquit S. Auguſtinus Epiſt. 186. cap. 3. *quod gratiam bene operandi fides mereatur, negare non poſſumus, imo vero gratiſſime confitemur. Hanc enim fidem volumus habeant qua impetrent charitatem quæ ſola vere bene operatur*.

Utrum Actus Fidei ſit certior qualibet ſcientia naturali.

Triplex vulgo diſtinguitur certitudo, uti jam explicuimus in prolegomenis Theologiæ, nimirum certitudo objecti, motivi ſeu medii, & ſubjecti.

Certitudo objecti eſt neceſſitas rei quæ aliter & aliter eſſe non poteſt. Certitudo medii ſeu motivi eſt vis rationum & momentorum quæ aſſumuntur ad rem aliquam aſſerendam. Certitudo ſubjecti eſt firma adhæſio mentis circa aliquam propoſitionem. Quæ quidem certitudo ſola vere & proprie loquendo hoc nomine donari debet. Quia certitudo objecti non tam certitudo eſt quam neceſſitas rei, objectum minus bene dicitur certum, ſed melius dicitur neceſſarium & immutabile. Quemadmodum nec certitudinis nomen proprie tribui debet mediis ſeu rationibus quæ uſurpantur ad aliquid probandum, quia generatim loquendo ſolus dicitur proprie certus qui certo aliquid cognoſcit, ita ut certitudo ſe teneat ex parte cognoſcentis. Verum quia

quia loquendum ut multi, hanc adhibemus diviſionem in præſenti quæſtione.

Cum quærimus autem utrum actus fidei certior ſit qualibet ſcientia naturali, agitur non ſolum de ſcientiis integris, quales ſunt v. g. Phyſica, Metaphyſica, Mathematica, &c. ſed de quolibet actu cognitionis naturalis, & de iis etiam per quos cognoſcuntur res evidentiſſimæ ut exiſtentia Dei & prima ac clariſſima Metaphyſicæ principia; communis eſt enim Theologorum opinio hæc omnia tametſi indubitata, certiſſima, evidentiſſima, minus certo cognoſci, adeoque minus certa quam quæ per fidem divinam ſupernaturalem cognoſcuntur. His poſitis, hæc ſtatuimus circa triplicem illam certitudinem.

Dico primum aſſenſum fidei non eſſe certiorem quolibet alio ſcientiæ naturalis aſſenſu, ſi ſermo ſit de certitudine objectiva, quia fides & ſcientia plerumque idem habent objectum, adeoque eandem objecti certitudinem. Nam Philoſophia qua parte tractat de rebus metaphyſicis, habet pro objecto exiſtentiam Dei & immortalitatem animæ rationalis, quæ quidem ambo ſunt utrobique certa in ſe, hoc eſt neceſſaria & immutabilia cum a Philoſopho demonſtrative cognoſcuntur, &. cum a Chriſtiano fide divina creduntur: igitur actus fidei non eſt certior actu ſcientiæ naturalis, ſi agatur de certitudine objecti.

Dico 2. actum fidei divinæ eſſe certiorem certitudine medii actu cujuslibet ſcientiæ naturalis. Siquidem certitudo medii petitur ex rationibus & momentis quæ determinant intellectum ad aſſentiendum veritatibus propoſitis: ſed momenta quæ determinant intellectum ad aſſentiendum propoſitionibus fidei fortiora ſunt quam ea quæ determinant ad aſſentiendum veritatibus philoſophicis: nam momenta fidei divinæ ſunt revelatio immediata Dei, ejus veritas & autoritas Eccleſiæ teſtificantis illas fidei propoſitiones fuiſſe reipſa a Deo revelatas: ſed ejuſmodi momenta ſunt ad perſuadendum fortiora quam evidentia ipſa, quæ ratio eſt motiva & determinans ad aſſentiendum veritatibus & objectis ſcientiarum naturalium; uti enim ſæpiſſime docet experientia, falluntur homines in iis aſſerendis propoſitionibus quæ apparent evidentiſſimæ; quod uni videtur evidens, alteri videtur obſcurum & inevidens: igitur ſi ſermo ſit de certitudine motivi & medii, actus fidei divinæ certior eſt actu quolibet ſcientiæ naturalis, hoc eſt vis motivi propter quod aſſentimur propoſitionibus divinæ fidei, ejuſmodi eſt, ut minor ſit ratio de illis dubitandi, quam de aliis quibuſcunque naturali lumine cognoſcendis.

Dico tertio, ſi quæſtio inſtituatur de certitudine ſubjecti, hoc eſt de actuali mentis adhæſione, actum fidei divinæ quandoque minus certum eſſe quam actum ſcientiæ naturalis, per accidens tamen & defectu ipſius ſubjecti. Siquidem non raro contingit ut cum aliqua dubitatione & mentis hæſitatione ſaltem quæ præcedat aſſenſum, eliciantur actus fidei, nimirum propter obſcuritatem vel ſublimitatem myſteriorum quæ credenda proponuntur, vel propter difficultatem expendendi motiva credibilitatis quæ objectum fidei reddunt prudenter credibile, unde fit ut dubitationem ſaltem involuntariam admittat aſſenſus fidei divinæ: ſed nulla omnino dubitatio nequidem involuntaria comitatur aut præcedit aſſenſum qui præbetur veritatibus ſcientiarum naturalium, præſertim ſi agatur de primis illis propoſitionibus quæ evidentiſſimæ ſunt & a nemine unquam revocatæ ſunt in dubium; quis enim unquam hæſitavit, cum ipſi propoſitum eſt credere, *Totum eſſe majus ſua parte; Deum ecce veracem, &c.*

Addidi id ſe habere per accidens & defectu ipſius ſubjecti, hoc eſt hominis credentis, quod aſſenſus fidei ſit quandoque minus certus quam aſſenſus qui præbetur veritatibus naturaliter cognitis; objectum enim fidei, habitus fidei, gratia divina & aliæ ejuſmodi cauſæ quæ influunt in aſſenſum fidei, de ſe & ex natu-

natura ſua poſtulant ut actus fidei ſit certiſſimus, nec patiuntur ut fidelis ullam in credendo experiatur difficultatem & dubitationem.

Dico quarto aſſenſum fidei certiorem eſſe quolibet aſſenſu ſcientiæ naturalis etiam certitudine ſubjecti, quatenus homo certius ac firmius per fidem adhæret huic propoſitioni, *Deus eſt trinus in perſonis*, quam iſti per ratiocinium, *Totum eſt majus ſua parte;* quando ſcilicet vera & Catholica fide credit: nam de illa certitudine judicandum eſt ex cauſis quæ in illum influunt, & ex effectibus quos producit: ſed habita ratione cauſarum a quibus oritur aſſenſus fidei & effectuum quos producit, certe illius certitudo major cenſeri debet quam certitudo cujuſpiam actus cognitionis naturalis.

Ac primo ſi ſumatur ex parte cauſæ; ſiquidem aſſenſus fidei elicitur circa objectum tale neceſſario quale proponitur juxta teſtimonium Dei qui nec fallere poteſt nec falli; elicitur perpenſis antea motivis credibilitatis ad perſuadendum & pondere & numero validiſſimis; elicitur denique ope & impulſu Spiritus ſancti intellectum illuminantis & voluntatem determinantis ad illum corroborandum, ut ſcilicet firmiter adhæreat veritatibus a Deo revelatis, quæ quidem non occurrunt in cognitionibus naturalium ſcientiarum: igitur aſſenſus fidei, ſi ſumatur ex parte cauſæ, certior eſt quolibet actu cognitionis naturalis.

Secundo certior eſt, ſi ratio habeatur effectuum quos producit: videmus enim fideles divina fide ſemel imbutos tam firmiter veritatibus a Deo revelatis adhærere, ut vel altiſſima & obſcuriſſima religionis noſtræ myſteria, qualia ſunt v. g. Trinitas & Incarnatio, credant & profiteantur evidentiæ ipſi quam maxime derogantes. Præterea docet experientia homines propter fidem ſæviſſima ſupplicia vel etiam mortem amplecti, nunquam vero propter ullam cognitionem naturalem; igitur aſſenſus fidei certior eſt quacunque alia cognitione ſcientiarum naturalium. Objectiones in hanc ſententiam dilutas habes loco citato in Prolegomenis.

Utrum Actus Fidei ſit neceſſarius, & quomodo.

NOtandum primo, duplicem eſſe neceſſitatem, unam quæ eſt medii, alteram quæ eſt præcepti. Illud dicitur neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem, ſine quo, quacumque de cauſa omiſſo, ſalus nunquam haberi poteſt, quomodo Baptiſmus Chriſti in nova lege neceſſarius eſt in re vel in voto ſuſceptus. Illud vero dicitur neceſſarium neceſſitate præcepti quod in vim legis latæ adimplendum eſt, ſi tamen obtemperandi facultas ſuppetat, quomodo actualis Euchariſtiæ communio neceſſaria eſt.

Notandum ſecundo, Fidem in præſenti quæſtione duplicem diſtingui, videlicet implicitam & explicitam. Fides implicita eſt ea qua creditur articulus fidei non clare & diſtincte in ſeipſo, ſed in alio in quo videtur contentus, ſic v. g. olim in veteri lege Chriſtum & Incarnationem implicite credere cenſebantur Judæi, quatenus credebant ſperabantque venturum aliquando Mediatorem & Salvatorem. Fides explicita eſt ea qua clare & diſtincte objectum fidei per ſe ipſum immediate creditur, qualis eſt actus fidei, per quam nunc credimus Trinitatem & Incarnationem.

Neque vero hæc diviſio vanum & futile eſt Theologorum commentum, ut inſulſe ipſis exprobrat Calvinus lib. 3. Inſtit. cap. 2. ſect. 2. his verbis, *commentum fabricarunt implicitæ fidei, quo nomine craſſiſſimam ignorantiam ornantes, miſeræ plebeculæ cum magna pernicie illudunt, hoccine credere eſt nihil intelligere, modo ſenſum tuum obedienter Eccleſiæ ſubmittas? Non in ignoratione, ſed in cognitione ſita eſt fides, atque illa quidem non Dei modo, ſed divinæ voluntatis. Nec enim ex eo ſalutem conſequimur, vel quod parati ſumus amplecti quicquid Eccleſia*

ecleſia præſcripſerit. Certe quid ſibi velit hac in ſententia Calvinus vix intelligitur; fateatur enim neceſſe eſt nonniſi implicitam plurimorum articulorum fidem eſſe in indoctis, qui proinde, juxta Calvini principia, non haberent veram fidem, nec ſalutem unquam conſequi poſſent.

Notandum tertio, multos Theologos duplicem admittere ſalutem, primam videlicet & ſecundam, primæ ſalutis nomen tribuunt juſtificationi conſentanee ad hæc S. Pauli verba Epheſ. 2. *Gratia eſtis ſalvati per fidem*. Ad Titum 3. cap. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*.

Per ſecundam vero ſalutem intelligunt vitam æternam, ſeu beatitudinem, juxta Marci ultimo, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*. Qua poſita diviſione contendunt fidem quandoque neceſſariam eſſe ad ſecundam ſalutem, non ad primam.

Verum uſus invaluit in ſcholis ut inquiratur an fides ſit neceſſaria ad juſtificationem & ad ſalutem, per ſalutem nihil aliud intelligendo quam vitam æternam. Quibus poſitis hæc veniunt in controverſiam circa fidei neceſſitatem. 1. Quæritur utrum fides explicita in Chriſtum ſit neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem. 2. Utrum eadem fides ſit neceſſaria ad juſtificationem. 3. Utrum ante Chriſti tempora fides Incarnationis fuerit neceſſaria, & quomodo. 4. Utrum aliorum etiam fidei articulorum fides explicita ſit neceſſaria ad ſalutem.

Utrum Fides explicita in Chriſtum neceſſaria ſit neceſſitate medii ad ſalutem.

Quæſtio eſt, utrum in præſenti ſtatu, videlicet poſt Incarnationem Verbi divini per actum & facta Evangelii promulgatione fides explicita in Chriſtum Salvatorem ſic neceſſaria ſit neceſſitate medii ad ſalutem, ut nemo unquam ſine tali fide ſalvari poſſit, ac proinde plane fictitium ſit, quod nonnulli exiſtimarunt Gentiles ad æternam beatitudinem pervenire poſſe, ſi per totam vitam præcepta legis naturalis implerint, unumque Deum autorem naturæ abſque ulla Chriſti cognitione & fide agnoſcerent.

Intelligitur controverſia de fide explicita, non de ea quidem per quam explicite credantur omnia quæ ad Chriſtum, & ſingula Incarnationis myſteria, quanquam exiſtiment multi Theologi neminem diſpenſari a clara & diſtincta cognitione & fide Nativitatis, Paſſionis, Reſurrectionis, & aliorum myſteriorum quæ in Symbolo commemorantur, ſed de illa ſaltem fide, per quam expreſſe creditur in Chriſtum Redemptorem & Salvatorem noſtrum, quæ quidem fides eſt ſupernaturalis & infuſa cognitione Dei ut autoris diſtincta.

Conclusio.

Fides explicita Chriſti Domini Salvatoris eſt neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem.

Probatur 1. ex Scripturis quæ ad hanc veritatem aſtruendam innumera & diſertiſſima teſtimonia nobis ſuppeditant.

Ac 1. extant multa in quibus fidei in Criſtum promittitur ſalus & vita æterna, Joan. 3. cap. hæc expreſſe leguntur: *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam*. Et paulo poſt: *Sic Deus dilexit mundum ut unigenitum filium ſuum daret, ut quicunque credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam*. Joan. 10. Chriſtus ait; *Ego ſum oſtium. Per me ſi quis introierit, ſalvabitur, & ingredietur & egredietur & paſcua inveniet*. Oſtium illud non cognoverunt Ethnici, adeoque ipſis jure applicatur quod pronunciat ibidem Chriſtus verſu primo, *Qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro*. In quem ſenſum ait, Joan. 14. *Ego ſum via, veritas & vita*. Item Marci 16. cap. *Prædicate Evangelium omni creatu-*

ræ:

Digitized by Google

ta: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit. Ubi fidem exigit peræque ac Baptiſmum. Joan. 6. *Qui credit in me, habet vitam æternam*. Cap. 11. *Omnis qui vivit & credit in me, non morietur in æternum*. Idem ſexcenties docet Apoſtolus, Roman. 1. *Non erubeſco Evangelium. Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti*. Ejuſdem Epiſtol. cap. 3. *Juſtitiam Dei per fidem Jeſu Chriſti in omnes & ſuper omnes qui credunt in eum. Non enim eſt diſtinctio, omnes enim peccaverunt & egent gloria Dei, juſtificati gratis per gratiam ipſius per Redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu, quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ ..... juſtificans eum qui eſt ex fide Jeſu Chriſti*. Ubi Apoſtolus ſignificat hanc fidem in Chriſtum omnibus ſine diſtinctione neceſſariam. Quibus adde quod legitur Actorum 15. cap. *Deus*, inquit S. Petrus, *teſtimonium perhibuit dans illis*, gentibus, *Spiritum ſanctum ſicut & nobis, & nihil diſcrevit inter nos & illos fide purificans corda illorum:* Fide nimirum in Jeſum Chriſtum crucifixum.

2. Et proferri poſſunt innumera Scripturæ loca in quibus aperte negatur neminem aliter ſalvari poſſe quam per fidem Evangelicam, per fidem Chriſti, Marci 16. cap. *Qui non crediderit condemnabitur*. Joan. 1. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine ejus*. Et cap. 3. *Qui credit in eum*, Chriſtum, *non judicatur, qui autem non credit jam judicatus eſt*. 1. Corint. 3. *Ut ſapiens Architectus fundamentum poſui* prædicando Chriſtum, *fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt quod eſt Chriſtus Jeſus*. Galat. 2. *Scientes quod non juſtificatur homo ex operibus legis niſi per fidem Jeſu Chriſti, & nos in Chriſto Jeſu credimus, ut juſtificemur ex fide Chriſti*. Cap. 5. *Nam in Chriſto Jeſu, neque Circumciſio aliquid valet neque præputium, ſed fides quæ per charitatem operatur*. 1. Timoth. 2. *Unus eſt enim Deus Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Deus*. Quod & expreſſe habetur Actor. 4. *Non eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos ſalvos fieri*. Qui quidem locus, ſi vel unicus extaret in Scripturis, rem noſtram abunde conficeret.

3. Quædam alia adjungimus quæ docent fidem in Chriſtum Dominum peræque neceſſariam ad ſalutem ac fidem in Deum, Joan. 14. *Creditis in Deum & in me credite*. Et cap. 17. *Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*. Ex quibus revincuntur adverſarii qui putant fidem in Deum ſine ulla Chriſti Redemptoris cognitione & fide ſufficere ad ſalutem.

Probatur 2. ex SS. Patribus quorum una eſt ſuper iſto dogmate conſtans doctrina. In re tanti momenti moleſtum non erit quædam eorum ſelectiora teſtimonia exſcribere.

S. Ignatius Epiſt. ad Philadelph. loquens de Prophetis veteris Teſtamenti, ſic habet: *Hi Evangelium annuntiaverunt, in Chriſtum ſperaverunt; in quem cum credidiſſent, ſalvati ſunt in unitate Jeſu Chriſti, & annumerati in communis ſpei Evangelio*.

S. Irenæus lib. 3. cap. 20. *Oſtendimus enim quia non tunc cœpit Filius Dei exiſtens ſemper apud Patrem, ſed quando incarnatus eſt & homo factus longam hominum expoſitionem in ſeipſo recapitulavit, in compendio nobis ſalutem præſtans, ut quod perdideramus in Adam, id eſt, ſecundum imaginem & ſimilitudinem eſſe Dei, hoc in Chriſto Jeſu reciperemus. Quia enim non erat poſſibile eum hominem, qui ſemel victus fuerat & eliſus per inobedientiam replaſmare & obtinere bravium victoriæ: iterum autem impoſſibile erat, ut ſalutem perciperet qui ſub peccato ceciderat, utraque operatus eſt filius verbum Dei exiſtens, a Patre deſcendens & incarnatus & uſque ad mortem deſcendens & diſpenſatio-*

Digitized by Google

tionem conſummans ſalutis noſtræ, cui credere nos indubitate adhortans iterum dicit: Ne dixeris in corde tuo, quis aſcendet in cœlum..... quoniam ſi confitearis in ore tuo Dominum Jeſum & credideris in corde tuo quoniam Deus excitavit illum a mortuis, ſalvus eris. Lib. 4. cap. 5. *Non enim prohibebat eos credere in filium Dei ſed hortabatur dicens, non aliter ſalvari homines ab antiqua ſerpentis plaga niſi credant in eum qui ſecundum ſimilitudinem carnis peccati in ligno martyrii exaltatur a terra*. Et cap. 45. *Ea propter Dominum in ea quæ ſunt ſub terra deſcendiſſe evangeliſantem & illis adventum ſuum, remiſſam peccatorum, exiſtentem his qui credunt in eum*.

Item Origenes in Epiſt. ad Rom. lib. 2. cap. 3. *Sed &*, inquit, *Apoſtoli Chriſti & ipſe vas electionis Paulus ex Judæis & ex Circunciſione veniens amplius habebat his quos docebat ex gentibus per omnem modum, credita namque eis ſunt eloquia Dei. Sed & hoc ipſum quod dicit, quia credita ſunt illis eloquia Dei, conſiderandum eſt quia non dixerit litteras eſſe creditas, ſed eloquia Dei. Unde via nobis datur intelligendi, quod his qui legunt & non intelligunt, & qui legunt & non credunt, littera ſola ſit credita, illa de qua dicit Apoſtolus, quia littera occidit. Eloquia autem Dei illis ſunt credita qui intelligentes & credentes his quæ Moyſes ſcripſit credunt & Chriſto, ſicut & Dominus dicit, quod ſi credidiſſetis & ipſi Moyſi, crederetis utique & mihi, de me enim ille ſcripſit*.

Inſigne eſt quod ſcripſit S. Cyprianus Epiſt. 73. quæ eſt ad Jubaianum, ubi oſtendit plane inutile eſſe, fidem habere in Deum Patrem niſi credatur in Filium. *Ut Judæis qui jactitant ſe Patrem habere, oſtenderetur quod nihil eis Pater profuturus eſſet, niſi in filium crederent quem ille miſiſſet. Nam qui Deum Patrem Creatorem ſciebant, filium quoque Chriſtum ſcire debebant, ne ſibi blandirentur & plauderent de ſolo Patre ſine filii ejus agnitione qui & dicebat: Nemo venit ad Patrem niſi per me. Duorum autem cognitionem eſſe quæ ſalvet, idem ipſe manifeſtat dicens, Hæc eſt vita æterna ut cognoſcant te ſolum & verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*.

S. Cyrillus Jeroſolymitanus Catech. 5. remittit ad Symbolum quia ſine illa fide non ſalvarentur homines: *Cum enim*, inquit, *non omnes poſſint Scripturas legere, & alios quidem inſcitia, alios vero occupatio quædam impedit a cognitione, ne ob inſcitiam animam perdas, in paucis verſibus univerſam fidei doctrinam comprehendimus, quod in ipſa lectione meminiſſe vos volo, & apud vos ipſos ſtudioſe recolere*.

Idem docet S. Hilarius multis in locis, lib. 3. de Trinitate ſic loquitur, *in quo tandem æternitas vitæ eſt? Ut cognoſcant te ſolum Deum verum & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.... vita eſt verum Deum noſſe, ſed nudum hoc non facit ad vitam, quid ergo? Connectitur, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*. Et ſimiliter lib. 9. *Hæc eſt autem vita æterna ut ſciant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. Vitæ æternæ fidem vel loqui o hæretice diſce vel credere, & ſepara a Deo Chriſtum, ſi potes, a Patre filium, a Deo vero ſuper omnia Deum, a ſolo unum. Unus enim Dominus eſt Jeſus Chriſtus. Si vita æterna eſt in Deum ſolum verum crediſſe, ſed non ſine Chriſto, ſeparato Chriſto a ſolo Deo vero in confeſſione ſolius Dei veri vita æterna non capitur*.

S. Athanaſius vel quivis alius Symboli Athanaſiani autor, fidei in Chriſtum neceſſitatem præclare commendat his verbis: *Quicunque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt ut teneat Catholicam fidem quam niſi quiſque integram inviolatamque ſervaverit abſque dubio in æternum peribit*. Quis autem dixerit gentiles nulla fide & cognitione Chriſti Salvatoris imbutos, fidem tenere Catholicam atque integram, qui videlicet Deum cognoſcunt ſolummodo ut autorem naturæ.

His aſtipulatur S. Ambroſius Epiſt. 75. num. 5. *Qui non habet fidem*, inquit, *non habet ſpiritus libertatem, ubi autem nulla libertas, nulla gratia; ubi nulla gratia, nulla adoptio; ubi nulla adoptio, nulla ſucceſſio*. Lib. 1. Offic. cap. 28. *Ecce*, inquit, *mitto lapidem in fundamentum Sion, id eſt, Chriſtum in fundamentum Eccleſiæ, fides enim omnium Chriſtus*.

S. Hieronymus lib. 4. in Ezechiel. cap. 13. quæſtionem aperte definit: *Quorum*, inquit, *fuit Pythagoras & Zeno, Indorum Brachmanes & Gymnoſophiſtæ qui ob victus continentiam miraculum ſui gentibus tribuunt. Sed quia Chriſti non habent condimentum: vanus eſt eorum labor & peritura ædificatio*. In cap. 1. ad Epheſios: *Non ante*, inquit, *filii eſſe poſſumus, niſi filii Jeſu Chriſti fidem & intelligentiam recipiamus*. Et in caput 3. idem docet his verbis: *Fiduciæ atque acceſſus ad Deum principium & origo fides in Chriſtum eſt*.

Sequitur S. Auguſtinus quo nemo apertius hanc Catholicam doctrinam profeſſus eſt innumeris in locis, libro de peccato originali cap. 24. ſic loquitur: *In cauſa duorum hominum quorum per unum venundati ſumus ſub peccato, per alterum redimimur a peccatis, per unum præcipitati ſumus in mortem, per alterum liberamur ad vitam quorum ille nos in ſe perdidit faciendo voluntatem ſuam non ejus a quo factus eſt, iſte nos in ſe ſalvos fecit non faciendo voluntatem ſuam ſed ejus a quo miſſus eſt. In horum ergo duorum hominum cauſa proprie fides Chriſtiana conſiſtit. Unus eſt enim Deus & unus Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus. Quoniam non eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos ſalvos fieri, & in illo definivit Deus fidem omnibus ſuſcitans illum a mortuis. Itaque ſine ipſa fide, hoc eſt, ſine fide hujus Mediatoris Dei & hominum hominis Chriſti Jeſu, ſine fide, inquam Reſurrectionis ejus quam Deus omnibus definivit, quæ utique ſine Incarnatione ejus ac morte non poteſt veraciter credi, ſine fide ergo Incarnationes & Mortis & Reſurrectionis Chriſti nec antiquos juſtos ut juſti eſſent a peccatis potuiſſe mundari & Dei gratia juſtificari veritas Chriſtiana non dubitat*. Et Epiſt. 102. *Itaque ab exordio generis humani quicunque in eum crediderunt, eumque utcunque intellexerunt & ſecundum ejus præcepta pie & juſte vixerunt quandolibet & ubilibet fuerint, per eum procul dubio ſalvi facti ſunt. Sicut enim nos in eum credimus & apud Patrem manentem, & qui in carne jam venerit, ſic credebant in eum antiqui, & apud Patrem manentem & in carne venturum. Nec quia pro temporum varietate nunc factum annunciatur quod tunc futurum prænunciabatur, ideo fides ipſa variata, vel ſalus ipſa diverſa non eſt...... proinde aliis tunc nominibus & ſignis, aliis autem nunc, & prius occultius poſtea manifeſtius; & prius a paucioribus, poſtea a pluribus una tamen eademque religio vera ſignificatur & obſervatur*.

Idem non obſcurre docent ejus diſcipuli Proſper & Fulgentius. Ille quidem in Pſal. 104. his verbis, *Quia & ipſi veteres, in ea videbant fide quæ erat noviſſimis temporibus revelanda. Ab initio enim omnibus Sanctis nonniſi in Chriſto juſtificatio fuit*. Hic vero lib. de Incarnatione & Gratia cap. 25. *Juſtificari*, inquit, *ſine fide neminem poſſe idem beatus Apoſtolus oſtendit dicens, ſcientes autem quod non juſtificabitur homo ex operibus legis niſi per fidem Jeſu Chriſti &c. Quis audeat illas id hoc loco gentes accipere, quas conſtat non eſſe juſtificatas ex fide, cum ipſe teſtetur Apoſtolus, quia omne quod non eſt ex fide peccatum eſt, & quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, quod ſi Abraham ex fide juſtificatum eſſe conſtat, cujus ſemini gentes Apoſtolus promiſſas eſſe commemorat, quiſquis aſſerit gentes non ex fide ſed ex operibus juſtificari poſſe, quid ſupereſt niſi ut eas neget ad Abrahæ ſemen, cui gentes promiſſæ ſunt, pertinere?*

De-

Digitized by Google

Dehinc S. Bernardus, Tractatu de Baptiſmo olim Epiſt. 77. cap. 3. ſic loquitur: *Denique Beda aperte docet aperta omnia omnibus nequaquam fuiſſe quæ de Chriſto futura erant, unum, inquit, idemque Dominicæ crucis trophæum prius Prophetæ & Moiſes quam Apoſtoli noverant & prædicabant, ſed Prophetæ hoc aliquoties figuratis velatiſque ſermonibus, Apoſtoli autem Apoſtolorumque ſucceſſores patefacta luce Evangelii ſemper aperte prædicabant, ita ut nunc omnis populus Chriſtianus ſcire & confiteri debeat fidem quam eo tempore admodum & perfectiores quique noverunt, quamvis omnis populus Dei etiam tunc ejuſdem myſteria fidei in legalibus ceremoniis typice portaret.*

Hanc SS. Patrum unanimem ſententiam ſecuti ſunt, & palam docuere Theologi ſcholaſtici ducibus Magiſtro Sententiarum & S. Thoma; horum nonnulla teſtimonia referre ſatis erit. Magiſter Sententiarum ſic differit lib. 3. diſt. 25. *Sed quæritur, cum ſine fide Mediatoris, antiquis non fuerit ſalus, ſicut nec modernis, utrum oportuerit illos credere omnia illa de Mediatore quæ nunc credimus, quibuſdam videtur quod ſufficeret illis quatuor tantum credere, ſcilicet Nativitatem, Mortem, Reſurrectionem, Adventum ad judicium, quod ex præmiſſis verbis Auguſtini colligunt, ubi iſta quatuor poſuit. Aliis autem videtur habita fide Trinitatis, id de myſterio Incarnationis fidei ſuffeciſſe, ut Dei filius crederetur naſciturus de homine & judicaturus.* Ubi docet Petrus Lombardus hanc fuiſſe omnium Theologorum ſententiam: *Nulli unquam ſalutem eſſe factam niſi per fidem Mediatoris.*

Totus vero in eam partem deſcendit S. Thomas infinitis in locis, 1. 2. q. 106. art. 1. ad 3. *Nullus unquam*, inquit, *gratiam Spiritus ſancti habuit, niſi per fidem Chriſti explicitam vel implicitam.* 2. 2. q. 2. art. 8. in corpore, *Myſterium Incarnationis Chriſti ante Chriſtum fuit explicite creditum a majoribus, implicite autem & quaſi obumbrate a minoribus.* 3. p. q. 61. art. 3. in corpore: *Nullus ſanctificari poteſt poſt peccatum niſi per Chriſtum quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius.* Tractat vero hoc idem argumentum dedita opera 2. 2. q. 2. art. 7. & propoſita quæſtione, utrum ſit de neceſſitate ſalutis apud omnes explicite credere Myſterium Incarnationis, ſic illam definit in ſua concluſione: *Cum Incarnationis myſterium fuerit ab æterno diſpoſitum ut ſuam homines aſſequerentur ſalutem, oportuit omni tempore credi aliquo modo explicite myſterium Incarnationis Chriſti.* Dicit aliquo modo *explicite* quia tametſi exiſtimaverit ſufficientem eſſe fidem implicitam pro antiquis, hanc tamen fidem implicitam non ſeparat a cognitione Mediatoris, nec putat illam præciſe conſiſtere in cognitione autoris naturæ qualem habent Ethnici, id conſtat ex hoc ipſo articulo; cum enim ſibi objeciſſet multos gentiles adeptos fuiſſe ſalutem, quamquam non habuerint fidem de Chriſto, ſic reſpondet, *Ad tertium dicendum quod multis gentilium facta fuit revelatio de Chriſto.... ſi qui tamen ſalvati fuerunt quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt ſalvati abſque fide Mediatoris, quia etſi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in divina providentia, credentes Deum eſſe liberatorem hominum &c.*

Probatur 3. ex Concilio Tridentino quod iſtam doctrinam clare aſſeverat ſeſſ. 6. cap. 6. his verbis: *Diſponuntur autem*, adulti, *ad iſtam juſtitiam dum excitati divina gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum, credentes vera eſſe quæ divinitus revelata & promiſſa ſunt, atque illud imprimis, a Deo juſtificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Ex Patribus Tridentinis nemo adultus juſtificari poteſt, quin credat vera eſſe quæ divinitus revelata ſunt, *imprimis vero*, quaſi dicant, ſaltem explicite credendum eſſe in Redemptionem quæ

S 2 fit

ſit per Jeſum Chriſtum. Quod & clarius ſignificant cap. 8. *Cum vero*, inquiunt, *Apoſtolus dicit juſtificari hominem per fidem & gratis, ea verba in eo ſenſu intelligenda ſunt quem perpetuus Eccleſiæ Catholicæ conſenſus tenuit & expreſſit, ut ſcilicet per fidem ideo juſtificari quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum & radix omnis juſtificationis, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo*. Ubi loquuntur de fide Catholica, de fide in Chriſtum, quæ in adultis a Dei præveniente gratia per Jeſum Chriſtum, ut habetur cap. 5. *declarat*, Synodus, *ipſius juſtificationis exordium in adultis a Dei per Jeſum Chriſtum præveniente gratia ſumendum eſſe*. Ac proinde putant neminem juſtificari & conſequenter ſalvari poſſe ſine fide in Chriſtum.

Quamobrem tres iſtas propoſitiones jure merito damnavit Innocentius XI. 1. *Nonniſi fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita remuneratoris*. 2. *Fides late dicta ex teſtimonio creaturarum ſimilive motivo ad juſtificationem ſufficit*. 3. *Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantia myſteriorum fidei, & etiamſi per negligentiam etiam culpabilem neſciat myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis & Incarnationis Domini*. Quas quidem propoſitiones damnavit etiam Clerus Gallicanus anno 1700. his verbis: *Hæ tres propoſitiones in Deum remuneratorem, & in Chriſti mediatoris nomen contumelioſæ ſunt, erroneæ, & hæreticæ*.

Solvuntur Objectiones ex Scripturis & ratione petitæ.

OBjicies 1. Fides non eſt neceſſaria ad ſalutem niſi quatenus eſt initium & fundamentum juſtificationis, fides enim per ſe ipſa formaliter non juſtificat: ſed ex Apoſtolo non alia requiritur fides velut initium ſalutis, quam ea per quam explicite creditur Deus exiſtens & remunerator hominum, ut patet ex his verbis Epiſtolæ ad Hebræos cap. 11. *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia eſt & inquirentibus ſe remunerator ſit*. Igitur fides in Chriſtum non requiritur.

Nego min. Ex hoc enim Apoſtoli teſtimonio colligi ſolum poteſt fidem & cognitionem Dei exiſtentis & remuneratoris requiri tanquam ſalutis & juſtificationis exordium, non autem ſufficere per excluſionem ad fidem Incarnationis, ut ſatis per ſe ſignificant verba, *oportet credere*, inquit, *quia Deus eſt*. Sed alia eſſe creditur neceſſaria; colligitur ex aliis locis ſuperius adductis ex ipſo etiam Apoſtolo: *Fundamentum*, inquit, 1. Cor. 3. *aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt quod eſt Chriſtus Jeſus*. Et Galat. 2. *Scientes quod non juſtificatur homo ex operibus legis niſi per fidem Jeſu Chriſti*.

Objicies ex S. Paulo ad Rom. cap. 2. verſ. 14. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciunt*. Quo fit ut juſtificentur, nam verſu 13. dixerat: *factores legis juſtificantur*. Igitur quicunque ex gentilibus bene vixerint, ſalvabuntur.

Nego conſ. His enim verbis ſolum docet Apoſtolus omnes peccare contra legem, ſive ſint Judæi, ſive gentiles, illos quidem contra legem ſcriptam, iſtos vero contra legem naturalem, ubi & huic adverſariorum doctrinæ nequaquam favet, qui potius totus eſt in illa Epiſtola ut probet neminem, ſive Judæum ſive Gentilem, juſtificari nec ſalvari poſſe ſine fide Chriſti.

Objicies: Unius Dei, non Incarnationis cognitionem & fidem habuit Cornelius Centurio, antequam ad eum veniſſet S. Petrus: atqui tamen juſtificatus eſt, nam Actorum 10. cap. dicitur *religioſus ac timens Deum*, eique dixit Angelus, *orationes tuæ & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei*. Ergo poteſt aliquis cum ſola Dei autoris fide juſtificari, ac proinde ſalutem æternam conſequi.

Nego ant. & dico veriſimiliter Cornelium, etiam antequam adiiſſet S. Petrum,

Digitized by Google

trum, fide ſaltem implicita, quæ tunc temporis nondum prædicato Evangelio ſufficiebat, credidiſſe in Chriſtum Dominum; quatenus videlicet credidit in genere de Meſſiæ adventu, quod credebant Judæi eum aliquando venturum tanquam populi ſalvatorem. Nec facile exiſtimaverim incognitum tunc fuiſſe & inauditum Centurioni, Jeſum Chriſtum prædicari & a multis haberi ut Meſſiam, unde ſi juſtificatus eſt antequam ad illum accederet beatus Petrus, profecto non fuit juſtificatus ſine ulla Incarnationis fide ſaltem implicita, quanquam non habuerit fidem explicitam & diſtinctam de tempore & aliis circunſtantiis Incarnationis. Videtur hæc fuiſſe ſententia S. Thomæ 2. 2. q. 10. art. 4. ad 3. ubi ſic habet: *De Cornelio ſciendum eſt quod infidelis non erat, alioquin ejus operatio non fuiſſet accepta Deo cui ſine fide nullus poteſt placere, habebat autem fidem implicitam nondum manifeſtata Evangelii veritate*.

Reſpondent nonnulli Theologi omnino non conſtare Cornelium tunc fuiſſe juſtificatum, quanquam dicatur religioſus ac timens Deum, ejusque orationes aſcendiſſe ad Deum; hæc enim probant ſolummodo pium hunc virum in bonis diſpoſitionibus verſatum, non autem perfectam jam conſecutum fuiſſe juſtitiam: Hoc ûnum certum eſt, inquit S. Auguſtinus lib. de prædeſtinat. Sanctor. cap. 7. Cornelium nonniſi beneficio gratiæ credidiſſe: *Quicquid igitur & antequam in Chriſtum crederet, & cum crederet, & cum credidiſſet, bene operatus eſt Cornelius, totum Deo dandum eſt*.

Objicies a vita æterna & ſalute Chriſtianorum non excidiſſe Gentiles, qui nimirum juſte & honeſte vixerint, unum Deum omnipotentem colendo, aperte denotant hæc verba S. Joannis in Apocalypſi cap. 7. *Poſt hæc*, inquit, *vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus & tribubus & populis, & linguis, ſtantes ante Thronum & in conſpectu Agni amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum*. Ex his enim verbis patet S. Joannem vidiſſe ante Thronum Dei multos ex omnibus gentibus & populis.

Reſpondeo ab omni ratione alienum eſſe hunc S. Joannis textum interpretari de Gentilibus; tum quia ejusmodi interpretatio gratuita eſt; & nulla ſanctorum Patrum autoritate fulcitur; tum quia luce meridiana clarius eo loci S. Joannem loqui de Martyribus propter nomen Chriſti occiſis, ait enim eos eſſe amictos ſtolis albis & in manibus portare palmas, quæ videlicet martyrum ſunt inſignia, unde cum ab eo quæſitum eſſet quinam ſint illi omnes, reſpondet, verſ. 14. *Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna & laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine Agni*. Quæ quidem verba denotant qui martyrium pro Chriſti nomine perpeſſi ſunt, adeoque fidem habuerunt in Chriſtum mediatorem explicitam & vera charitate formatam.

Jam vero ab ejusmodi viris tanta fide imbutis plurimum diſtare gentiles, nemini, ut puto, dubium eſſe poteſt. Conſtat enim quod aperte docet Apoſtolus, Gentilium Philoſophos nullum Deo cultum exhibuiſſe, Rom. 10. *Cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis.... propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum.... qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt & ſervierunt creaturæ potius quam Creatori*. Quis non videt ad omnes gentiles pertinere hæc Apoſtoli verba? Quandoquidem loquitur nominatim de Philoſophis quos contendunt adverſarii fide veri Dei præ cæteris fuiſſe imbutos.

Objicies: Summæ bonitati Dei, qui vult omnes homines ſalvos fieri, aperte contrarium eſt quod dicantur teneri ad impoſſibile: ſed ſi fides in Chriſtum eſſet neceſſaria pro omnibus & ſingulis adultis, ad impoſſibile tenerentur ii ſaltem ex Infidelibus, quibus annunciatum nunquam fuit Chriſti nomen, ut enim ait S. Pau-

S. Paulus ad Rom. 10. *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt, aut quomodo credent ei quem non audierunt?* Ergo.

Reſpondeo hoc argumentum ſerio proponi non poſſe a Theologis, quia videlicet eadem ratione diceretur durum & injuſtum fuiſſe quod Chriſtus ſtatueret Baptismum neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem, quandoquidem multi infideles nec cupere nec recipere poſſunt Baptismum, de quo nihil unquam audiverunt, poteſtate ſcilicet proxima & immediata, quanquam ſit in eorum poteſtate remota habere Baptismum & proinde fidem Chriſti & Incarnationis, quatenus ipſis potiſſimum denegatur gratia ad credendum & ad petendum Baptisma propter peccata quæ commiſerunt adverſus præcepta legis naturalis. Vide quæ a nobis dicta ſunt in tractatu de Gratia, cum prope ſimilem objectionem diluimus examinando num infidelibus detur gratia ſufficiens.

Adde quod mortem æternam non incurrent infideles propter defectum fidei actualis in Chriſtum quem ignorarunt ignorantia invincibili, ſed propter peccatum originale quod in iis deletum non fuit per Baptisma, tum vero propter peccata actualia, quæ per totum vitæ curſum inſuper commiſerunt; unde nihil eſt quod hac in parte Deum credulitatis accuſent, ſi lato in eos judicio in æternum excluduntur a regno cœlorum.

Huic porro adverſariorum objectioni, quæ petitur ex eo quod Deus vult omnes homines ſalvos fieri, occurrere videtur S. Auguſtin. Epiſt. 149. num. 17. his verbis: *Et ne quisquam diceret poſſe eſſe ſalutis viam in bona converſatione & unius Dei omnipotentis cultu ſine participatione corporis & ſanguinis Chriſti* (*unus enim Deus, inquit, & unus Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus*) *ut illud quod dixerat* (*omnes homines vult ſalvos fieri*) *nullo alio modo intelligatur præſtari niſi per mediatorem non Deum quod ſemper Verbum erat, ſed hominem Chriſtum Jeſum, cum Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*. Deus igitur vult ſalvare Infideles, ſed per Chriſtum unum Dei & hominum mediatorem, quia non eſt aliud nomen in quo oporteat nos ſalvos fieri.

Præclarum eſt quod ſcribit idem S. Doctor lib. de correptione & grat. cap. 7. *Si enim*, inquit, *ſicut veritas loquitur, nemo liberatur a damnatione quæ facta eſt per Adam, niſi per fidem Jeſu Chriſti, & tamen ab hac damnatione non ſe liberabunt qui poterunt dicere non ſe audiſſe Evangelium Chriſti cum fides ex auditu ſit.*

Objicies: Repugnare videtur juſtitiæ divinæ, quod Gentiles qui juſte & honeſte vixerunt, debitam ſibi mercedem non recipiant in altera vita: ergo non excludentur a regno cœlorum, quando recte vixerint.

Reſpondeo ipſum Chriſtum aperte declarare in Scripturis ejusmodi homines, qui non ex pietatis Chriſtianæ affectu, ſed ex vana gloria operati ſunt, jam recepiſſe mercedem ſuam, nec aliam ab ipſis eſſe expectandam, Matth. 6. *receperunt mercedem ſuam*. Audiatur ſuper ea re S. Auguſtinus loquens de antiquis Romanis, apud quos tales elucebant virtutes quales agnoſci poſſunt in Gentilibus. Lib. 5. de Civit. Dei cap. 15. *Quibus ergo*, inquit, *non erat Deus daturus vitam æternam cum ſanctis Angelis ſuis in civitate ſua cœleſti, ad cujus ſocietatem pietas vera perducit, quæ non exhibet ſervitutem religionis quam* λατρείαν *græci vocant, niſi uni vero Deo, ſineque hac eis terrenam gloriam excellentiſſimi imperii concederet, non redderetur merces bonis artibus eorum, id eſt, virtutibus quibus ad tantam gloriam pervenire nitebantur. De talibus enim qui propter hoc boni aliquid facere videntur ut glorificentur ab hominibus, etiam Dominus ait, Amen dico vobis, perceperunt mercedem ſuam.* Et paulo poſt: *non eſt quod de ſummi & veri Dei juſtitia conquerantur, perceperunt mercedem ſuam.* Quod nimirum pro actionibus ex fine temporali elicitis acce-

cepe-

Digitized by Google

ceperunt mercedem temporalem.

Ergo, inquiet aliquis, Deus cenſebitur quandoque homines remunerare propter actiones malas & ex pravo fine factas, ni nimirum mercedem impertitus eſt Romanis ex vana ſolum gratia agentibus.

Reſpondeo nequaquam Deum retribuere ullam mercedem vel etiam bona temporalia propter malas actiones ut malæ ſunt, ſed ſolum prout ſuæ divinæ ſubjiciuntur providentiæ, quatenus per ejuſmodi retributiones ſuum aſſequitur propoſitum. Ita S. Thomas 1. 2. qu. 114. art. 10. ad 2. qui hanc reſponſionem confirmat ex Rege Babylonis apud Prophetam Ezechielem, & ex obſtetricibus Ægyptiacis, de quibus mentio fit in Exodo: *Dicendum*, inquit, *quod illæ retributiones dicuntur eſſe divinitus factæ ſecundum comparationem ad divinam motionem, non autem ſecundum reſpectum ad malitiam voluntatis præcipue quantum ad Regem Babylonis qui non impugnavit Tyrum quaſi volens Deo ſervire, ſed potius ut ſibi dominium uſurparet. Similiter etiam obſtetrices licet habuerint bonam voluntatem quantum ad liberationem puerorum, non tamen fuit earum recta voluntas quantum ad hoc quod mendacium confinxerunt.* Laudantur itaque paſſim Gentiles propter præclara geſta, & propter bonas atque honeſtas actiones temporaliter remunerantur, immo & propter malas, in quibus aliquid boni reperitur; ſed in iis remuneratur quod bonum, non autem quod malum eſt, uti docet S. Auguſtinus Enchir. cap. 22. loquens de mendacio, in quo inquit, *merito laudatur, vel etiam temporaliter remuneratur benevolentia non fallacia.*

Objicies: nullum eſt momentum, in quo non poſſit quis ſalutem actu conſequi: ſed is non poterit quovis momento fidem habere Incarnationis, ad hoc enim opus eſt concionatore, quia fides ex auditu, Rom. 10. *quomodo audient ſine prædicante?* Igitur fides Incarnationis non eſt neceſſaria ad ſalutem.

Diſt. maj. Si nimirum adſint media ad ſalutem conſequendam neceſſaria, C. ſecus, N. Porro inter hæc media neceſſaria numeratur potiſſimum fides in Chriſtum mediatorem, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo.

Objicies: Videtur omnino temerarium tam certo affirmare tot Gentiles qui fidem in Chriſtum non habuerunt, ab æterna ſalute excluſos, quia videlicet inveſtigabilia ſunt judicia Domini, qui poterit per occultas nobis & incognitas vias ſalvare quemcumque voluerit.

Reſpondeo nequaquam temerarium eſſe affirmare Gentiles qui non crediderunt in Chriſtum in æternum perituros, quia nimirum ejuſmodi doctrina ubique paſſim legitur in ſacris Litteris: quemadmodum ſine temeritate aſſeritur eos æterna damnatione plectendos qui moriuntur non regenerati Baptiſmo Chriſti; quia nimirum id expreſſe declaratur in iiſdem Scripturis. Equidem judicia Dei ſunt incomprehenſibilia, viæ ejus inveſtigabiles, ſed ita demum hæc aliaque ſimilia debent intelligi ut certum atque indubitatum habeatur quod expreſſe legitur in Scripturis eandem doctrinam comprobare Eccleſiam; aliter nihil eſſet certi in religione Chriſtiana, certum non eſſet neceſſariam eſſe fidem in Deum, cujus fidei defectu ſalus æterna denegaretur; certum non eſſet eos mortem æternam incurrere qui moriuntur in peccato mortali, quia nimirum cum illa perniciosa adverſariorum dubitatione quivis poſſet dicere inveſtigabiles eſſe vias Domini, & neminem eſſe ejus conſiliarium.

Solvuntur Objectiones ex SS. Patribus petitæ.

Objicies 1. autoritatem S. Juſtini qui ſcribit in utraque Apologia Philoſophos gentiles, imprimis vero Socratem & Heraclitum, quodammodo Chriſtianos eſſe, qui quidem immerito a multis reputati ſunt Athei; unde ſequitur hujuſmodi homines, ſi aliunde juxta le-

gis

Digitized by Google

gis naturalis principia vixerint, in mente ſancti Martyris ab æterna Chriſtianorum ſalute non fuiſſe excluſos.

Reſpondeo S. Juſtinum affirmare ſolum Philoſophos gentiles fuiſſe Chriſtianos ſecundum quid & improprie, quatenus aliquam fidei partem communem habebant cum Catholicis, puta unum Deum univerſi orbis conditorem agnoſcebant; non autem illos eſſe Chriſtianos veri nominis & perfecte, ita ut fidem habuerint ſufficientem in ordine ad vitam æternam. Scilicet S. Juſtinus Ethnicos illos Philoſophos, qui Deum rerum Opificem ejuſque rationem ſeu Verbum colebant, eo fere modo ſervata tamen proportione appellat Chriſtianos, quomodo hæreticos appellare ſolemus Chriſtianos, ea nimirum ex cauſa quod hæretici parem nobiſcum fidem habent in multis articulis, ſed quos tamen putamus æterna ſalute nunquam donandos: quia veram & perfectam in omnibus & ſingulis articulis fidem non habent.

Atque S. Juſtinum non agnoviſſe in gentilibus Philoſophis niſi imperfectam quamdam rei Chriſtianæ fidem aut cognitionem præ veris Chriſtianis aperte ſignificat Apolog. 1. pag. 51. *Ut Chriſtianus*, inquit, *invenirer, & votis omnibus optaſſe. & totis viribus contendiſſe profiteor, non quod aliena ſit a Chriſto Platonis doctrina, ſed quod non continuo conſentiat, ſicut neque aliorum Stoicorum videlicet & Poetarum & Hiſtoricorum doctrina, unuſquiſque enim pro parte divinæ ſibique inſitæ rationis id quod affine & cognatum erat videns elocutus eſt recte. Qui autem contraria ſibi invicem dixerunt de rebus majoris momenti ſcientiam conſtantem ac firmam & cognitionem irreprehenſibilem eos conſecutos non eſſe apparet. Quæcunque ergo apud omnes recte dicta ſunt, noſtra Chriſtianorum ſunt. Ingeniti namque & ineffabilis Dei rationem ceu Verbum poſt Deum adoramus & complectimur, quoniam noſtra cauſa hoc Verbum homo factum eſt, ut perpeſſionum noſtrarum participatione medicinam nobis faceret.* Ubi teſtatur Juſtinus nonniſi rudde quoddam Chriſtianiſmi initium extitiſſe in Ethnicis Philoſophis, nos vero præ illis reddi vere Chriſtianos, quod Verbum Dei cauſa noſtra incarnatum credimus & adoramus.

Item S. Juſtinus cohortatione ad Græcos p. 12. ſcribit Philoſophos rerum divinarum fuiſſe ignaros, *Fieri enim neutiquam poteſt, ut res tam magnas & divinas qui non prius a ſcientibus acceperint, vel ipſi intelligant, vel alios recte docere queant. Sed enim cum ex prædictis liquido pateat res Philoſophorum veſtrorum ignorantiæ omnis atque fraudis ſeductioniſque videri plenas*. Et pag. 34. *Viri enim illi quos diximus, facundiam veluti eſcam quandam illecebroſam prætendentes, per multos a recta religione abducendos eſſe apud ſe ſtatuerunt*. Conſuli etiam poteſt quod ſcribit dialogo cum Triphone pag. 219. & ſequentibus.

Objicies: Non uno in loco ſcribit S. Clemens Alexandrinus Ethnicos potuiſſe per Philoſophiam ſalvari, quatenus idem præſtabat Philoſophia reſpectu Philoſophorum, quod lex Dei reſpectu Judæorum: *Ipſa quoque Philoſophia*, inquit lib. 1. Stromatum, *Græcos pædagogi more ducebat ſicut lex Hebræos ad Chriſtum*. Igitur.

Nego ant. His autem verbis ſignificat ſolum Clemens Alexandrinus Philoſophiam in nonnullis Philoſophis fuiſſe quandam veluti viam ad ſalutem, quatenus hac naturali ſcientia imbuti facilius ducebantur per motiva credibilitatis ad fidem Chriſti amplectendam; ſed nec minimum inſinuat per ſolam Philoſophiam ſine fide & religione Chriſti Mediatoris ſalvari potuiſſe quemquam ex illis Philoſophis, vel etiam ſi recte vixerint, ſuo nimirum modo juſtitiam naturalem colentes. In hujuſce reſponſionis confirmationem adduci facile poſſent innumera ejuſdem S. Clementis teſtimonia, ſic enim v. g. loquitur eodem lib. 1. Stromatum: *Quanquam per ſe quoque aliquando Græcos*

ces juſtificabat Philoſophia, ſed non ad univerſam ac generalem juſtitiam ad quam cooperatrix & adjutrix invenitur, ſicut primus & ſecundus gradus ei qui aſcendit in cœnaculum, & grammaticus ei qui eſt philoſophaturus. Et paulo poſt, *Eſt quidem per ſe perfecta & nullius indiga Servatoris doctrina, cum ſit Dei virtus & ſapientia. Accedens autem græca Philoſophia non veritatem facit potentiorem, ſed debilem adverſus eam efficit Sophiſticam argumentationem & propulſans doloſas adverſus veritatem inſidias, dicta eſt vineæ apta ſepes & vallus.* Et lib. 7. *Philoſophia græca veluti præparat & præpurgat animam ad fidem accipiendam ſuper quam veritas ædificat cognitionem.* Ex quibus abunde colligitur Philoſophiam in mente Clementis ad ſummum viam parare ad fidem amplectendam, quemadmodum Grammatica præparat ad Philoſophiam, non autem per ſe ſufficere ad ſalutem; agnoſcit enim & ſæpius profitetur veritatem & juſtitiam perfectam haberi non poſſe per Philoſophiam, lib. 6. Stromatum prope finem hæc ſcribit: *Qui ex Græcis gloriantur quod ab eis comprehenſa fuerit veritas, dicant nobis a quonam glorientur ſe didiciſſe. A Deo quidem non dixerint, ab hominibus autem confitentur. Etſi hoc ita eſt, aut a ſe ipſis ſero didicerint, ſicut certe ex ipſis quoque quidam inſolenter gloriantur, aut ab aliis ſimilibus. Sed non ſunt fide digni, cum de Deo loquuntur homines quatenus homines. Neque enim qui homo eſt, poteſt pro dignitate de Deo vera dicere imbecillis ..... ſola ergo eſt a Deo tradita quæ eſt apud nos doctrina, a qua dependent omnes fontes ſapientiæ quicunque ad veritatem tanquam ad ſcopum feruntur.*

Item expreſſe docet fidem in Chriſtum eſſe neceſſariam lib. 6. Stromatum his verbis: *Si vincti quidem ſunt Judæi, quibus dixit Dominus, egredimini ex vinculis... clarum eſt quod qui ſunt in tenebris ii ſunt qui habent mentem defoſſam in cultu Idolorum. Nam iis quidem qui erant juſti ex lege, fides deerat.* Et *ideo cum eos curaret, Dominus dicebat, Fides tua te ſalvum fecit. Iis autem qui erant juſti ex Philoſophia, non ſolum opus erat fide in Dominum, ſed etiam ut diſcederent ab Idolorum cultu.* Et in eodem libro, *Abraham non ex operibus ſed ex fide juſtificatus eſt. Nihil ergo eis, Philoſophis, poſt vitæ finem proderit, etiamſi nunc bene operentur, niſi fidem habeant.*

Neque vero plus virium habent hæc verba S. Clementis e lib. 6. Stromatum deſumpta: *Quod ſicut Judæos Deus ſalvos eſſe voluit dans eis Prophetas, ita etiam Græcorum præſtantiſſimos propriæ ſua lingua Prophetas excitatos prout poterant capere Dei beneficium a vulgo ſecrevit præter Petri prædicationem declaravit Paulus Apoſtolus dicens, libros quoque græcos ſumite, agnoſcite ſibyllam quomodo unum Deum ſignificet, & ea quæ ſunt futura & hyſtaſpem ſumite & legite & invenietis Dei Filium multo clarius & apertius eſſe ſcriptum; & quemadmodum adverſus Chriſtum multi Reges inſtruent aciem qui eum habent odio, & eos qui nomen ejus geſtant & ejus fideles.* Ex quibus ſolum colligi poteſt, S. Clementem Alexand. exiſtimaſſe ſibyllas &c. quoſdam alios a Deo peculiariter inſpiratos, ut Ethnicis fidei Chriſtianæ myſteria revelarent ante ipſius Chriſti adventum, ſed inde non ſequitur potuiſſe illos Ethnicos beneficio ſolius Philoſophiæ ſine ſupernaturali Incarnationis fide Chriſtianorum ſalutem conſequi. Quinpotius contrarium aperte deducitur ex illo S. Clementis ſermone; ſi enim ad ſalutem Ethnicorum Prophetas ſuſcitavit Deus qui nimirum ipſis Chriſti Mediatoris fidem explicarent, ſequitur juxta eundem ſanctum Doctorem neceſſariam eſſe omnibus fidem in Chriſtum.

Objicies: Origenes in Epiſt. ad Rom. in hæc verba capitis ſecundi: *Gloria & honor & pax operanti bonum Judæo primum & Græco*, hæc ſcribit, *quod, ut ego capere poſſum, de Judæis & gentibus*

bus dicit utriſque nondum credentibus. Igitur exiſtimabat Gentiles ſine Chriſti fide ſalvari potuiſſe, ſi nempe juſte vixerint.

Nego conſeq. His enim verbis contendit ſolum Origenes Ethnicos ab æterna ſalute non fuiſſe excluſos, ex hypotheſi tamen quod fidem Chriſtianam amplecterentur, hoc eſt, fidem in Chriſtum Mediatorem & Redemptorem, idque conſtat duplici momento, primum eſt quia non loquitur eo loci de vita æterna, ſed tantum de aliqua gloria temporali quæ remanet in iis qui bonum operantur. Sic enim diſſerit verbis immediate ſequentibus: *Poteſt enim fieri, ut vel ex his qui in lege ſunt, ſi quis perſuaſione quidem communitus Chriſto non credit, operetur tamen quod bonum eſt, juſtitiam teneat, miſericordiam diligat, caſtitatem & continentiam ſervet, modeſtiam lenitatemque cuſtodiat, atque omne bonum operetur. Hic etiamſi vitam non habet æternam, quia credens ſoli vero Deo, non credidit & Filio ejus Jeſu Chriſto quem miſit, tamen gloria operum ejus & pax & honor poterit non perire. Sed & Græcus, id eſt, Gentilis, qui cum legem non habeat ipſe ſibi eſt lex, oſtendens opus legis in corde ſuo & naturali ratione immotus, ſicut videmus nonnullos in gentibus, vel juſtitiam teneat, vel caſtitatem ſervet, vel prudentiam, temperantiam, modeſtiamque cuſtodiat, iſte licet alienus a vita æterna videatur, quia non credit Chriſto & intrare non poſſit in regnum cælorum, quia renatus non eſt ex aqua & ſpiritu, videtur quod per hæc quæ dicuntur ab Apoſtolo bonorum operum gloriam & honorem & pacem perdere penitus non poſſit*. Quibus verbis nihil ſignificantius deſiderari poteſt.

2. Origenes ibidem ſtatuit diſertiſſime neminem ſine fide in Chriſtum vitam æternam conſequi poſſe: *Et vis ſcire*, inquit, *quod nullius eſt vita æterna niſi ejus qui credat in Chriſtum, audi Salvatoris ipſius voc em evidenter in Evangeliis deſignantem, Hæc eſt autem vita æterna ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum Omnis enim qui non agnovit Patrem ſolum verum Deum & Filium ejus Jeſum Chriſtum, alienus eſt ab æternitate vitæ, hæc enim ipſa agnitio & fides deſignatur eſſe vita æterna*. Quamobrem putat ſolum Origenes nonnullam gloriam, temporalem ſcilicet, ſperandam in gentilibus qui fide Chriſti Domini deſtituti juſte vixerint, ſed neutiquam inſinuat illos vita æterna &, Chriſtianorum ſalute remunerandos.

Objicies autoritatem S. Chryſoſtomi qui verbis expreſſis docet homines ante Chriſti adventum potuiſſe ſalvari, etiamſi Chriſtum non fuiſſent confeſſi, Homil. 37. in Matth. *Sed magna*, inquis, *injuria illis hac ratione fit qui ante adventum Chriſti naturæ conceſſerunt, minime inquam, poterant enim homines tunc, etiam ipſum non confeſſi, ſalvari. Non enim Chriſti qui nondum venerat ab illis cultus petebatur, ſed ut Idolorum cultu ſpreto unum ſolum Deum Conditorem omnium noſcerent, Dominus enim, inquit, Deus tuus, Dominus unus eſt, idcirco Macabæi admirationi ſunt, qui ne legem traderent, mori maluerunt. Valde admiramur pueros quoque illos alioſque complures apud Judæos, qui bene & optime vixerunt, & hanc cognitionis menſuram inviolatam conſervarunt, a quibus nihil aliud amplius petitum eſt. Tunc enim, ut diximus, ſufficiebat unum ſolum Deum noſſe. Nunc autem non ita eſt, ſed neceſſaria eſt ad ſalutem Chriſti cognitio*. Et paulo poſt, *Quod autem qui ante Chriſtum obierunt, ac ideo ipſum non cognoverunt, ſi ab Idolorum cultu receſſerunt, ac Deum ſolum adorarunt, ſi præterea honeſte vitam peregerunt, æterna bona & beatitudinem adipiſcentur, audi quid dicat Paulus, gloria autem & honor & pax omni operanti bonum, Judæo primum & Gentili*. Ergo ſaltem ante Chriſti adventum Philoſophi Gentiles qui juſte & honeſte vixerunt, unumque Deum univerſi Conditο-

ditorem adorarunt, ab æterna ſalute non fuerunt excluſi.

Diſt. ant. Etiamſi Chriſtum non fuiſſent confeſſi, & in illum non crederent per fidem claram & explicitam, C. nullam omnino Chriſti fidem etiam implicitam habentes, N. In hoc igitur loco, ubi fateor S. Chryſoſtomum paulo durius locutum, quaſi vellet Ethnicos qui bene vixerunt potuiſſe ſine ulla Chriſti fide vitam æternam & beatitudinem adipiſci, contendit ſolum ſanctus Doctor ante Incarnationis tempora neceſſariam non fuiſſe fidem in Chriſtum claram, diſtinctam, & explicitam, qualem nunc & poſt Chriſti adventum neceſſariam eſſe teſtantur Scripturæ, qui tamen non omnis omnino fidei in Chriſtum neceſſitatem rejicit, idque duplici conſtat momento.

1. Quia ibi S. Chryſoſtomus eodem modo ratiocinatur de fide ac de moribus, quatenus nimirum majora nunc a nobis exiguntur in diſciplina morum ab Incarnationis tempore, ſicut fides requiritur magis explicita quam ante Chriſti adventum: *Pariter*, inquit; *majora in vivendi diſciplina petuntur a nobis. Nam illis temporibus cædis perpetratio homicidam perdebat, nunc vero etiam iraſci ſatis eſt ut pereas. Et tunc quidem alienæ uxori commiſceri, atque adulterari ſupplicium afferebat; nunc autem etiam incontinentibus oculis cernere, punitionem non fugit. Nam ſicut cognitio ad perfectius atque ſublimius pervenit, ſic certe diſciplina quoque vivendi ad melius nunc progreſſa eſt.* Quis vero dixerit S. Chryſoſtomum exiſtimaſſe iram & turpia deſideria non fuiſſe peccata ante Chriſti Domini tempus? Quid ita, quia nimirum contendit ſolum ejuſmodi vitia non fuiſſe tam expreſſe damnata in veteri quam in nova lege, iſque non abſimili modo ait ante Verbi Incarnationem peræque neceſſariam non fuiſſe cognitionem & fidem Chriſti, hoc eſt neceſſariam fuiſſe ſolum his temporibus fidem quandam generalem alicujus Salvatoris, cum neceſſaria nunc ſit fides longe magis explicita & diſtincta.

2. Ut ita benignius interpretemur præfata S. Chryſoſtomi verba, nos cogunt vel invitos prope innumera ejuſdem Doctoris teſtimonia, in quibus teſtatur diſertiſſime fidem Chriſti neceſſariam ſemper fuiſſe ad ſalutem Ethnicos omnes ab illa excludendo, Homil. 2. in cap. 1. Epiſt. ad Rom. ad hæc verba S. Pauli: *Juſtitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem*, ſic diſſerit, *dicens enim ex fide in fidem Auditorem deducit ad divinas diſpenſationes in veteri Teſtamento factas, quas ſua ad Hebræos Epiſtola ſapientiſſime enarrat & juſtos & peccatores hac ratione etiam tunc fuiſſe juſtificatos oſtendit .... Deinde vero cum hoc in loco id tantum ſubindicaſſet, dictum ſuum Prophetarum teſtimoniis probat, Sophoniam in medium adducens dicentem, Juſtus ex fide vivet, quod de futura vita intelligatur. Etenim quandoquidem ea quæ nobis Deus largitur, omnem humanam cogitationem ſuperant, immerito nobis neceſſaria eſt fides... Et quid loquor de dogmatibus? Nec enim aliter quam per fidem liberati ſumus a malitia præſentis hujus vitæ. Sic & omnes qui ante hanc ætatem vixere, reſulſerunt. Sic Abraham, ſic Iſaac, ita Jacob, ſic etiam ſalvata eſt meretrix, tum ea quæ in veteri Teſtamento, tum ea quæ in novo commemoratur.*

Homil. 7. in eandem Epiſtolam loquens de S. Paulo: *Accuſavit Græcos*, inquit, *accuſavit Judæos, conſequens erat ut de cætero ſermonem inſtitueret de juſtitia quæ per fidem habetur. Nam ſi neque lex naturalis profuit neque lex ſcripta amplius quidquam præſtitit, ſed ambæ iſtæ leges gravaverunt eos qui non ut par erat, eis uſi ſunt, reſtat ut neceſſaria ſit ſalus quæ per fidem obtinetur... Ideo & nunc venit, ne ſi ab initio veniſſet, dixiſſent ſe potuiſſe per legem ſalvari, ut & per proprios labores & bonorum operum ſucceſſus. Hanc ergo impudentiam occludere volens multo tempore mo-*

vatus eſt, ut tunc eos ſalvaret per Gratiam, poſtquam omnibus modis convicti fuiſſent homines ſe ſibi ipſis minime ſufficere. In quibus locis aperte docet S. Chryſoſtomus eos omnes qui ante Chriſti ætatem vixere ſalvos fuiſſe factos per fidem in Chriſtum, quod nimirum juſtitia in mente ſancti Pauli non habetur niſi per fidem, & quod etiam nec lex naturalis nec lex ſcripta quidquam præſtitit. Conſuli etiam poſſunt Homil. 13. 16. & 17.

Quid vero de virtutibus adeoque de ſalute Philoſophorum Ethnicorum ſentiat idem ſanctus Doctor, clare ſignificat ſerm. 2. in ſanctus Martyrem Babylam his verbis: *Nam cætera illa quæ Græci jactabunde efferunt, Philoſophis ſuis attribuentes, facile commonſtrarunt vanam gloriam, temeritatem & pueriles cogitationis opera eſſe.... ea enim admirabilia quidem eſſe videntur, laboreque multo ac ſumma ærumna plena, ſed indigna tamen ſunt quæ laudem mereantur. Eſt autem diaboli aſtutiæ ſibi ſervientes laboribus ejuſmodi addicere, unde qui decepti ab illo fuerint cum divellantur, tum ridiculi omnibus appareant, labor enim is, ex quo nullum lucrum manat, nullam prorſus laudem meretur. Etenim exiſtunt etiam hodie perditi quidam homines nullis non flagitiis pleni qui multo majora jactitant quam Philoſophus ille* (Diogenes.) *At temperans, inquis, fuit continentemque vitam egit Sinopenſis ille ut qui etiam legitimas nuptias non ſuſtinuerit, ſed adde obſecro temperantiæ ac continentiæ illius modum. Tu vero nequaquam addes, quin libentius temperantiæ ejus modum prodideris, adeo certe ille infamis ac magno dedecore plenus. Percurrerem hoc loco & cæterorum nugas, ſtultum ac vanum ſtudium, denique turpitudinem ... percurrerem etiam Academiæ principem illiuſque diſcipulum, item & eos de quibus major eſt admiratio, his quos nominavi obſcœniores fuiſſe demonſtrarem .... quorſum attinet & de reliquis deinceps verba facere præſertim ubi qui ſtudii ac vitæ inſtituti excellentia cæteris illuſtrior fuit, omnibus tam ridiculus, tam puerilis, tam delirus apparuit?* Ex quibus ſequitur nuſquam potuiſſe venire in mentem S. Chryſoſtomi, veteres Philoſophos nulla Chriſti Mediatoris fide imbutos, ad ſalutem & vitam æternam perveniſſe, quandoquidem apertiſſimis verbis teſtatur ex illis omnibus ſapientiſſimos Platonem, Socratem, Ariſtotelem, qui auſterioris Philoſophiæ cultu & temperantia viciſſe videntur, nonniſi turpem & infamem vitam egiſſe.

Inſtabis: docet aperte S. Chryſoſtomus ſatis tunc fuiſſe, nempe ante Chriſti adventum, quod homines ſpreto Idolorum cultu unum ſolum Deum univerſi Conditorem colerent. Igitur in mente S. Chryſoſtomi nulla Chriſti fides etiam implicita tunc requirebatur ad ſalutem obtinendam; niſi dicatur fidem Chriſti implicitam contineri in cognitione & cultu unius Dei, quod aperte falſum eſt.

Diſt. ant. Satis tunc fuiſſe per excluſionem fidei claræ & diſtinctæ, C. per excluſionem cujuſcumque fidei in Chriſtum, N. Scilicet veriſimiliter exiſtimabat ſanctus Chryſoſtomus nunc & poſt Chriſti adventum neceſſariam eſſe cognitionem Chriſti & myſteriorum Incarnationis, puta Nativitatis, Paſſionis & Reſurrectionis Chriſti, quorum confeſſio publica habetur in Symbolo; quæ quidem clara & explicita cognitio nequaquam ad ſalutem requirebatur pro Judæis ante Chriſti tempora; unde ait tunc ſatis ipſis fuiſſe ſi unum Deum univerſi Conditorem agnoſcerent & colerent, cui tamen cultui dubio procul conjunctam volebat nonnullam Chriſti Mediatoris, vel ſaltem in genere alicujus Mediatoris & Salvatoris fidem; quem quidem ſenſum huic ſancto Doctori tribuimus propter alia ejuſdem plurima teſtimonia a nobis ſuperius adducta, in quibus docet omnes ſeu juſtos ſeu peccatores in veteri Teſtamento nonniſi per fidem fuiſſe juſtificatos, per illam ſcilicet fidem, de qua loquitur S. Paulus in Epiſtola ad Romanos, quæ ipſa eſt ſupernaturalis in Chriſti merita,

& gra-

Digitized by Google

& gratiam fides. Item ubi diſerte ſcribit neque legem naturalem, neque legem ſcriptam quidquam profuiſſe adeo ut *neceſſaria fuerit ſalus quæ per fidem* (Chriſti nimirum Salvatoris) *obtinetur*. Demum ex ea ratione qua loquitur de veteribus Philoſophis, quorum reputat vanum laborem & infamem vitam, tametſi honeſte, quantum in ipſis erat, habita ratione illorum ſtatus vixerint.

Certe tam abſurda opinio tribui non poteſt ſancto Chryſoſtomo, niſi dicatur hunc ſanctum Doctorem non agnoviſſe peccati originalis dogma, & ad iſtud eluendum Baptiſmi a Chriſto inſtituti neceſſitatem, quod certe citra calumniam proferri non poteſt: tametſi enim fateantur Theologi Catholici votum Baptiſmi ſufficere ad merendam & obtinendam ſalutem æternam, nullo tamen fundamento affirmaretur eam fuiſſe Chryſoſtomi mentem, quod ejuſmodi votum fuit in Gentilibus Philoſophis, qui nec de Chriſto, nec de ejus Baptiſmo verbum ullum audierant.

Objicies: S. Bernardus Tractatu de Baptiſmo ad Hugonem de S. Victore, cap. 3. ſcribit, multos ante Chriſti adventum ſalutem fuiſſe adeptos eo præciſe, quod in Deum omnipotentem credebant ſine ulla Chriſti cognitione & fide: *Ita ergo*, inquit, *multi ante Salvatoris adventum Deum omnipotentem tenentes, & diligentes ſuæ ſalutis gratuitum promiſſorem, credentes in promiſſione fidelem, ſperantes certiſſimum Redemptorem, in hac fide & expectatione ſalvati ſunt*. Igitur fides in Chriſtum neceſſaria non fuit ad ſalutem ante Chriſti adventum.

Diſt. ant. Sine ulla Chriſti cognitione & fide explicita & diſtincta, C. ſine ulla omnino fide etiam implicita in Chriſtum, N. Non aliam fuiſſe S. Bernardi mentem colligitur abunde ex hoc ipſo teſtimonio, ſupponit enim illos homines, qui ante Chriſti adventum ſalvari potuerunt, non ſolum credidiſſe in Deum omnipotentem, ſed etiam ſperaſſe aliquem Redemptorem: *Sperantes*, inquit, *certiſſimum Redemptorem, in hac fide & expectatione ſalvati ſunt*. Quæ quidem fides non eſt quidem explicita & diſtincta fides in Chriſtum, per quam ſcilicet omnia Incarnationis myſteria clare cognoverint Antiqui, ſed ſaltem confuſa & implicita, per quam credebant in aliquem Mediatorem, Salvatorem, & in hoc noſtro ſyſtemate ſufficiebat ad ſalutem obtinendam ante Incarnationis tempus, eaque toto cœlo differt ab illa cognitione Dei ut Autoris naturæ quam aſſequi potuerunt veteres Philoſophi omni fide ſupernaturali deſtituti, & quam ſaluti ſufficientem putant adverſarii.

Deinde & id perſpicuum maxime eſt ex propoſito S. Bernardi hocce in Tractatu, ſcribit enim adverſus quemdam Anonymum, qui ſentiebat neminem ante Chriſti tempora ſalvum fuiſſe factum, niſi clare & diſtincte cognoverit ſingula Incarnationis myſteria: *Aſſerit præterea*, inquit S. Bernardus initio capitis, *omnes antiquos juſtos, quotquot videlicet Chriſti adventum præceſſerunt, tantam omnino habuiſſe præſcientiam futurorum, quantam nos qui poſt ſumus, præteritorum ſcientiam, ita ut nullus vel ſimplicium juſtorum aliquid prorſus ignoraret ex omnibus quæ modo nobis Evangelica pandit Hiſtoria, v. g. Verbum incarnatum, partum virginalem, doctrinam Salvatoris, Miracula, Crucem, Mortem, Sepulturam, Deſcenſum ad inferos, Reſurrectionem, & ad cœlos Aſcenſionem, ſic omnino omnibus illorum temporum juſtis, & aperte omnia & diſtincte ſingula fuiſſe præcognita, quemadmodum ſuo ſunt tempore poſt exhibita, & modo cognita nobis, adeo ut nec juſti fuerint, nec ſalvi ſint quibus ita clara omnia & perſpicua non fuerunt; & id quidem falſum*.

Objicies: Docet S. Thomas 2. 2. q. 10. artic. 4. ad 3. Cornelium infidelem non fuiſſe, quatenus habebat fidem implicitam, quæ dubio procul alia non fuit quam fides Dei: *De Cornelio tamen*, inquit, *ſciendum eſt quod infidelis non erat, alioquin ejus operatio accepta non fuiſſet Deo cui ſine fide nullus poteſt placere, ha-*

be-

bebat autem fidem implicitam nondum manifeſtata Evangelii veritate. *Unde ut eum in fide plenius inſtrueret, mittitur ad Petrum.* Similia ſcribit in cap. 10. Actuum Apoſtolorum. Igitur ex S. Thoma fides implicita Dei unius univerſorum Creatoris ſufficit ad ſalutem.

Reſpondeo per illam fidem implicitam quam fuiſſe in Cornelio Centurione agnoſcit S. Thomas, non eſſe intelligendam fidem unius Dei tantum, uti nec aliquam cognitionem naturalem abſque divina & ſupernaturali revelatione partam. 1. Quia dubitare non potuit S. Doctor Cornelium habuiſſe fidem explicitam unius Dei, ut ſatis manifeſtum ex Scripturæ textu, quo fit ut per fidem implicitam Cornelii non intelligat fidem quæ ſit ſolum Dei omnium Creatoris. 2. Quia in tertia parte diſt. 25. aperte docet Cornelium fidem habuiſſe explicitam de myſterio Incarnationis, cui ſolum deerat fides diſtincta de tempore & aliis hujus myſterii circumſtantiis, quapropter miſſus fuit ad S. Petrum, ut de iis inſtrueretur. 3. demum, quia, ut jam diximus, S. Thomas tractans ex profeſſo hanc quæſtionem utrum explicite credere myſterium Incarnationis Chriſti, ſit de neceſſitate ſalutis apud omnes, verbis expreſſis definit: *Oportuiſſe omni tempore credi aliquo modo explicite myſterium Incarnationis Chriſti.*

Cæterum non hic neceſſe habeo quorumdam recentiorum Scriptorum teſtimonia mihi objicere, hi enim aut perexiguæ aut nullius omnino ſunt autoritatis, eum præſertim adverſus manifeſtiſſima Scripturarum loca & univerſam SS. Patrum Traditionem ſcripſerint.

Utrum Fides in Chriſtum neceſſaria eſt ad juſtificationem conſequendam.

CErtum eſt fidem in Chriſtum eſſe quoque neceſſariam ad juſtificationem conſequendam.

Probatur ex Scripturis, in quibus paſſim legitur fidem eſſe initium, radicem & fundamentum omnis juſtitiæ noſtræ, 1. ad Cor. 3. *Ut ſapiens Architectus fundamentum poſui*, quatenus nimirum docuit & prædicavit fidem in Jeſum Chriſtum crucifixum, ut colligitur ex verbis ſequentibus, *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus.* Idem Apoſtolus ait ad Galat. cap. 2. *Scientes quod non juſtificatur homo ex operibus legis niſi per fidem Jeſu Chriſti.* Et ibid. *Nam in Chriſto Jeſu neque Circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides quæ per charitatem operatur.* Hæc fides quæ dicitur initium & fundamentum boni cujuslibet operis, omnis juſtificationis, dubio procul eſt fides explicita in Chriſtum Salvatorem noſtrum eo ſaltem modo quem ſupra expoſuimus, & neceſſaria ex neceſſitate medii ad juſtificationem conſequendam, cum ſit illius exordium & fundamentum.

Hanc doctrinam perſpicue tradit & explicat Concilium Tridentin. ſeſſ. 6. cap. 8. his verbis: *Cum Apoſtolus dicit, juſtificari hominem per fidem & gratis, ea verba in eo ſenſu intelligenda ſunt, quem perpetuus Eccleſiæ Catholicæ conſenſus tenuit & expreſſit, ut ſcilicet per fidem juſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & ad filiorum ejus conſortium pervenire.*

His accedunt teſtimonia Patrum in præcedenti diſſertatione allata, quibus efficitur ad juſtificationem uti & ad vitam æternam habendam requiri fidem explicitam in Chriſtum: *Itaque*, inquit ſanctus Auguſtinus lib. de peccato orig nali cap. 24. *Sine iſta fide, hoc eſt, ſine fide unius Mediatoris Dei & hominum, hominis Chriſti Jeſu, ſine fide, inquam, Reſurrectionis ejus quam Deus omnibus definivit, quæ utique ſine Incarnatione ejus ac Morte non poteſt veraciter credi, ſine fide ergo Incarnationis & Mortis & Reſurrectionis Chriſti, nec antiquos juſtos ut juſti eſſent, a peccatis potuiſſe mundari & Dei gratia juſtificari veritas Chriſtiana non dubitat.*

Alii

Alia ibidem conſuli facile poſſunt.

Quamobrem non leviter erraſſe mihi videtur Canus, cum relectione de Sacramentis parte ſecunda docet eandem non eſſe rationem etiam Evangelio promulgato de remiſſione peccatorum & æterna finalique ſalute, & ad remiſſionem peccati ſeu originalis, ſeu actualis ante Baptiſmum non requiri explicitam Chriſti & Incarnationis fidem, ita ut ſatis ſit habere fidem in Deum: adducto enim in probationem exemplo Cornelii Centurionis, quem contendit juſtificatum ſine Chriſti fide & cognitione, concludit hoc pacto: *Idem ergo nunc etiam evenire poterit, ut per ſolam fidem in Deum homo juſtificetur*. Profecto hic Scriptor alioquin doctiſſimus, non ſatis advertit ad autoritates tum Scripturæ, tum Patrum, tum Conciliorum quæ mox adduxerat, ut evinceret inde fidem Chriſti neceſſariam eſſe neceſſitate medii ad ſalutem æternam; perſpicuum eſt enim cuivis non cæcutienti ex iis non minus clare confirmari neceſſitatem fidei Incarnationis ad juſtificationem conſequendam. Porro quæ Canus argumenta proponit ad ſtabiliendam hanc ſuam opinionem quædam habes diluta in ſuperiori quæſtione, alia vero plane nullius ſunt momenti.

Objicit, fidem explicitam Chriſti Deus in nova lege non communicant ſine prædicante, ut patet ex Epiſtola ad Romanos: ſed in quolibet momento homo qui credit in Deum poteſt juſtificari, non autem in quolibet poteſt habere Prædicatorem, qui de fide Chriſti inſtruat eum. Igitur homo ſine fide Chriſti explicata juſtificari poteſt.

Diſt. Maj. Poteſt juſtificari & nunquam juſtificatur ſine fide Chriſti, C. & juſtificatur ſine Chriſti fide, N. Homo igitur gratia Dei præventus juſtificari poteſt, quia ſalus nemini eſt impoſſibilis, quia Deus non deeſt in neceſſariis, ſed nunquam juſtificabitur perfecta juſtitia antequam credat in Chriſtum, uti nec antequam baptizetur in re vel in voto, nec ſatis erit quod credat in Deum; fides enim Chriſtiana, hoc eſt, fides in Chriſtum Mediatorem, eſt initium, radix & fundamentum noſtræ juſtificationis, ut oſtendimus ex Scripturis, ſanctis Patribus & Concilio Tridentino.

Quæres quonam præciſe tempore teneatur adultus elicere actus fidei.

Reſpondeo teneri hominem quam ſæpiſſime elicere actus fidei, quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, quia non habemus acceſſum ad Deum niſi per fidem, quia demum juſtus ex fide vivit. Quamobrem ad eliciendos fidei actus tenemur, quoties urget aliquod præceptum quod ſine aliquo fidei actu impleri non poteſt, puta quando fundendæ ſunt preces, quando debemus per pœnitentiam reverti ad Deum, cum ſumenda eſt Euchariſtia, & in aliis ejuſmodi occaſionibus, quæ frequentiſſimæ ſunt in toto vitæ noſtræ decurſu. Unde duas iſtas propoſitiones modernorum quorumdam Caſuiſtarum: *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei & charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium*. Et iterum: *Satis eſt actum fidei ſemel in vita elicere*, merito proſcripſit Clerus Gallicanus anno 1700. his verbis: *Hæ duæ propoſitiones ſunt ſcandaloſæ, in praxi pernicioſæ, erroneæ, fidei, & Evangelii oblivionem inducunt*.

Utrum ante Incarnationis tempus fides in Chriſtum fuerit neceſſaria.

INſtituitur hæc quæſtio de hominibus qui vixerunt ante legem gratiæ, tum in lege naturæ, tum in lege Moſaica, & quæritur utrum illis omnibus ad ſalutem æternam neceſſaria fuerit fides Chriſti neceſſitate medii; idque locum habuerit tum reſpectu litteratorum, tum reſpectu plebeiorum.

CON-

Concluſio.

Fides in Chriſtum neceſſaria fuit ſingulis hominibus adultis cujuſcunque forent conditionis ante Incarnationis tempus.

Probatur ex Scripturis, ſcilicet hanc doctrinam perſpicue tradit S. Paulus in ſuis Epiſtolis, in Epiſtola ad Romanos cap. 3. ſic loquitur: *Juſtitia autem Dei per fidem Jeſu Chriſti in omnes & ſuper omnes qui credunt in eum*. Et non ſolum id intelligit pro tempore legis gratiæ & poſt Chriſti adventum, ſed pro aliis naturæ humanæ ſtatibus poſt Adami lapſum; nam addit: *omnes enim peccaverunt & egent gloria Dei*, quaſi dicat non aliam juſtificationem expectandam eſſe quam quæ habetur per fidem & merita Chriſti ex quo homines peccaverunt, in Adamo ſcilicet, de quo peccato hunc in ſenſum fuſe diſſerit capite quinto ejuſdem Epiſtolæ. Item Epiſt. 1. ad Corint. cap. 10. rem aperte exprimit Apoſtolus, ubi loquens de Patribus veteris Teſtamenti ſic habet: *Et omnes eandem eſcam ſpiritalem manducaverunt, & omnes eundem potum ſpiritalem biberunt, bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus*. Quatenus nempe credebant in eum quem aliquando venturum ut Redemptorem & Salvatorem ſperabant.

Probatur 2. ex SS. Patribus qui ſimiliter fidem in Chriſtum veteribus ſic neceſſariam prædicant, ut ſine ea nullus unquam eorum ſalutem fuerit conſecutus. Unius Auguſtini referam autoritatem ne ſcilicet in re minime neceſſaria operam collocem; lib. 1. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 21. hæc ſcribit: *Quantalibet fuiſſe virtutis antiquos prædices juſtos non eos ſalvos fecit niſi fides Mediatoris qui in remiſſionem peccatorum ſanguinem fudit, ipſorum enim vox eſt: Credidi propter quod locutus ſum. Unde ait & Apoſtolus Paulus, habentes autem ſeundem Spiritum fidei ſecundum quod ſcriptum eſt: Credidi propter quod locutus ſum, & nos credimus propter quod & loquimur. Quid eſt eundem Spiritum, niſi quem juſti quoque illi habuerunt qui iſta dixerunt?* Et lib. de peccato originali cap. 24. ſuperius citato: *Sine fide Reſurrectionis ejus quam Deus omnibus definivit, quæ utique ſine Incarnatione ejus ac Morte non poteſt veraciter credi: ſine fide ergo Incarnationis & Mortis & Reſurrectionis Chriſti nec antiquos juſtos ut juſti eſſent a peccatis potuiſſe mundari & Dei gratia juſtificari veritas Chriſtiana non dubitat*. Qua in re Magiſtrum ſequuntur S. Proſper in Pſal. 104. & S. Fulgentius lib. de Incarnat. & Gratia cap. 25. quibus & expreſſe aſtipulantur veteres Theologi, Magiſter Sentent. & S. Thomas ſupra laudati.

Quod autem multi Theologi dicunt ſatis fuiſſe ad ſalutem veterum juſtorum qui vixerunt ante Chriſti adventum, quod haberent fidem implicitam Incarnationis, & abſolute loquendo, neceſſariam non fuiſſe fidem explicitam, res nonnulla eget explicatione quæ tota pendet ex notione fidei explicitæ & implicitæ. Aiunt & merito quidem juſtis antiqui Teſtamenti neceſſariam non fuiſſe fidem explicitam; ſed per fidem explicitam intelligunt fidem diſtinctam ſingulorum Chriſti myſteriorum, ejus videlicet Nativitatis, Paſſionis, Reſurrectionis; nec vero contendunt neceſſariam non fuiſſe ullam Chriſti fidem explicitam, quaſi ſatis fuerit credere in Deum, quam ſententiam nunc impugnamus, quia ex autoritatibus Scripturæ, Patrum & Conciliorum adductis ad minimum evincitur neceſſariam ſemper fuiſſe fidem in Chriſtum qua nimirum veteres illi juſti credebant in Chriſtum, ſaltem ut Redemptorem, Mediatorem, quo poſito fide explicita ſaltem in genere & in univerſum Chriſtum expectabant. Quin potius docent nonnulli Theologi neceſſariam fuiſſe etiam veteribus juſtis fidem explicitam ac diſtinctam myſteriorum Incarnationis propter laudatum ſupra S. Auguſtini teſtimonium.

Por-

Digitized by Google

Porro cum diximus neceſſariam eſſe fidem explicitam in Chriſtum, id intelligitur, ut per ſe patet, de Actu fidei ſupernaturali quo non modo credatur in Deum ut Autorem donorum ſupernaturalium, ſed quo credatur in Chriſtum ſaltem in univerſum tanquam Redemptorem, Liberatorem, Mediatorem, qualis erat fides Judæorum qui Meſſiam expectabant cognitum ſaltem obſcure & in genere ut aliquem Salvatorem.

Utrum alia præter Incarnationem Myſteria credere neceſſe ſit.

Operæ pretium eſſe puto nonnullas ad iſtam quæſtionem ſolvendam adhibere diſtinctiones. 1. Enim dubitatio moveri poteſt de lege Naturæ, vel de lega ſcripta ſeu Moſaica vel de lege gratiæ & poſt Evangelium ſufficienter promulgatum. 2. Vel agitur de fide implicita vel de fide explicita. 3. Vel ſermo eſt de majoribus & doctis quibus in unaquaque lege officium incumbit alios inſtruendi vel de rudioribus & imperitis quibus pro imbecillitate ingenii datum non eſt clare cognoſcere ſuæ religionis myſteria. Quibus obſervatis exiſtimo non eandem ſemper & reſpectu illorum omnium neceſſariam fuiſſe fidem ad ſalutem conſequendam.

PRIMA CONCLUSIO.

In ſtatu legis naturæ nonnulla credere neceſſe fuit; quænam præciſe fuerint illa difficilius determinari poteſt. In hac concluſione duæ ſunt partes.

Prior pars oſtenditur, quia in omni ſtatu homines aliqua fuerunt religione colligati, ita ut ſine illa non potuerint ſalutem æternam obtinere; ſed nulla ſubſiſtere poteſt religio quin multa credantur ad ſalutem obtinendam neceſſaria, in ſtatu v.g. legis naturæ, de quo præſens habetur quæſtio, ſalvari non potuerunt homines quin exiſtentiam Dei firmiter crediderint, Deo hoc ipſum non ſemel revelante per Moyſem his verbis: *Ego ſum Dominus Deus tuus*. Item neceſſe fuit credere totum periiſſe genus humanum, hoc eſt æternæ damnationi ſubjacuiſſe per peccatum primi hominis, ac ſubinde venturum aliquem Salvatorem, cujus beneficio & gratia indigeret ad ſalutem æternam conſequendam: igitur etiam in lege naturæ quorundam articulorum neceſſaria fuit fides.

Poſterior vero pars, nimirum facile determinari non poſſe quid præciſe fuerit credendum, ex eo colligitur, quod nihil videamus ſuper ea re clare definitum in Scripturis: inter ea enim quæ ſcitu & creditu maxime neceſſaria ſunt in quolibet ſtatu, merito recenſetur remedium a Deo inſtitutum ad delendum peccatum originale: atqui tamen id nuſpiam clare definitum videtur in Scripturis quodnam videlicet ſit illud remedium, ubi nec definita videntur præciſe quænam eſſent Sacramenta vel Sacrificia huic ſtatui addicta: igitur facile determinari non poteſt, quid fuerit tunc credendum a fidelibus.

In illo ſtatu ut in aliis poſterioribus fidei actus debuit eſſe ſupernaturalis, nec ſatis erat in ordine ad ſalutem æternam, credere v.g. exiſtentiam Dei & animæ immortalitatem ex motivo naturali quia ut ait S. Thomas 2. 2. q. 2. art. 3. *Cum ultima hominis perfectio in Dei clara viſione conſiſtat, ad quam ratio naturalis aſcendere non valet proprio motu, neceſſarium fuit ad ſalutem aliqua homini per diſciplinam fidei credenda proponi*. Siquidem ut homo perveniat ad viſionem beatificam quæ ſupernaturalis eſt, Deo credere debet quatenus eſt Autor illius doni ſupernaturalis, quod ubique fieri non poteſt niſi per actum fidei ſupernaturalem.

Hæc porro fides non fuit æqualiter explicita in majoribus & doctis, quales erant veteres Patriarchæ, & in inferioribus & populis, ſed magis explicita & diſtincta fuit in illis, tum quia ii ad quos pertinet alios erudire, tenentur habere

bere pleniorem notitiam de credendis: tum quia talis notitiæ claræ & diſtinctæ ſingulorum in particulari credendorum plane incapaces ſunt rudiores & imperiti.

Secunda Conclusio.

In ſtatu legis ſcriptæ ceu Moſaicæ fuit quoque neceſſarium multa credere quæ ad ſalutem ordinabantur, quod utique conſtat ex iiſdem motivis quæ præcedenti concluſione adduximus, cum ea ſolum diſtinctione quod in hoc ſtatu plura quam in ſtatu legis naturæ pertinebant ad fidem, creſcente in dies numero credendorum propter novas a Deo factas per Moyſem revelationes, novis ſubinde impoſitis præceptis, aliiſque latis legibus, aliis inſtitutis Sacramentis & Sacrificiis.

Diximus in quolibet ſtatu ante Chriſti tempora & poſt Adami lapſum neceſſariam fuiſſe Chriſti fidem, quia non eſt aliud datum nomen in quo ſalus æterna obtineri poſſit, non puto tamen ex æquo neceſſariam fuiſſe fidem Trinitatis ex multorum aliorum fidei noſtræ in hoc præſenti ſtatu myſteriorum, quia docet S. Paulus tunc plenam non fuiſſe factam credendorum revelationem qualis facta eſt poſt adventum Chriſti, ad Galatas 3. cap. *Antequam veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur in quam concluſus erat ille populus, quando ſub lege cuſtodiebamur*. Quod eleganter more ſuo expreſſit S. Auguſtinus lib. 19. contra Fauſtum cap. 14. his verbis: *Tunc ergo & occulta erat fides, non eadem credebant, eademque ſperabant omnes juſti & ſancti etiam temporum illorum, & promiſſiva erant illa omnia Sacramenta, omniſque ritus ille ſacrorum, nunc autem revelata eſt fides, in quam concluſus erat populus, quando ſub lege cuſtodiebatur, & quod fidelibus promittitur in judicio*. Ubi tamen revocari in controverſiam non poteſt, quin majores in illo ſtatu clarius & expreſſius crediderint pleraque fidei noſtræ objecta, quam minores & plebeii propter rationes ſuperius allatas.

Tertia Conclusio.

In præſenti gratiæ ſtatu, ſupponendo Evangelium ſufficienter promulgatum, ad ſalutem conſequendam non modo neceſſaria eſt fides Incarnationis, ſed & aliorum etiam multorum Chriſtianæ religionis myſteriorum.

Quod ſpectat Incarnationem res eſt in comperto ex iis quæ ſuperius numeroſiſſima & ad id probandum luculentiſſima protulimus. Scilicet omnes tam majores quam minores credere debent ſummam ſaltem Evangelicæ doctrinæ juxta illud Chriſti Domini teſtimonium Marci ultimo: *Prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit ſalvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur*. Sed ſumma Evangelicæ doctrinæ ea potiſſimum complectitur quæ Incarnationem ejuſque circumſtantias ſpectant, puta Chriſti paſſionem, Mortem, Sepulturam, Reſurrectionem, Aſcenſionem in cœlos, quæ quidem omnia expreſſe leguntur in Symbolo Apoſtolorum: igitur tenentur omnes credere Incarnationem Evangelio ſufficienter promulgato.

Sed dubium eſſe poteſt de myſterio SS. Trinitatis aliiſque nonnullis, primariis chriſtianæ doctrinæ capitibus, qualis eſt exiſtentia peccati originalis, neceſſitas Baptiſmi, numerus Sacramentorum &c. & quæritur num ſimplices teneantur ea credere fide explicita. Cui quæſtioni reſpondeo teneri ſimplices explicite credere ſaltem præcipua hæc fidei chriſtianæ capita, tum quia continentur in Symbolo Apoſtolorum quod pro ipſis tametſi rudioribus & ſimplicibus fuit compoſitum, credendumque proponitur; tum quia, niſi præcipuos articulos ſigillatim & diſtincte credant, fruſtra inſtituuntur Catechiſmi, fruſtra Paſtoribus ab Eccleſia præcipitur ut fideles omnes Chriſtiana doctrina imbuant, non eſt enim doctrina Catholica imbutus qui ſolum in genere credit quod Eccleſia credendum proponit.

Qua-

Quapropter male audit apud Theologos eorum ſententia qui putant id locum habere duntaxat pro majoribus, & plebeios nullum articulum debere expreſſe & explicite credere, modo illos credant implicite, hoc eſt, in genere, ac velut in globo quicquid credit Eccleſia. Nec moror quod dicant ſæpenumero accidere, ut rudiores & indocti talis fidei & cognitionis diſtinctæ ſingulorum in particulari articulorum incapaces eſſent, vix enim intelligitur ſimplices & ruſticos invincibiliter ignorare prima & communia Chriſtianæ doctrinæ puncta, qualia nimirum ea ſunt quæ in Symbolo Apoſtolorum continentur. Sic tamen ut nonniſi utcunque & pro ea qua pollent perſpicacia teneantur cujuslibet articuli notitiam habere.

An conveniens fuerit præcipuos Fidei articulos in Symbolo diſtinguere.

ARticuli fidei in eo differunt a propoſitionibus fidei, quod propoſitiones fidei dicantur illæ omnes quæ ſunt a Deo revelatæ cujuſcunque ſint generis, quales ſunt omnes propoſitiones in ſacris Scripturis contentæ. Articuli vero dicuntur quædam propoſitiones quæ præcipua Chriſtianæ doctrinæ capita exhibent, quales ſunt illæ quæ deſcribuntur in Symbolis.

Deinde per Symbolum intelligitur brevis fidei noſtræ ſumma præcipuos illius articulos complectens, & tria vulgo agnoſcuntur, videlicet Symbolum Apoſtolorum, Nicænum, S. Athanaſii. Symbolum Apoſtolorum eſt illud quod ab omnibus vel etiam de plebe hominibus edиſci & recitari ſolet, ubi primum Chriſtianiſmi elementis imbuuntur. An fuerit revera compoſitum ab Apoſtolis quoad ſingula verba, & eo ſenſu quod antequam varias mundi partes peragrarent Chriſti Evangelium prædicaturi, de hac formula congregati convenerint, necne, controvertitur apud Theologos, hoc longiori oratione perſequi præſentis non eſt inſtituti.

Symbolum Nicænum eſt illud quod in Sacrificio Miſſæ recitari vel cantari ſolet, his incipit verbis: *Credo in unum Deum, &c.* fuit in magno Concilio Nicæno editum anno 325. Quanquam ei nonnullæ poſtea additæ fuerint ſententiæ, cum data ſubinde fuit occaſio novas hæreſes explodendi, ſi v. g. in Conſtantinopolitano primo quod eſt ſecundum generale, hæc verba, *Qui cum Patre & Filio ſimul adoratur*, adjecerunt Patres ut adverſus Macedonianos Spiritus ſancti divinitatem aſſererent, & in eodem Symbolo inſerta fuit ſecutis temporibus particula *Filioque* ut ejuſdem Spiritus ſancti proceſſio explicaretur.

Symbolum S. Athanaſii eſt illud quod recitatur in officio diei Dominicæ ad Primam, his incipiendo verbis, *Quicunque vult ſalvus eſſe, &c.* An vere fuerit compoſitum a S. Athanaſio diſputatur inter eruditos. Quibuſdam opus illud eximium adjudicantibus Vincentio Lirinenſi, aliis Vigilio Tapſenſi. His autem præſuppoſitis quæritur utrum conveniens & opportunum fuerit in ejuſmodi Symbolis præcipuos fidei articulos aſſignare.

CONCLUSIO.

Conveniens fuit in Symbolis articulos fidei deſcribere.

Probatur quia hæc methodus multa ſecum Eccleſiæ & fidelibus affert commoda. 1. enim id utile maxime eſt ſimplicibus & indoctis qui cum longioris diſcuſſionis incapaces ſint, longe facilius fidem Eccleſiæ capere poſſunt, ſi in brevi & compendiaria quadam ſumma comprehendatur. Quin & id perutile eſt pro doctis & Paſtoribus ſi certam habeant formulam paucis verbis contentam quam hæreticis opponant velut publicam Eccleſiæ teſſeram cui nefas ſit quicquam addere; ſolent enim hæretici, quantum in ipſis eſt, Catholicam doctrinam corrumpere & immutare per falſas Scripturæ & Conciliorum interpretationes, cui ma-

lo medemur beneficio Symbolorum quæ breviter & dilucide abſque ulla ambage fidei dogmata proponunt. Præterquamquod hoc pacto concordia fovetur inter Chriſtianos qui unam eandemque fidem iiſdem verbis eademque formu a profiteri ſolent.

Hæc porro aliaque nonnulla commoda quæ ex Symbolorum compoſitione fidelibus accedunt, non ſemel commendantur a SS. Patribus, ſic v. g. S. Irenæus lib. 1. cap. 3. ubi facta mentione Symboli: *Hanc fidem*, inquit, *Eccleſia in univerſum mundum diſſeminata diligenter cuſtodit, quaſi unam domum inhabitans, & ſimiliter credit iis quaſi unam animam habens & unum cor. Et conſonanter hæc prædicat & docet & tradit quaſi unum poſſidens os. Nam etſi in mundo diſſimiles loquelæ ſunt, tamen virtus Traditionis una & eadem eſt.*

Et S. Cyrillus Jeroſolimitanus Catecheſi 5. *Cum enim*, inquit, *non omnes poſſint Scripturas legere, & alios quidem inſcitia, alios vero occupatio impediat a cognitione, in paucis moribus univerſam fidei doctrinam comprehendimus.*

Inſigne eſt quod ſcribit hoc in negotio S. Auguſtinus ſermone ad Catechumenos cap. 1. *Symbolum*, inquit, *nemo ſcribit ut legi poſſit, ſed ad recenſendum, ne forte deleat oblivio quod tradidit diligentia, ſit vobis codex veſtra memoria..... iſta verba quæ audiſtis, per divinas Scripturas ſparſa ſunt, ſed inde collecta & ad unum redacta, ne tardorum hominum memoria laboraret, ut omnis homo poſſit dicere, poſſit tenere quod credit.* Et lib. de fide & Symbolo cap. 1. *Quæ fides ne fraudulentis calliditatibus hæreticorum poſſit in nobis aliqua ex parte violari pia cautaque vigilantia providendum eſt. Eſt autem Catholica fides in Symbolo nota fidelibus memoriæque mandata, quanta res paſſa eſt brevitate ſermonis, ut incipientibus atque lactentibus, eis qui in Chriſto renati ſunt, nondum Scripturarum divinarum diligentiſſima & ſpiritali tractatione atque cognitione roboratis, paucis verbis credendum conſtitueretur, quod multis verbis exponendum eſſet proficientibus & ad divinam doctrinam certa humilitatis atque caritatis firmitate ſurgentibus.*

Objicies: Si conveniens fuit, ut in Eccleſia componerentur Symbola quæ præcipuos fidei Chriſtianæ articulos exhiberent, non intelligitur qua de cauſa multi & quidem e præcipuis & inſignes omiſſi ſunt in Symbolis ſupra laudatis, in quibus videlicet nulla fit mentio de ſeptem Sacramentis, ſi excipiatur Baptiſmus, nulla de Euchariſtia & præſentia reali Corporis & Sanguinis Chriſti in illo Sacramento, nulla mentio de purgatorio, nulla de peccato originali &c. Igitur male dicuntur Symbola continere præcipuos fidei articulos.

Reſpondent nonnulli Symbolum omnes fidei propoſitiones continere ſaltem implicite atque adeo Sacramenta vel referri ad remiſſionem peccatorum ut pœnitentiam, vel ſaltem ad Deum omnipotentem ut Euchariſtiam.

Verum non placet iſta reſponſio, tum quia non attingunt iſti ſtatum quæſtionis propoſitæ, nec difficultatem ſolvunt ſed eludunt; in eo enim poſita eſt difficultas, quod præcipua fidei dogmata non contineantur ſingula in Symbolis, & non contineantur, inquam, explicite, uti fieri debet in Symbolis; quæſtio non eſt utrum implicite includantur in aliquo ex articulis. Præterquamquod ſi Euchariſtia continetur in hoc Symboli articulo *Patrem omnipotentem*, eodem jure in eo continentur omnes omnino propoſitiones.

Quapropter ſatius mihi videtur reſpondere in Symbolo contineri præcipua fidei myſteria ſed non omnia & ſingula, mens Eccleſiæ fuit potiſſimum credenda proponere Incarnationis myſteria quia ad exordium naſcentis Chriſtianiſmi hoc imprimis laborabant Apoſtoli & eorum ſucceſſores, ut Chriſtus adoraretur tanquam Salvator mundi, quo fit in Symbolo ejus Nativitatem, Paſſionem, Mortem, Re-

ſur-

Digitized by Google

ſurrectionem, & Aſcenſionem totidem articulis deſignare curaverint quibuſdam aliis fidei capitibus expreſſe non commemoratis.

De externo Fidei Actu.

Actus fidei externus eſt exterior fidei profeſſio, hoc eſt, quæ fit per aliquod ſignum exterius juxta tritum illud S. Pauli effatum ad Rom. 10. *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Ubi notare eſt actum fidei externum verbis non modo ſed & aliis ſignis externis fieri poſſe.

Actus ille externus per ſe bonus eſt & honeſtus, ſi nimirum fiat ex motivo honeſto & laudabili. Siquidem bonum & honeſtum eſt non modo quod Deo credamus aliquid nobis revelanti, ſed etiam quod ſignificemus exterius nos ipſius revelationi adhærere. Deinde actus ille bonus eſt & honeſtus qui propter bonum finem & ex motivo honeſto exercetur in materia ſcilicet laudabili: ſed talis eſt actus externus fidei: ergo bonus eſt moraliter.

Eſt actus virtutis non imperans quidem & elicitus, ſed actus virtutis imperatus, quia nimirum exercetur a facultate exterius agente ſecundum voluntatis imperium, quemadmodum erogatio eleemoſinæ eſt actus miſericordiæ imperatus.

Eſt autem actus virtutis fidei, pertinens ad fidem. Quia generatim loquendo actus externi pertinent ad illas virtutes ex quarum motivo exercentur: actus v. g. exteriores temperantiæ ſunt actus illius virtutis quia ex motivo temperantiæ proprio exereentur; ſed actus fidei externus ſeu exterior fidei confeſſio fit ex motivo fidei, confeſſio enim ore fit ad ſalutem; quia corde creditur ad juſtitiam; credimus interius propter Dei revelantis autoritatem & confitemur ore ac publice nos credere ut ſignificemus nos Deo revelanti acquieſcere: igitur externa fidei confeſſio pertinens ad virtutem fidei, eſt actus fidei.

Porro cum dicimus externam fidei confeſſionem eſſe actum virtutis fidei, id intelligitur de profeſſione externa juncta cum actu interno fidei cum quo eſt quid unum moraliter, aliter non participaret eandem cum virtute fidei honeſtatem; quemadmodum externa fidei negatio non eſſet proprie loquendo actus infidelitatis, niſi conjunctam haberet negationem internam fidei, ſi v. g. fieret ex metu.

Nec dicas habitum fidei per ſe proprie non inclinare niſi ad credendum per aſſenſum ſcilicet internum, adeoque non inclinare ad profitendum exterius fidei objectum, quo fit ut exterior fidei profeſſio non ſit actus virtutis fidei. Siquidem ab eodem pio credulitatis affectu quo inducimur ad credendum quicquid Deus revelavit, movemur quoque ad illud ipſum exterius profitendum.

Utrum externa Fidei confeſſio præcepta ſit, & quomodo.

Duplex intelligitur eſſe præceptum externæ confeſſionis fidei negativum ſcilicet & affirmativum. Præceptum negativum prohibet ne quis unquam fidem neget, nec quicquam agat exterius quod veræ fidei repugnet. Affirmativum eſt illud quo præcipitur hic & nunc veram fidem externo aliquo ſigno profiteri. Quoad ſpectat præceptum negativum, duæ proponuntur difficultates. Prima, utrum liceat veram fidem aliquando negare. Secunda, utrum ſaltem liceat falſam religionem ſimulare. Quoad vero attinet præceptum affirmativum, quæritur an & quando obliget præceptum fidem exterius profitendi.

An liceat Fidem negare.

Teſte S. Auguſtino lib. de hæreſibus cap. 70. unus ex Priſcillianiſtarum erroribus hic fuit, quod etiam pejerando fidem celare fas eſſet, *jura, perjura*, inquiebant, *ſecretum prodere noli*. Unde manifeſte ſequitur Chriſtianis

nis in illo ſyſtemate licitum fuiſſe fidem ſuam exterius negare, contra quos ſit

CONCLUSIO.

Nullo ſigno externo licet fidem negare.

Probatur 1. ex Scripturis ubi expreſſe habetur iſta Chriſti Domini ſententia Matth. 10. ſic loquentis: *Omnis ergo qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui in cœlis eſt; qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo*. Et Lucæ 9. cap. idem Chriſtus ait: *Qui me erubuerit & meos ſermones, hunc filius hominis erubeſcet, cum venerit in majeſtate ſua*. Quod quidem confirmat Apoſtolus ad Romanos cap. 10. his verbis: *Sed quid dicit Scriptura, prope eſt verbum in ore tuo & in corde tuo, hoc eſt verbum fidei quod prædicamus. Quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Jeſum & in corde tuo credideris, quod Deus illum ſuſcitavit a mortuis, ſalvus eris. Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*.

Probatur 2. autoritate S. Auguſtini hoc aperte declarantis lib. de Fide & Symbolo cap. 1. his verbis: *Quoniam ſcriptum eſt & Apoſtolicæ diſciplinæ robuſtiſſima autoritate firmatum, quia juſtus ex fide vivit, eaque fides officium a nobis exigit & cordis & linguæ, ait enim Apoſtolus, & corde creditur ad Juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem, oportet nos eſſe & juſtitiæ memores & ſalutis. Quando quidem in ſempiterna juſtitia regnaturi, a præſenti ſæculo maligno ſalvi fieri non poſſumus, niſi & nos ad ſalutem proximorum nitentes, etiam ore profiteamur fidem quam corde geſtamus*. Quod ſi tenemur fidem ore confiteri ad ſalutem, dubio procul illam exterius negare grande piaculum eſt.

His accedunt quæcunque ſequenti concluſione ſumus adducturi tum ex SS. Patribus, tum ex Conciliis & praxi Eccleſiæ ad probandum licitam non eſſe ſimulationem falſam religionis, inde enim ſequitur a fortiori nefas eſſe fidem negare quocunque ſigno exteriori.

Ratio vero eſt, quia omnis qui fidem ſuam exterius negat manifeſtum in re graviſſimi momenti committit mendacium, factis enim negat quod in mente probat ac verum eſſe putat; nemo autem diffitetur quin mendacium ſit illicitum. Præterquamquod qui fidem Catholicam in aliquo puncto negat, Deo maximam irrogat injuriam, quem videlicet minime veracem eſſe tunc profitetur.

Utrum liceat falſam Religionem ſimulare.

CUM quæritur an liceat falſam aliquando religionem ſimulare, vel utendo ſignis per ſe ad falſam religionem teſtificandam ordinatis, ut ſi quis Catholicus conventibus & cæremoniis hæreticorum aut Idololatrarum intereſſet; vel induendo veſtes infidelium proprias, & ad proteſtationem falſæ religionis deſtinatas; vel alio denique ſigno externo, ſupponitur id fieri in eo caſu, in quo non inſtat præceptum affirmativum fidem Catholicam confitendi; eſt enim extra omnem controverſiam, licitum non eſſe vel idololatriam vel falſam religionem ſimulare, ſi hic & nunc inſtet præceptum affirmativum fidem confitendi.

Citatur vulgo Adrianus, qui in 4. Sent. qu. 1. de Baptiſmo in reſponſione ad quintum argumentum ſenſerit, licitum eſſe extra præfatum caſum non modo fidem ſuam celare, ſed falſam religionem ipſamque idololatriam ſimulare, in quam ſententiam ſit

CONCLUSIO.

Non licet idololatriam vel falſam religionem ſerio ſimulare.

Probatur primo ex Scripturis, 2. Machabæor. cap. 9. laudatur factum Eleazari, qui maluit mori quam ſimulare ſe manducare carnem porcinam prout ei conſilium dabant quidam ex amicis ſuis. Sic narratur memorabile hoc factum: *Igitur Elea-*

Eleazarus, unus de primoribus Scribarum, vir ætate provectus & vultu decoro, aperto ore hians compellebatur carnem porcinam manducare ; at ille glorioſiſſimam mortem magis quam odibilem vitam complectens voluntarie præibat ad ſupplicium . . . hi autem qui aſtabant iniqua miſeratione commoti, propter antiquam viri amicitiam tollentes eum ſecreto rogabant afferri carnes, quibus veſci ei licebat, ut ſimularetur manducaſſe ſicut Rex præceperat de ſacrificii carnibus. At ille cogitare cœpit ætatis ac ſenectutis ſuæ eminentiam dignam & ingenitæ nobilitatis canitiem, atque a puero optimæ converſationis actus, & ſecundum ſanctæ & a Deo conditæ legis conſtituta, reſpondit cito dicens præmitti ſe velle in infernum : Non enim ætati noſtræ dignum eſt, inquit, fingere. Eo loci eximia commendatur religio Eleazari qui de ſacrificii carnibus manducare ſe ſimulare noluit, & ex altera parte valde improbantur velut iniqua miſeratione commoti, qui ei conſilium dabant tali ſimulatione utendi.

Legendus eſt ſuper ea re S. Paulus 1. ad Corint. cap. 10. ubi ſic habet : *Videte Iſrael ſecundum carnem, nonne qui edunt Hoſtias, participes ſunt altaris ? . . . . quæ immolant gentes dæmoniis immolant & non Deo. Nolo autem vos ſocios fieri dæmoniorum, non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum . . . ſi quis autem dixerit, hoc immolatum eſt Idolis, nolite manducare propter illum, qui indicavit & propter conſcientiam, conſcientiam autem dico non tuam, ſed alterius.* Ubi eos damnat Apoſtolus qui cum infidelibus communicarent manducando cibos dæmonibus immolatos, quod non ſolum redarguit in iis qui vere forent idololatræ & animo colendi dæmonia ejusmodi cibos manducarent, ſed & in iis omnibus qui exterius quocumque tandem animo de infidelium altaribus participarent, quales nimirum illi, qui falſorum deorum religionem ſimularent, docet enim non eſſe manducandum cum Infidelibus & Idololatris propter conſcientiam, non ipſius quidem manducantis, ſed alterius, hoc eſt aſtantium qui forte per talem actum de ſe malum & idololatricum ſcandalizari poſſent, quibus verbis manifeſte indigitantur ii omnes, de quibus præſens habetur quæſtio, qui videlicet per aliquem actum externum falſam ſimularent religionem.

Unde idem Apoſtolus non ſemel pronuntiat univerſim nullam eſſe habendam participationem cum infidelibus 2. ad Corint. 6. *Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti ad Belial, aut quæ pars fideli cum infideli?* Quod iterum ſcribit ad Epheſios cap. 5. *Nolite*, inquit, *communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite.* In illis omnibus locis loquitur Apoſtolus univerſe adverſus eos omnes qui communicant cum infidelibus ; ſed qui actum aliquem externum Idololatriæ ederet, puta qui cæremoniis eorum intereſſet, quanquam intus & animo ea deteſtaretur, tamen cum infidelibus communicaret : igitur ex S. Paulo falſam religionem ſimulare non licet.

Probatur 2. ex SS. Patribus qui hoc ipſum omnes unanimi conſenſu docuere, nunquam licitum eſſe Chriſtianis, in iis quæ religionem ſpectant, communicare cum infidelibus. S. Irenæus lib. cap. 1. hæc habet loquens de Valentinianis : *Quapropter & intimorate omnia quæ vetantur, hi qui ſunt ipſorum perfecti, operantur, de quibus Scriptura confirmant, quoniam qui faciunt ea regnum Dei non hæreditabunt : etenim Idolothita indifferenter manducant nihil inquinari ab iis putantes, & in omnem diem feſtum Ethnicorum pro voluntate in honore Idolorum factum primi conveniunt.* Loquitur ibi S. Irenæus de iis hominibus qui ſe Chriſtianos eſſe & ab omni idololatria alienos jactitabant, quales ſunt qui falſam religionem vel idololatriam ſimulant ; dubio procul Valentiniani idolothita non manducabant animo, ut ita dicam, idolola-

lolatrico, nec Idola eorumque dies feſtos corde venerabantur, eos tamen graviter redarguit quod nihil ab illis inquinari falſo putarent.

Egregium eſt quod ſcribit Tertullianus lib. de idololatria cap. 13. ubi poſtquam in idololatriam vehementer invectus eſt, quærit an Chriſtiano liceat cum infidelibus communicare ſive per habitum, ſive per victum, ſive per aliud quodcunque lætitiæ genus: *De hoc*, inquit, *primo conſiſtam an cum ipſis quoque nationibus communicare in hujuſmodi ſervus Dei debeat ſive habitu, ſive victu, vel quo alio genere lætitiæ &c.* Reſpondet licitum eſſe cum infidelibus communicare, ſed in iis quæ politiam, non quæ religionem ſpectant: *Si hunc morem*, inquit, *ſibi homines de ſuperſtitione conſecraverunt, tu extraneus ab omni eorum vanitate quid participas idolothita ſolemnia? Quaſi tibi quoque præſcriptum ſit de die; quominus id quod homini debes, vel tibi ab homine debetur, citra diei obſervationem luas vel recipias. Da formam qua velis agi tecum. Cur enim & lateas cum ignorantia alterius tuam conſcientiam contamines? Si non ignoraris quod ſis Chriſtianus, tentaris, & contra conſcientiam alterius agis tanquam non Chriſtianus, enim vero & diſſimulaberis tentatus, addictus es. Certe ſive hac ſive illac, reus es confuſionis in Domino. Qui autem confuſus ſuper me fuerit penes homines, & ego confundar ſuper illo*, inquit, *penes patrem meum qui in cœlis eſt ... proinde cum dicit, omnibus omnia factus ſum ut omnes lucrifaciam: nunquid idololatris idololatres? Nunquid Ethnicis Ethnicus? Nunquid ſæcularibus ſæcularis? Sed etſi non prohibet nos converſari cum idololatris & adulteris & cæteris criminoſis dicens, cæterum de mundo exiretis, non utique eas habenas converſationis immutat, ut quoniam neceſſe ſit & convivere nos & commiſceri cum peccatoribus idem & compeccare poſſimus. Ibi eſt commercium vitæ, quod Apoſtolus concedit, ibi peccare quod nemo permittit. Licet convivere cum Ethnicis, commori non licet, convivamus cum omnibus, conlætemur ex communione naturæ, non ſuperſtitionis.*

Item S. Cyprianus paſſim in ſuis Epiſtolis inſurgit in Chriſtianos qui nonnunquam œconomiæ cauſa cum infidelibus communicabant in aliquo falſæ eorum religionis actu, lib. de lapſis circa medium, ſic loquitur: *A diabolicis aris revertentes ad ſanctum Domini ſordidis & infectis nidore manibus accedunt. Mortiferos idolorum cibos adhuc pene ructantes exhalantibus etiam nunc ſcelus ſuum faucibus & contagia funeſta redolentibus Domini corpus invadunt, quando occurrat divina Scriptura clamet & dicat, Omnis mundus manducabit carnem, & anima quæcumque manducaverit ex carne ſacrificii ſalutaris quod eſt Domini, & immunditia ipſius ſuper ipſum eſt, peribit anima illa de populo ſuo. Apoſtolus item teſtatur & dicit, Non poteſtis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum, non poteſtis menſæ Domini communicare & menſæ dæmoniorum.*

S. Auguſtinus lib. contra mendacium totus eſt ut hunc Priſcillianiſtarum errorem confutet, dicentium *ad occultandam religionem religioſos debere mentiri*. Unde omne mendacium omnemque ſimulationem in materia religionis condemnat, cap. 2. pravam reputat verumque mendacium, ſimulationem Regis Jehu qui dixit velle ſe cultum Idoli Baal ſimulare ut ea ratione cultores in templo congregatos interficeret: *Si enim Jehu*, inquit, *quem ſibi inter cæteros ad exemplum mentiendi prudenter videntur intueri, ſervum Baalis ſe eſſe mentitus eſt, ut ſervos ejus occideret, quanto iſtius ſecundum illorum perverſitatem tempore perſecutionis ſervos dæmonum ſe mentirentur ſervi Chriſti, ne ſervi dæmonum ſervos occiderent Chriſti & ſacrificarent Idolis, ne interficerentur homines? ſi ſacrificavit ille Baali, ut interficeret homines? Quid enim eis obeſſet ſecundum egregiam doctrinam mendaciloquiorum, ſi diaboli*

cul-

cultum mentirentur in corpore, quando Dei cultus ſervabatur in corde? Dehinc S. Auguſtinus in hujus doctrinæ confirmationem adducit locum Apoſtoli jam ſupra laudatum: *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.*

Præterea nemo neſcit quanto ſtudio cautum fuit ab antiquis Conciliis, ne quis etiam ſimulando ſacrificaret Idolis, graves autem imponebantur pœnitentiæ ſacrificatis, hoc eſt, iis qui Idolis thus adoleverant metu mortis & ſuppliciorum; quamvis ut ipſi poſtea teſtabantur, in corde hæc idola deteſtarentur. Quibus accedit ratio jam in præcedenti concluſione adducta, quod nimirum talis ſimulatio in materia fidei & religionis grave eſt mendacium, ſi non in verbo ſaltem in facto, quoniam qui falſam religionem aliquo ſigno exteriori ſimulat, agit præter mentem; & aliter, ut ita dicam, loquitur quod in animo cogitat, quod verum eſt mendacium lege divina & naturali prohibitum.

Objicies: 4. Regum cap. 5. Propheta Eliſæus permiſit Naaman militiæ regis Syriæ principi per ſimulationem adorare Idolum in templo Remmon, nam hujus rei petitioni Naaman videtur acquieſcere Propheta his verbis, *vade in pace*. Igitur aliquando licitum eſt ſimulare falſam religionem.

Quidam Scripturæ Interpretes reſpondent, Naaman Syro hoc ſolum permiſiſſe Prophetam ut incurvaret ſe coram Idolo Remmon, quo tempore illud adorabat Rex Syriæ; incurvatio autem illa, inquiunt, erat tantum civilis & ad religionem minime pertinens. Reſpondent alii per illa verba, *vade in pace*, Eliſæum non approbare mentem & conſilium Naaman, quo nimirum volebat Idola Remmon adorare, ſed ei ſolum illud concedere per deſpectum, cum videlicet ab illo obtinere non poſſet, ut talem vitaret ſimulationem.

Objicies: 4. Regum cap. 10. cum Jehu ſimulaſſet velle ſe Idolo Baal ſacrificare, ut hujus Idoli cultores occideret; hanc ſimulationem approbavit ipſe Deus his nempe verbis verſu 30. *Quia ſtudioſe egiſti quod rectum erat & placebat in oculis meis, & omnia quæ erant in corde meo feciſti contra domum Achab, filii tui uſque ad quartam generationem ſedebunt ſuper Thronum Iſrael.* Igitur ſimulatio falſi cultus eſt aliquando licita.

Reſpondeo Deum in illo Jehu facto non approbaſſe ſimulationem qua finxit velle ſe adorare Baal, ſed obedientiam qua Deo ita jubente totam domum Achab interfecit. Ita S. Auguſtinus lib. 2. contra mendacium cap. 2. ubi ait Jehu non pro illa ſua ſimulatione, ſed *pro obedientia quam de domo Achab omnino delenda pro cupiditate ſuæ dominationis exhibuit, aliquantam mercedem tranſitoriam regni temporalis accepiſſe.* Unde ſequitur nihil colligi poſſe ex iſto argumento adverſus hanc noſtram ſententiam.

Objicies: Multis in locis docet S. Hieronymus licitum fuiſſe Chriſtianis paulo poſt Chriſti Mortem cæremonias legis Judaicæ per ſimulationem obſervare; unde ait id præſtitum fuiſſe ab ipſis Apoſtolis quanquam putet non ſolum mortuam ſed & mortiferam tunc fuiſſe ejuſmodi cæremoniarum obſervationem; ita ut nemo poſſet illas uſurpare ſerio ſine aliqua peccati labe: igitur ſimulatio in materia religionis non eſt ſemper illicita.

Reſpondeo vere quidem a S. Hieronymo propugnatam fuiſſe hanc ſententiam, ſed hunc ſanctum Doctorem vel nulli vel pauci hanc in parte ſequuntur Theologi. Nemo neſcit graviſſimam ſuper iſto negotio habitam olim fuiſſe contentionem Hieronymum inter & Auguſtinum, ſed hujus doctrinam amplectuntur omnes, quatenus contendit & mortiferam non fuiſſe ſtatim ab ipſa Chriſti Morte Judaicarum cæremoniarum obſervationem, & ſincero animo, non ficto,

non ſimulate eaſdem obſervaſſe Apoſtolos. Vide quæ a nobis dicta ſunt in tractatu de legibus, ubi utramque hanc quæſtionem ex profeſſo examinavimus.

Objicies: Illud non eſt malum & illicitum quod nulla lege prohibitum eſt: ſed ſimulatio falſæ religionis nulla prohibetur lege: quando nimirum fit in caſu ſupradicto: 1. enim non adverſatur præcepto quod prohibet mendacium, quia talis ſimulatio non eſt mendacium utpote cum ille qui falſam fidem ſimulat per aliquod ſignum externum, ſerio falſam hanc fidem non profiteatur, quam ſcilicet in corde ſuo deteſtatur. 2. Non eſt illa ſimulatio contra præceptum negativum prohibens negationem fidei; neque enim qui ſimulat v. g. Mahometiſmum, intendit Chriſtianam fidem negare. 3. Denique, non adverſatur præcepto charitatis erga proximum, quia ſupponitur nullum eſſe ſcandalum quod infirmos offendat, & a vera fide deterreat: igitur nullo titulo damnari poteſt ut illicita fidei falſæ ſimulatio.

Nego min. & dico ſimulationem falſæ religionis lege naturali & divina eſſe prohibitam, ſiquidem eſt de genere mendacii, ut ſupra diximus, quiſquis enim falſam religionem aliquo ſigno externo profitetur, fidem Catholicam retinens in corde, *diaboli cultum mentitur in corpore*, ut ait S. Auguſtinus loco mox citato, *quando Dei cultum ſervat in corde*. Serio quidem falſam fidem non profitetur, hoc eſt, illam non profitetur in animo & corde, ſed illam profitetur ſerio, hoc eſt exterius & non nimice; nimirum fatemur ritus externos alicujus falſæ religionis vel idololatrarum ſimulate uſurpari poſſe a Chriſtianis, ſi id fiat per jocum, ut hiſtriones agunt in theatris; tunc enim nulla eſſet fidei negatio, non proprie dicta ſimulatio, adeoque nullum mendacium. Sed ſi talis ſimulatio fiat ſerio, hoc eſt, ſi Chriſtianus exterius appareat & videatur ſerio, ſine joco agere, tametſi in corde hoc ipſum improbet quod agit, dubio procul a vero mendacio excuſari non poteſt. Deinde ſimulatio falſæ fidei non eſt quidem negatio fidei Chriſtianæ aperta & formalis, bene vero virtualis & interpretativa, non quæ fiat intus & corde, ſed quæ fit exterius & corpore. Denique nego talem ſimulationem non adverſari præcepto charitatis, quaſi nullum adſit ſcandalum quod offendat proximum ac præſertim infirmos, in ejuſmodi enim occaſionibus aut aliquod occurrit ſcandalum, aut ſaltem magnum ſcandali periculum.

Hinc ſequitur licere quandoque Catholico conventibus & concionibus hæreticorum intereſſe, quandoque vero id non eſſe licitum; ſcilicet illud licitum eſt, quando nullum occurrit ſcandalum, ut ſi quis vir doctus audiret Calviniſtas concionantes, neminem certe offenderet, quia religionem Calvini profiteri non crederetur, nec vel minima hac de re a quoquam haberetur ſuſpicio. At hoc ipſum quandoque licitum non eſt, puta ſi lex aliqua in regno lata fuiſſet obligans ad ejuſmodi conventus frequentandos, qui enim iis intereſſet, aperte ſignificaret ſe falſam religionem profiteri, quod utique non fieret ſine manifeſto ſcandalo.

Sequitur etiam ex eadem regula quandoque licitum eſſe proprias infidelium vel hæreticorum veſtes geſtare, aliquando vero id non eſſe licitum, quia nimirum aliquando, qui ejuſmodi veſtibus utitur, falſam religionem ſectari præſumitur, ut ſi illæ veſtes ſint ſigna per ſe inſtituta ad ſectarios hujus aut illius religionis falſæ indicandos; contra vero ſæpius veſtes ſunt tantummodo inſtitutæ ad nationes inter ſe diſtinguendas, nec ſpectant religionem.

Quæres quid agendum ſit Catholico inter infideles commoranti in commeſtione ciborum.

Reſpondet Martinus Grandin, eum, ſi in odium religionis cogatur comedere,

re, non poſſe id facere ſine peccato contra præceptum obligans ad confeſſionem fidei, unde Eleazarus mori maluit quam ſuillam comedere, 2. Machab. 6. cap. & S. Auguſtinus ait lib. de bono conjugali cap. 6. ſatius eſſe mori fame quam Idolothytis veſci. Et in alio caſu licitum eſſe in gravi periculo cibos ejuſmodi comedere, puta iis in locis ubi viget perſecutio adverſus Catholicos, quia cibi ſunt de ſe indifferentes ad falſam, ut veram religionem, & lex poſitiva cum graviſſimum imminet detrimentum non obligat.

An & quando obliget & præceptum affirmativum confitendi Fidem.

PRimo præceptum affirmativum confitendi fidem non obligat ſemper, & ut aiunt, pro ſemper, hoc eſt, pro omni tempore & ſingulis momentis; quia generatim loquendo hæc eſt ratio & natura præcepti affirmativi quod non obliget pro ſingulis momentis; neque enim vel ipſum præceptum amoris Dei obligat homines adſactus amoris Dei eliciendos quolibet vitæ inſtanti.

Secundo præceptum affirmativum confitendi ſuam fidem obligat aliquando & in certis occaſionibus. Legitur enim in Scripturis tanquam lex terminis affirmativis expreſſa, Rom. 10. *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Quod certe locum habere debet pro aliquo tempore.

Cum autem quæritur quonam præciſe tempore & in quo caſu hoc præceptum obliget, reſpondet S. Thomas talem fidei confeſſionem actualem neceſſariam eſſe in duplici caſu, nimirum quando defectu talis confeſſionis ſubſtrahitur honor Deo debitus, & quando aliqua tollitur proximo utilitas. Atque hoc utrumque debet intelligi non eo ſenſu quod actu fidem confiteri teneamur, quotieſcunque ex illa confeſſione aliquis Deo exhiberetur honor, & aliqua impenderetur proximo utilitas; ſic enim actualis confeſſio fidei foret neceſſaria quovis momento, quandoquidem hinc ſemper in Deum redundat honor & accedit proximo quædam utilitas, ſed ita demum res accipi debet quod fidei confeſſio neceſſaria ſit, quotieſcunque ex ejus omiſſione aliqua Deo irrogaretur injuria, vel aliquod detrimentum pateretur proximus.

Porro iſta regula, quæ cum judicio & prudentia applicari debet, utendum nobis eſt ad ſolvendas difficultates quæ ſuper iſto negotio proponi ſolent. Si quæratur v. g. an aliquis interrogatus de fide ſua circa aliquem articulum, teneatur fidem ſuam confiteri & explicare vel tacere poſſit tuta conſcientia, reſpondetur præfatam applicando regulam, hominem tacere non poſſe, ſed debere actu fidem ſuam explicare, ſi tacendo manifeſtet ſe errare in fide, quod contingeret ſi interrogaretur ab aliquo poteſtatem habente & in debitis circunſtantiis illum interrogante, tunc enim fidem ſuam negare cenſeretur, tunc Deo maximam irrogaret injuriam, & aſtantibus, ſi qui adeſſent, ſcandalum ingereret. Verum aliter ratiocinandum eſt, ſi quis de ſua fide interrogetur ſine legitima cauſa & ab aliquo poteſtatem interrogandi non habente, quia qui de fide ſua tacet & reſpondere negligit in illa occaſione non propterea putatur rectam non habere fidem, adeoque nec honor Deo debitus, nec utilitas proximo ſubſtrahitur.

Quæres utrum fidem negare cenſeatur qui fugit tempore perſecutionis.

Reſpondeo fugam in perſecutione non eſſe argumentum negationis fidei, nec de ſe malam & illicitam. 1. Quia fuit ab ipſo Chriſto præcepta, Matth. 10. cap. *Cum autem perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam.* 2. Quia exemplum hujuſce rationis agendi præbuerunt multi e SS. Patribus, Cyprianus, Athanaſius aliique prope innumeri præſules

ſanctiſſimi quotieſcunque perſecutiones graſſabantur in Eccleſia. 3. Quia videlicet fuga in perſecutione non eſt negationis fidei ſignum & indicium certiſſimum, quin potius inde contrarium maxime eluceſcit, qui enim non ægre ferret fidem ſuam abjurare, dubio procul is non fugeret.

Quanquam non liceat quandoque Paſtoribus fugere & Eccleſias ſuas deſerere temporibus perſecutionis, ut egregie ſcribit S. Auguſtinus Epiſt. 228. quæ eſt ad Honoratum: *Recolimus*, inquit, *verba Chriſti dicentis, Cum autem perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam; quis autem credat ita hoc Dominum fieri voluiſſe, ut neceſſario miniſterio, ſine quo vivere nequeunt, deſerantur greges, quos ſuo ſanguine comparavit? ..... Faciant ergo ſervi Chriſti, miniſtri verbi & ſacramenti ejus quod præcepit ſive permiſit. Fugiant omnino de civitate in civitatem, quando eorum quiſquam ſpecialiter a perſecutoribus quæritur, ut ab aliis qui non ita requiruntur, non deſeratur Eccleſia.... Hinc maxime probatur illa charitas quam Joannes Apoſtolus commendat dicens: Sicut Chriſtus animam ſuam pro nobis poſuit, ſic & nos debemus animas pro fratribus ponere..... Quicunque igitur iſto modo fugit, ut Eccleſiæ neceſſarium miniſterium illo fugiente non deſit, facit quod Dominus præcepit ſive permiſit... Qui autem ſic fugit ut gregi Chriſti ea, quibus ſpiritaliter vivit, alimenta ſubſtrahantur, mercenarius ille eſt qui videt lupum venientem & fugit, quoniam non eſt ei cura de ovibus.*

De vitiis Fidei oppoſitis.

Vitia fidei oppoſita ſunt: Infidelitas, Hæreſis, Apoſtaſia & Blaſphemia in Spiritum ſanctum, de quibus nonnulla ſigillatim explicanda ſunt.

De Infidelitate.

Infidelitas in genere eſt carentia fidei, quo ſenſu quiſquis fidem non habet, dicitur infidelis, & ita hæretici & Judæi cenſetur eſſe infideles. Infidelitas autem ſpecifice ſumpta eſt carentia fidei in illis qui fidem Chriſtianam nunquam ſuſceperunt, quo ſenſu Gentiles & Idololatræ dicuntur infideles.

Duplex vulgo diſtinguitur infidelitas, una quæ dicitur negativa, altera vero quæ dicitur poſitiva. Negativa, eſt carentia fidei in iis qui de fide nihil unquam audiverunt, quibus nunquam prædicatum eſt Chriſti Evangelium. Poſitiva autem eſt carentia fidei in iis quibus annunciatum eſt Evangelium, fidem tamen non ſuſceperunt.

His poſitis nonnulla hic controvertuntur inter Theologos. 1. Quæritur utrum infidelitas ſit peccatum. 2. Utrum liceat cum infidelibus communicare. 3. Utrum liceat cum illis de fidei noſtræ articulis diſputare. 4. Utrum tolerari debeant ritus infidelium. 5. Utrum principes infideles amittant dominium ſuum in ſubditos fideles. 6. Demum, utrum infideles cogi debeant ad fidem. De quibus ſigillatim agendum eſt.

Utrum Infidelitas ſit peccatum.

Conſtat apud omnes Theologos infidelitatem poſitivam eſſe peccatum: 1. Quia id aperte legitur in Scripturis, Marci 16. cap. *Qui non crediderit, condemnabitur*. Joan. 3. *qui credit in eum* Jeſum, *non judicatur; qui autem non credit, jam judicatus eſt*. Et ibidem verſu ultimo, *Qui autem incredulus eſt filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum*. 2. Quia infidelitas poſitiva eſt in iis quibus fides fuit annunciata, eam tamen non amplectuntur, vel per negligentiam vel per contemptum; ſed a peccato ejuſmodi homines excuſari non poſ-

Digitized by Google

poſſunt, peccant enim contra præceptum negativum fidei per totam vitam non profitendo fidem ſine qua impoſſibile eſt placere Deo: igitur infidelitas poſitiva peccatum eſt.

Verum quæſtio eſt de infidelitate negativa, an ſit peccatum proprie dictum in iis omnibus univerſim qui fide Chriſtiana carent, tametſi de Chriſto nihil unquam audiverint. Citatur ſuper ea re Adrianus, qui quodlibet. 4. art. 1. docuit ignorantiam eorum omnium quæ ad fidem pertinent, eſſe peccatum, quod nimirum ejuſmodi ignorantia eſt vincibilis in omni homine rationis compote. Contra quam ſententiam ſit

Conclusio.

Infidelitas negativa non eſt peccatum.

Probatur 1. ex Scripturis, nimirum Joan. 15. cap. ſic loquitur Chriſtus: *Si non veniſſem & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent*. Et paulo poſt, *nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo*. Quibus mirum in modum quadrant hæc S. Pauli verba, ad Romanos, cap. 10 *Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt, aut quomodo credent ei quem non audierunt, quomodo autem audient ſine prædicante? .... Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti*. Tota hæc doctrina rationi conſentanea maxime eſt, quæ videlicet in eo poſita eſt, quod fides ſecundum legem ordinariam non alia via ingeratur quam per auditum; non credunt homines niſi quod audierunt; unde ſequitur eos fidem habere non poſſe quibus nunquam annunciata fuit hæc fides, aliunde vero certum eſt in veris Theologiæ principiis hominem non peccare in eo quod cavere non poteſt; non peccant igitur infideles ſpeciali infidelitatis peccato, quod non credant fidei noſtræ articulos, de quibus nihil unquam audiverunt.

Probatur 2. ex S. Auguſtino qui Tractatu 89. in Joan. quæſtionem dedita opera expendens hæc ſcribit: *Sed quod adjunxit atque ait, (nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.) poteſt movere quærentes, utrum hi ad quos non venit Chriſtus, nec locutus eſt eis, habeant excuſationem de peccato ſuo. Si enim non habent, cur hic dictum eſt, propterea iſtos non habere quia venit & locutus eſt eis? Si autem habent, utrum ad hoc habeant ut a pœnis alienentur, an ut mitius puniantur? Ad hæc inquiſita pro meo captu, Domino donante, reſpondeo habere illos excuſationem non de omni peccato ſuo, ſed de hoc peccato quo in Chriſtum non crediderunt, ad quos non venit & quibus non eſt locutus*. Idem docet Epiſt. 194. his verbis: *Dicit etiam ipſe Dominus in Evangelio, Si non veniſſem & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo. Non utique peccatum nullum haberent qui pleni erant aliis magnis multiſque peccatis, ſed hoc peccatum vult intelligi eos habituros non fuiſſe, ſi non veniſſet, qui cum audiſſent eum, non crediderunt in eum*.

Hanc ſententiam amplexi ſunt plerique omnes Theologi duce S. Thoma qui 2. 2. quæſt. 10. art. 1. ſcribit infidelitatem negative ſumptam ſicut in illis qui nihil audierunt de fide, non habere rationem peccati ſed magis pœnæ, adeoque qui ſic infideles ſunt, damnari quidem propter alia peccata quæ ſine fide remitti non poſſunt, non autem propter infidelitatis peccatum, quod quidem probat S. Doctor ex autoritatibus mox adductis.

Et ratio eſt quia præceptum credendi non obligat niſi eos qui poſſunt credere, Deus enim impoſſibilia non jubet; ſed infideles non poſſunt ſaltem proxime credere fidei noſtræ myſteria, de quibus videlicet nihil unquam audiverunt, quia hæc myſteria nec per ſe nota ſunt nec in aliis veritatibus per ſe notis incluſa; ita ut ad eorum notitiam per-

Digitized by Google

pervenire poſſint infideles quacunque adhibita diligentia, ut ſupponimus ne minimam quidem notionem habent revelationis divinæ in aliqua orbis terrarum factæ, quin & nulla ratione induci poſſunt ad inveſtigandum & ſcrutandum, an ejuſmodi veritates, ut ſunt ſupernaturales & omnem humanæ mentis captum ſuperant, fuerint alicubi manifeſtatæ hominibus: igitur infidelitas negativa peccatum non eſt.

Conſule inſuper quæ diximus in Tractatu noſtro de Actibus humanis tom. 5. pag. 262. ubi multis oſtendimus ignorantiam invincibilem juris poſitivi excuſare a peccato.

Objicies: Supponitur in hac ſententia dari in multis infidelibus ignorantiam invincibilem myſteriorum noſtræ fidei: atqui hoc falſum eſt, præſertim ſi ſermo ſit de iis infidelibus qui vixerunt poſt Evangelii promulgationem, uti maniſte ſignificat Apoſtolus, ad Romanos cap. 10. ubi poſtquam dixit credere neminem poſſe ſine prædicante: *Quomodo credent ei quem non audierunt, quomodo autem audient ſine prædicante?* ſubdit illico, *ſed dico, nunquid non audierunt, & quidem in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*. His verbis indicans neminem inter fideles ignorantiam Evangelii invincibilem prætendere nunc poſſe poſt Apoſtolorum prædicationem, qui videlicet in omnem terram diſperſi ſunt.

In hujus rei confirmationem adduci merito poteſt, quod ſcribit S. Auguſtinus lib. de gratia & libero arbitrio cap. 3. *Nec tamen ideo*, inquit, *confugiendum eſt ad ignorantiæ tenebras, ut in eis quiſque requirat excuſationem. Aliud eſt enim neſcire, aliud ſcire noluiſſe .... ſed & illa ignorantia quæ non eſt eorum quæ ſcire nolunt, ſed eorum qui tanquam ſimpliciter neſciunt, neminem ſic excuſat, ut ſempiterno igne non ardeat, ſi propterea non credidit, quia non audivit omnino quid crederet, ſed fortaſſe ut mitius ardeat*. Si enim infideles infidelitate negativa laborantes, mitius ardebunt in mente S. Auguſtini, conſequenter neceſſe eſt infidelitatem negativam eſſe peccatum.

Nego min. In illis enim infidelibus qui nihil unquam in fide & vera religione audierunt, talis eſt ignorantia fidei articulorum, ut eam nullo humano modo, nulla prorſus diligentia poſſint vincere; tum quia de illa fide noſtra ne minimam habent notitiam, imo nec quidquam ſuſpicari poſſunt; tum quia, ſi qua de veritate religionis in eorum animis oboriretur dubitatio, neminem habent a quo erudiri poſſent. Certe juxta doctrinam adverſariorum idcirco infidelitate negativa laborare non poſſunt infideles, poſtquam nimirum Apoſtoli in omnem terram diſperſi ſunt, quia hoc pacto fides Chriſti ipſis fuit annunciata; ſed poſt prædicationem Apoſtolorum dubio procul extant innumeræ gentes quibus nunquam annunciata fuit fides, & quia ſingulas orbis partes nulla excepta non peragrarunt Apoſtoli, & quia religio dudum oblivioni tradita eſt in multis regionibus, in quibus olim annuntiata fuit & ſuſcepta: igitur in illis infidelibus ignorantia myſteriorum fidei noſtræ eſt invicibilis.

Neque vero contrarium docet S. Paulus in loco quem objiciunt; non docet, inquam, abſolute loquendo Evangelium apud omnes & ſingulas univerſi orbis gentes fuiſſe annunciatum; falſa enim fuiſſet hæc propoſitio tam ſtricte ſumpta, ſaltem quo tempore ſcribebat Apoſtolus hanc Epiſtolam ad Romanos, ſed ita demum id intelligi debet, quod jam ad multas mundi plagas pervenerat Chriſti fides, ut interpretatur S. Auguſtinus lib. de natura & gratia cap. 2.

Quod autem ſpectat locum ex eodem Auguſtino laudatum in objectione. Reſpondeo verum eſſe quod ait S. Doctor infideles in infidelitate negativa decedentes, minus puniendos quam alios infideles,

deles; ſed non inde ſequitur illos propter illam infidelitatem præciſe & quia non crediderunt in Chriſtum de quo nihil audiverant, puniendos; quaſi infidelitas negativa per ſe ſit proprie peccatum; quid ſuper hoc negotio ſenſerit S. Auguſtinus, manifeſte declarat in Tractatu 89. in Joan. ubi ex profeſſo quæſtionem diſcutit, tum & in Epiſtola 194. ſuperius citata.

Objicies: Cum præceptum fidei Evangelicæ ad omnes omnino homines pertineat, nemo eſt rationis compos qui non teneatur credere omnes fidei articulos: ergo quicunque non credit peccat, ac proinde infidelitas negativa eſt peccatum.

Diſt. ant. Qui non teneatur credere, ſi credendorum habeat, vel adhibita quacunque poſſibili diligentia poſſit habere notitiam, C. ſecus, N. Scilicet præceptum fidei eos tantum obligat a quibus cognoſcitur & cognoſci poteſt juxta hæc Moralis Chriſtianæ principia, omne peccatum actuale debet eſſe voluntarium, nemo peccat in eo quod caveri non poteſt: ſed infideles apud quos nunquam annunciata fuit Chriſti fides, nullam habent nec modo quocunque humano habere poſſunt notitiam fidei; quomodo enim, inquit Apoſtolus, credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Igitur non peccant eo præciſe quod in Chriſtum non credunt.

Inſtabis: Etſi ejuſmodi infideles non poſſint per miniſterium hominum notam habere fidem, quandoquidem nemo apud illos prædicavit Evangelium; hoc idem tamen poteſt mediante auxilio gratiæ quæ nemini deeſt, & quam Deus ipſis infidelibus impertiret, ſi recte viverent ſecundum legis naturæ præcepta: ſed hoc poſito infideles illi non ignorant invincibiliter fidei noſtræ myſteria; ignorantia enim non eſt invincibilis quando aliquo modo depelli poteſt: ergo ignorantia infidelium non eſt invincibilis.

Reſpondeo, tametſi abſolute loquendo Deus poſſit extraordinarie agendo, vel per ſingularem quandam inſpirationem, vel per Angeli miniſterium, infideles de fide Chriſtiana inſtruere; tamen ignorantiam qua laborant ordinarie & deficiente illa extraordinaria fidei revelatione, cenſeri non debere vincibilem. Siquidem ignorantia vincibilis quæ in culpam deputatur, eſt ea quæ omni moraliter loquendo diligentia adhibita vinci poteſt, non autem ea quæ abſolute per Dei potentiam & adhibito miraculo depelli poſſet; aliter nulla eſſet ignorantia invincibilis nec juris divini & humani nec facti, nullum quippe eſt jus divinum & humanum, nullumque factum in quocunque rerum genere, cujus notitiam habere non poſſimus Deo volente per miraculum & extraordinarie agendo, v. g. mittendo Angelum ea revelare: ſed vulgatus ſermo eſt apud Theologos hominem quandoque laborare ignorantia invincibili juris præſertim poſitivi divini & humani tum etiam ignorantia invincibili facti: igitur in præfato caſu ignorantia fidei in infidelibus infidelitate negativa laborantibus eſt plane invincibilis, quanquam abſolute loquendo per miraculum & omnipotentiam Dei vinci poſſet.

Inſtabis: Si infideles qui non credunt in Chriſtum, a peccato infidelitatis excuſarentur, maxime propter defectum revelationis & propoſitionis fidei articulorum: ſed propterea non excuſantur a peccato, quia generatim loquendo pœna peccati eſt & ſimul peccatum & non excuſat a peccato: atqui talis defectus eſt pœna peccati in infidelibus, nimirum & peccati primi parentis, & propriorum peccatorum propter quæ Deus vult illos privari fide neceſſaria ad ſalutem, & itidem gratia qua poſſent ejuſmodi fidem conſequi: ergo non poſſunt infideles a peccato excuſari.

Nego min. quia, ut jam dixi, omne peccatum actuale debet eſſe voluntarium.

Ad

Ad probationem autem dico pœnam peccati quandoque peccatum eſſe, quandoque vero peccatum non eſſe, videlicet, peccatum eſt quando voluntaria eſt, ut homicidium ab homine ebrio admiſſum, aliquo modo voluntarium eſt in ſua cauſa, quia homo prævidere potuit antequam ebrius eſſet futurum fortaſſe ut homicidium committeret ſi foret ebrius; ſed pœna peccati peccatum non eſt quando non eſt voluntaria, uti contingit in præſenti caſu, infideles enim apud quos nunquam annunciatum fuit Chriſti Evangelium, ignorant præceptum credendi ignorantia nequaquam voluntaria, qui ſcire nec divinare poſſunt ex peccatis quæ contra legem naturalem committunt ſequi ignorantiam fidei velut pœnam ſibi propter illa peccata inflictam, quo fit ut ejuſmodi pœna non ſit illis voluntaria.

Utrum liceat cum Infidelibus communicare.

NOtandum primo ejuſmodi communicationem vel intelligi ratione eorum quæ non pertinent ad religionem, ut ſi quæratur, an liceat cum infidelibus converſari, manducare, deambulare; vel ratione eorum quæ ad religionem attinent, an liceat v. g. vendere infideli veſtem ſacerdotalem aut aliud quod ad illius cultum ſuperſtitioſum maxime accommodatum ſit.

Notandum 2. communicari poſſe cum infidelibus in materia quæ pertineat ad religionem, vel directe vel indirecte; directe quidem, ut ſi quis intereſſet ſacrificio Idololatrarum; vel indirecte, ut ſi quis venderet alicui infideli lignum ad fabricandum idolum, aut oleum ad peragendum aliquod ſacrificium. Ubi & notabis id quod indirecte ordinatur ad falſam infidelium religionem, vel ad illam ordinari per ſe & ex natura ſua quod moraliter loquendo nullum alium habeat finem & nulli alteri uſui ſit; vel ad illam ordinari tantum per accidens & ex libera voluntate ipſius infidelis, quibus poſitis hæc de propoſita difficultate ſtatuimus.

Dico 1. licitum eſſe comunicare cum infidelibus in iis quæ ad religionem eorum non pertinent, v. g. in convictu, uti expreſſe docet S. Paulus 1. ad Corint. cap. 10. his verbis: *Si quis vocat vos infidelium & vultis ire*, id eſt vocat vos ad cœnam aut prandium, *omne quod vobis apponitur, manducate; nihil interrogantes propter conſcientiam.*

Obſervant tamen Theologi non ita facile communicandum eſſe cum hæreticis, quando publice & nominatim fuerunt denunciati; juxta Extravagantem *ad evitanda ſcandala* ſunt omnino vitandi. Attamen fatendum eſt hanc legem non ſemper ubique & eodem modo viguiſſe in Eccleſia; ratio haberi debet locorum & temporum.

Similiter multis legibus quæ in jure Canonico leguntur, cautum fuit ne Chriſtiani cum Judæis communicarent, etiam in rebus politicis quæ ad religionem non attinent. Verum in rigore non ſolent obſervari ejuſmodi leges quæ per contrariam conſuetudinem in diverſis locis & temporibus immutatæ ſunt.

Dico 2. id non eſſe licitum, ſi quod inde oriretur ſcandalum; ut ibidem ſignificat Apoſtolus. *Si quis autem dixerit, hoc immolatum eſt Idolis, nolite manducare propter illum qui indicavit & propter conſcientiam*, hoc eſt, propter ſcandalum quod paterentur aſſiſtentes, eo quod putarent eum diabolo mancipatum qui manducat Idolothyta ſeu cibos Idolis ſacrificatos. Addit enim verbis immediate ſequentibus: *Conſcientiam autem dico non tuam, ſed alterius.* Igitur ſi metus ſit ſcandali, non licet Chriſtianis communicare cum Infidelibus etiam in iis vitæ actionibus quæ mere politicæ ſunt & ad ipſam infidelitatem non pertinent.

Dico 3. Non licet communicare dire-

ćte

ſtc cum infidelibus in iis quæ religionem eorum ſpectant, illis v. g. ſuppeditando res quibus conſtaret eos eſſe uſuros ad cultum ſuperſtitioſum; ut ſi quis infideli venderet lignum ad fabricandum Idolum, vel Judæo Agnum ad celebrandum Paſcha. Siquidem non licet cooperari ad actionem de ſe malam & illicitam: atqui in iſta hypotheſi Chriſtianus cooperaretur ad actionem de ſe & ex natura ſua malam; ſubminiſtraret enim res ad falſum idololatriæ cultum de ſe deſtinatas: igitur non licet commercium habere cum infidelibus in ejuſmodi rebus quæ ad eorum religionem pertinent. Unde Apoſtolus 2. ad Corint. cap. 6. *Nolite jugum ducere cum infidelibus, quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate, aut quæ ſocietas luci ad tenebras? .... propter quod exite de medio eorum & ſeparamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis.*

Et Tertullianus lib. de idololatria cap. 6. *Potes*, inquit, *lingua negare quod manu confiteris, verbo deſtruere quod facto ſtruis? Immo tu colis qui facis ut coli poſſint; colis autem non ſpiritu viliſſimi nidoris alicujus, ſed tuo proprio, nec anima pecudis impenſa, ſed anima tua illis ingenium tuum immolas, illis ſudorem tuum libas, illis prudentiam tuam accendis, plus es illis quam Sacerdos, cum per te habeant Sacerdotem.* Quibus verbis mirum in modum exprimitur quid peccent & quantum idololatriæ faveant qui Idola infidelibus fabricant.

Quod ſi res quæ ſuppeditarentur infidelibus, per ſe & ex natura ſua non ordinarentur ad aliquem uſum ſuperſtitioſum, ſed indifferentes eſſent ad hunc vel illum uſum, non viderentur peccare Chriſtiani eas ſubminiſtrando in illo caſu, quod quidem vocant communicare cum infidelibus indirecte, ſi quis v. g. ipſis venderet lignum quod de ſe indifferens eſt ut ex eo fiat Idolum, vel ſcamnum, non peccaret Chriſtianus agens aliunde & cum recta intentione, tametſi hoc ligno uſus fuiſſet infidelis ad fabricandum Idolum, quia nimirum infideli non cooperatur ad actionem de ſe malam.

An liceat cum Infidelibus diſputare.

QUod ſpectat diſputationem publicam Chriſtianorum cum infidelibus, utrum nempe ſit licita vel expediat, apparet ex diverſa Eccleſiæ praxi aliter & aliter ſuper iſto negotio judicandum eſſe ſecundum varias temporum, loci & perſonarum circumſtantias.

Ac primo licitum non videtur laicis diſputare de rebus fidei cum infidelibus, uti nec cum hæreticis, quia nimirum id expreſſe prohibetur in jure canonico ſub pœna excommunicationis cap. *quicunque*. Tum vero quia cum laici fere omnes ſint indocti & illiterati, magnum eſſet periculum ſubverſionis fidei, maxime cum infideles & hæretici in ejuſmodi diſputationibus ſemper provocent ad Scripturas quas falſis verſionibus & interpretationibus contorquent; qua quidem in re Chriſtianos laicos vel etiam aſtantes facile deciperent & in erroribus ſuis irretirent. Porro hæc prohibitio non cadit modo in laicos indoctos, ſed etiam in doctiores, ſi qui forent ex laicis, quia leges reſpiciunt caſus ordinarios, & intelligi debent ſecundum id quod evenerit ut plurimum.

His conſonant quæ ſcribit S. Paulus ad Titum, cap. 2. *Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem devita.* Hoc enim præcepto abunde inſinuat Apoſtolus non eſſe cum hæreticis diſputandum, quandoquidem vitandi ſunt; non ait, poſt unam aut alteram diſputationem ſed poſt correptionem.

Secundo, licitum eſt Paſtoribus, ac præſertim ſi ſint docti & litterati, publicis diſputationibus certare cum infidelibus & hæreticis propter rationes oppoſitas, quia videlicet ejuſmodi diſputationes in publicam utilitatem vergere poſſunt.

Quatenus infideles aliquando veritate eognita convertuntur ad fidem Chriſtianam, & in ipſis etiam fidelibus augetur hoc pacto & roboratur fides. Eamobrem S. Paulus hortatur Titum cap. 1. Epiſtolæ ad eam ſibi comparandam doctrinam qua poſſit alios contradicentes arguere, hoc eſt, adverſus hæreticos diſputare: *Oportet*, inquit, *Epiſcopum ſine crimine eſſe .... amplectentem eum qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere*. Hujus rei exemplum præbuerat ipſe Apoſtolus de quo dicitur Actuum 9. cap. *loquebatur quoque Gentibus & diſputabat cum Græcis*.

Id tamen prudenter & cum diſcretione in certis circunſtantiis præſtandum eſt: niſi enim per tales diſputationes publicum procuretur bonum ſi quod timendum ſit fidei ſubvertendæ periculum, ut contingit quando is qui diſputat ſufficienti doctrina & eruditione non eſt præditus; vel quando habentur illæ diſputationes coram ſimplicibus & indoctis; vel denique quando certamen initur cum aliquo infideli vel hæretico in rebus divinis verſatiſſimo, dubio procul in iſtis circunſtantiis ab omni publica diſputatione abſtinendum eſt.

Utrum tolerari debeant Ritus Infidelium.

QUæſtio eſt, utrum Principes Chriſtiani, penes quos reſidet ſuprema poteſtas in aliquo Imperio vel ſæcularis, vel Eccleſiaſtica, licite poſſint vel teneantur tolerare ritus ſuperſtitioſos infidelium. Quæſtio autem inſtitui poteſt vel de infidelibus ſubditis illorum Principum, vel de infidelibus minime ſubditis.

Dico primo tolerandos eſſe ritus eorum infidelium, qui Chriſtianorum Principum poteſtati ſubjecti non ſunt, ſiquidem nulla ſuppetit ratio, nullum fundamentum legitimum coercendi hac in parte infideles; ſi qua enim eſſet ratio, maxime quia infideles ejuſmodi ritus idololatricos obſervando Deo injuriam faciunt, & graviſſima peccata committunt: ſed in hoc eos reprimere non tenentur, nec debent Principes Chriſtiani, cum peculiaris hæc cura ipſis non incumbat juxta hoc S. Pauli effatum 1. ad Corint. c. 5. *Quid enim mihi de iis qui foris ſunt, judicare?* Præterquamquod non magis Principes Chriſtiani ſævire poſſunt in infideles ſibi non ſubditos propter peccatum infidelitatis, eo quod graviſſimum eſt & Deo magnam infert injuriam, quam propter alia peccata mortalia, ut adulterium, homicidium &c. ſed nec tenentur, nec debent Principes Chriſtiani agere in infideles ſibi non ſubditos propter peccata, quæ committunt in legem naturæ, puta homicidium & adulterium; inde enim magna ſequerentur incommoda, perpetuæ forent in regnis & inter populos diſſenſiones, infinita bella; igitur.

Dico ſecundo, tolerari etiam aliquando poſſe a Principibus Chriſtianis ritus infidelium ſubditorum, ſi nimirum id poſtulet Eccleſiæ utilitas, exempli gratia, ſi per ejuſmodi tolerantiam majus vitaretur malum, qualis eſſet manifeſta totius Reipublicæ perturbatio, tum vero ſi inde ſperari merito poſſet illorum converſio per aliquod tempus procraſtinando, ſic enim ipſemet Deus ſe gerit multa mala permittendo propter majus bonum, vel ne malum pejus accidat.

Dico tertio, ritus infidelium ſubditorum impediri merito poſſe his ſublatis circumſtantiis. Et ratio eſt, quia Principes poſſunt legitime impedire in ſuo imperio ne publica fiat perturbatio: tenetur quantum in ipſo eſt publicam pacem procurare. Nemo autem neſcit manifeſtum imminere periculum bellorum inter populos, vel ſubverſionis fidei pro Chriſtianis, ſi licita ſit infidelibus rituum ſuperſtitioſorum obſervatio, uti & ſi diverſarum religionum ab hæreticis fiat profeſſio: igitur & infideles ſubditos & hæreticos impedire poteſt Princeps Chriſtianus, ne ritus ſuperſtitioſos obſervent.

Diſputant inter ſe Theologi utrum liceat Principibus Chriſtianis terras infide-

Digitized by Google

lium invadere aperto marte, eo præciſe quod infideles ſunt. Quæſtio hæc in utramque partem defenditur referente Valentia, ſcilicet hoc eſſe licitum ſenſerunt Hoſtienſis in capitulo *quod ſuper his*, Panormitanus ibidem, Alvarus Pelagius l. 1. de planctu Eccleſiæ cap. 37. Joan. Major. in 2. Sent. diſt. 44. q. 3. Sepulveda, Bannes, S. Antoninus, Sylveſter, & Alphonſus a Caſtro.

Contraria tamen ſententia communiter traditur in ſcholis. Et ratio eſt, quia infideles eo ſolum nomine quod infideles ſunt, ſuarum rerum dominium non amiſerunt, nec Chriſtianæ religionis profeſſio jus tribuit Principibus illos per vim ſpoliandi, ut aperte colligitur ex Scripturis, Daniel cap. 2. ſuæ Prophetiæ ſic alloquitur Regem Nabuchodonoſor: *Tu Rex Regum es, & Deus cæli, regnum & fortitudinem & imperium & gloriam dedit tibi, & omnia in quibus habitant filii hominum & beſtiæ agri, volucres quoque cæli dedit in manu tua, & ſub ditione tua univerſa conſtituit.* Item Chriſtus Dominus ait Matth. 22. *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari.* Et Lucæ 22. *Reges gentium dominantur eorum.*

In hunc ſenſum docet S. Auguſtin. ſermone 62. olim 6. de verbis Domini, licitum non eſſe vi & armis ſævire in idololatras niſi ab illis Principibus, ſub quorum poteſtate ſunt. Sic habet cap. 11. *Verbis ipſorum ne credatis, nec timeatis. Hoſtes non dicunt Idolorum ſuorum. Sic præſtet Deus, & det omnia in poteſtate, quomodo dedit quod fractum eſt. Hoc enim dicimus charitati veſtræ, ne faciatis iſta, quando in poteſtate veſtra non eſt, ut faciatis illud. Pravorum hominum eſt, furioſorum Circumcellionum, & ubi poteſtatem non habent ſævire & velle mori properant ſine cauſa. Audiſtis quæ vobis legimus omnes qui nuper in Mappalibus adfuiſtis, cum data vobis fuerit terra in poteſtatem; prius ait, in poteſtatem, & ſic dixit quæ facienda ſunt, aras eorum*, inquit, *deſtruetis, lucos eorum comminuetis, & omnes titulos eorum confringetis. Cum acceperitis poteſtatem hoc facite, ubi nobis non eſt data poteſtas, non facimus; ubi data eſt, non prætermittimus. Multi Pagani habent iſtas abominationes in fundis ſuis, numquid accedimus & confringimus? Prius enim agimus ut Idola in eorum corde frangamus.*

Quibus adde Concilium Conſtantienſe hanc Wiclephi damnaſſe propoſitionem: *Nullus eſt Dominus civilis dum eſt in peccato mortali.* Unde ſequitur neminem inter infideles, eo præciſe qui infidelis eſt, amittere dominium temporale in ſua bona; Concilium enim loquitur de quolibet peccato in genere, nulla adhibita diſtinctione infidelitatis ab aliis peccatis mortalibus.

Et certe ſi penes Principes Chriſtianos eſſet, bellum inferre infidelibus, quod per cultum idololatricum magnam Deo faciunt injuriam, eadem ratione poſſent etiam jure belli ſpoliare alios Chriſtianos propter graviſſima peccata, propter homicidia, adulteria & alia id genus, quæ contra Deum ipſum committuntur; abſurdum conſequens, totus enim orbis continuò per bella infeſtaretur, nullum eſſet regnum quod alteri bellum non poſſet legitime inferre. Præterquamquod, tametſi jus iſtud diceretur reſtringendum ad ſolos infideles, cum Chriſtiani in mente aliorum puta Mahometanorum reputentur infideles & barbari, cum idololatriæ accuſentur a Judæis, poterunt eodem fundamento ditionibus ſuis ſpoliari ab illis hominibus qui putabunt obſequium præſtare ſe Deo latam a Chriſtianis injuriam ulciſcentes; quapropter longe magis rationi conſentaneum eſt affirmare infideles non eſſe oppugnandos eo ſolum nomine quod ſunt infideles.

Neque eſt quod dicatur ejuſmodi bellum Dei ipſius autoritate & teſtimonio ſolemniter fuiſſe approbatum, quando præcipit Iſraelitis ut gentilium terras invadant, Deuteron. 12. cap. *Subvertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes quas poſſeſſuri eſtis, deos ſuos ſuper montes excelſos & colles, & ſuper omne lignum fron-*

Digitized by Google

doſum. Diſſipate aras eorum & confringite ſtatuas, lucos igne comburite &c. Siquidem quod Deus ex peculiari ſua voluntate & abſoluta autoritate juſſit in certis occaſionibus, volens injurias ſibi factas vindicare, non debet trahi in exemplum, quaſi cuilibet Principi ſub prætextu religionis idem licite fieri poſſit.

Cæterum jam monuimus hanc ſententiam ſolummodo veram eſſe de infidelibus præciſe ſpectatis ut infideles ſunt, & ita ut non debeat ipſis bellum inferri propter infidelitatem; ſi enim ſint infideles Apoſtatæ, ſi terras occupent quæ legitimo jure pertineant ad Principes Chriſtianos, ſi denique quibusdam injuriis illos afficiant, aliter omnino ratiocinandum eſt.

Utrum Principes infideles ſuum ſervent dominium in ſubditos Fideles.

DIco Principes infideles dominium habere in ſubditos Chriſtianos, ſeu iſti ſemper fuerint fideles, ſeu recens ad fidem fuerint converſi.

Nititur concluſio his apud nos certiſſimis principiis quibus conſtat Eccleſiam non habere poteſtatem in temporalia Regum, uti alibi invicte demonſtrabimus; ſi enim Principes infideles dominium amitterent ſuum in eos ſubditos qui convertuntur ad fidem, id ſolum accideret, eo quod Eccleſia infideles privaret hoc ſuo dominio, quod omnino temporale eſt. Antecedens autem patet manifeſte ex iis Scripturæ locis jam in præcedenti concluſione adductis, ubi Chriſtus Dominus id expreſſe ſignificat, Matth. 22. cap. *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari.* Et S. Petrus 1. Epiſt. cap. 2. *Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum ſive Regi quaſi præcellenti, ſive Ducibus tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum ...... Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, Regem honorificate, ſervi ſubditi eſtote in omni timore dominis, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis.* Item S. Paulus ad Rom. cap. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non eſt enim poteſtas niſi a Deo, quæ autem ſunt, a Deo ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit; qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. Nam Principes non ſunt timori boni operis ſed mali ...... Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.* Ambo Apoſtoli alloquuntur fideles, ipſiſque præcipiunt, ut ſubditi ſint ſuis Dominis & Regibus ſolvendo tributa & vectigalia, Regibus, inquam, infidelibus, tunc enim nullus adhuc Princeps ſæcularis fidem Chriſtianam ſuſceperat.

Unde S. Auguſtinus in hunc verſiculum Pſal. 124. *Non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum,* hæc ſcribit, *non vult te facere ſuperbum Chriſtus, contigit tibi ut Chriſtianus efficereris & haberes Dominum hominem, non ideo Chriſtianus factus eſt, ut dedigneris ſervire ...... O quantum debent divites Chriſto qui illis componit domum, ut ſi fuit ibi ſervus infidelis, convertat illum Chriſtus & non ei dicat, dimitte Dominum tuum, jam cognoviſti eum qui verus eſt Dominus; ille forte impius eſt & iniquus, tu jam fidelis & juſtus, indignum & ut juſtus & fidelis ſerviat iniquo & infideli. Non hoc ei dixit, ſed ut magis ſerviat.* Quæ quidem S. Doctoris verba mirum in modum hanc ſententiam aſtruunt.

An liceat Infideles cogere ad Fidem amplectendam.

INfideles vel ſunt Infantes vel adulti, de infantibus hic nulla erit quæſtio, videbimus enim in Tractatu de Baptiſmo, utrum infantes infideles licite baptizari poſſint invitis parentibus. Unde ſupereſt non agendum de adultis, & quæritur utrum licite & prudenter cogi poſſint ab Eccleſia & Principibus Chriſtianis ad fidem amplectendam.

Certum eſt eos infideles cogi poſſe ad fidem ſuſcipiendam, ſi prius fuerint bapti-

pti-

Digitized by Google

ptizati, fidemque Chriſtianam fuerint profeſſi, quales nimirum ſunt Hæretici & Apoſtatæ. Eſt enim rationi naturali maxime conſentaneum, Eccleſiam jus habere & poteſtatem in eos qui fuerunt ejus filii eique eatenus ſubjecti; ita ut tanquam deſertores & rebelles haberi poſſint: ſed tales ſunt Hæretici & Apoſtatæ qui fidem in Baptiſmo ſuſceptam deſeruerunt, matrem habuerunt Eccleſiam, e cujus ſinu tanquam perduelles egreſſi ſunt: legi poteſt ſuper ea re quod ſcribit S. Auguſtinus in Epiſtola 93. ad Vincentium & 185. ad Bonifacium Comitem, ubi ex profeſſo oſtendit leges Principum recte implorari poſſe ab Eccleſia adverſus hæreticos qui vi & armis compellantur ad fidem, modo id fiat non ſtudio vindicandi, ſed animo corrigendi. Difficultas itaque proponitur de illis infidelibus qui fidem Chriſtianam nunquam profeſſi ſunt, quales Mahometani & Idololatræ.

CONCLUSIO.

Infideles adulti cogi non debent ad fidem ſuſcipiendam; hæcque aſſertio intelligi debet de omnibus infidelibus, etiam de iis qui ſunt alioquin ſubditi Principibus Chriſtianis. Id aperte colligitur ex Scripturis ubi legimus Chriſtum non aliam viam præſcripſiſſe Apoſtolis ad fidem perſuadendam quam prædicationem verbi & doctrinam, Matth. 28. *Docete omnes gentes*. Et Marci ultimo, *Prædicate Evangelium*. Nullibi vero ait adverſus pervicaces vim eſſe adhibendam, quin potius amice admonet Apoſtolos futurum ut perſecutionem patiantur: *Ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos*. Juberque, ſi contingat eos reſiſtere quibus prædicaturi ſunt Evangelium, nihil ipſis aliud eſſe præſtandum, quam ut excutiant pulverem de pedibus ſuis & in aliam civitatem abeant, Lucæ 10. *In quamcumque autem civitatem intraveritis, & non ſuſceperint vos, exeuntes in plateas ejus, dicite: Etiam pulverem, qui adhæſit nobis de civitate veſtra, extergimus in vos: tamen hoc ſcitote, quia appropinquavit regnum Dei*. Unde patet per vim & metum, bello & armis infideles cogi non debere ad fidem.

Et ratio eſt quia, ut jam diximus, Eccleſia non habet ullam poteſtatem in eos homines qui ad ipſam nullo titulo pertinent nec unquam pertinuerunt: *Quid enim*, inquit Apoſtolus 1. ad Corint. cap. 5. *mihi de iis qui foris ſunt judicare?* ſed infideles nunquam pertinuerunt, & nullo nomine pertinent ad Eccleſiam; igitur.

Omitto ad probandam iſtam ſententiam quaſdam adducere rationes quibus paſſim utuntur nonnulli Theologi. Non debent, inquiunt, per vim & metum infideles adigi ad fidem ſuſcipiendam, quia credere voluntatis eſt. Secundo quod eſt ſupra rationem & naturalem hominis captum, debet libero voluntatis arbitrio relinqui. Tertio, quia manifeſtum eſt inde multa committi ſacrilegia ab ejuſmodi infidelibus qui per vim & metum coguntur ad Sacramenta accedere. Omitto, inquam, hæc uſurpare momenta, quia nimium ex iis probaretur: nimirum, ut nemo non videt, ſequeretur nec hæreticos debere ad fidem compelli, quod non pertendunt hujus noſtræ ſententiæ aſſertores.

Objicies: Licitum eſſe per vim compellere ad fidem aperte ſignificatur his verbis Patrisfamilias quæ leguntur Lucæ 14. *Exi in vias & ſepes & compelle intrare ut impleatur domus mea*. Igitur.

Diſt. ant. Compelle intrare per verbi divini prædicationem, per exhortationes & doctrinam, C. per vim & arma, N. nihil certe impedit quominus hoc ſenſu interpretemur verba Patrisfamilias qui hoc loco mittit ſervos ſuos qui ad magnam cœnam adduci jubeant convivas; quilibet enim alius agendi modus eſt omnino alienus ab inſtituto & mente Chriſti Domini & Apoſtolorum, qui ſub nominibus Patrisfamilias & ſervorum ibi deſignantur. Præterquamquod S. Auguſtinus in

Epi-

Epiſtola ſuperius citata quæ eſt 185. ad Bonifacium, eos qui compelluntur intrare, explicat de hæreticis & ſchiſmaticis: *Quapropter*, inquit cap. 6. *ſi poteſtate quam per religionem ac fidem Regum, tempore quo debuit, divino munere accepit Eccleſia, hi qui inveniuntur in viis & ſepibus, id eſt, in hæreſibus & ſchiſmatibus, coguntur intrare, non quia coguntur reprehendant, ſed quo cogantur attendant.*

Objicies, hanc eſſe Dei ipſius methodum, ut nonnunquam homines per metum & terrores compellat ad fidem ſuſcipiendam, manifeſte colligitur ex divi Pauli exemplo, cujus converſionem legimus Act. 9. cap. cum enim Dominus ei apparuiſſet cecidit in terram; & ut ait. Scriptura: *Tremens ac ſtupens dixit*, *Domine quid me vis facere?* Igitur & Principibus Chriſtianis licitum eſſe videtur infideles per vim & metum ad fidem cogere.

Reſpondeo ejuſmodi exempla prorſus inſolita in exemplum trahi non debere, præſertim cum Chriſtus parem agendi modum nullibi præſcripſerit Apoſtolis quos ad fidem ſuam ubique terrarum prædicandam miſit. Deinde cum Deus in illis caſibus extraordinariis metum incuſſit quibuſdam hominibus, penes ipſum fuit, eoſdem ſic ad fidem trahere ut voluntarie & libere per gratiam victricem determinarentur, quod præſtare non poſſent Principes Chriſtiani quando metum incuterent Infidelibus. Neque vero adverſus hanc noſtram ſententiam adduci debet prodigioſa S. Pauli converſio, quia tametſi dicamus infideles non eſſe ad fidem bello & armis compellendos, putamus tamen eoſdem merito reprimi poſſe, cum apertis perſecutionibus ſæviunt in Chriſtianam religionem, licet enim juxta legis naturalis dictamen vim vi repellere.

Objicies: E duobus malis ſeligendum eſt minus, majus vero removendum: ſed majus eſt malum quod Infideles continuo & aperte blaſphement in Deum, Idola ritibus ſuperſtitioſis colendo: minus autem ſi vel inviti & nolentes Chriſtianam fidem ſuſcipiant, igitur ſatius eſt Infideles cogere ad fidem.

Nego minori, quando enim per vim ad fidem profitendam adiguntur Infideles, contingit ut cum odio & deſpectu Sacramenta noſtra uſurpent; unde infinita committunt ſacrilegia quæ longe graviora ſunt peccata quam ritus ipſi Idololatrici.

Inſtabis: At licet Infideles qui compellerentur per vim & metum ad fidem non ita ſincero animo illam profiterentur, tamen magnum Eccleſiæ procuraretur commodum, quia ſecutis temporibus filii illorum Infidelium ſaltem poſt tertiam aut quartam generationem bona fide converterentur ad fidem, quod quidem ita contigiſſe erga hæreticos docet experientia, igitur.

Reſpondeo malum non eſſe committendum, ut quodpiam inde eveniat bonum, ac proinde tametſi certum foret filios Infidelium poſt tertiam & quartam generationem ſincero animo profeſſuros religionem Chriſtianam, quod quidem valde incertum eſt, non eſſet nihilominus licitum violentiam erga illos adhibere.

De Hæreſi.

Circa hæreſim & hæreticos quatuor examinabimus. 1. Quid ſit hæreſis. 2. Utrum excommunicationem incurrant hæretici ubi & recenſebimus varias propoſitionum hæreticarum qualificationes. 3. Utrum pœna temporali juſte puniantur hæretici. 4. Demum, ut quomodo recipiendi ſint hæretici ad Eccleſiam redeuntes.

Quid ſit Hæreſis.

HÆreſis definitur error contra fidem Catholicam cum pertinacia propugnatus ab eo qui fidem ſuſcepit in Baptiſmo.

Dicitur *error*, quæ quidem vox tenet locum

locum generis in hac definitione ; omnis enim hæreſis eſt error , ſed omnis error non eſt hæreſis ; ſiquidem qui negat concluſionem Theologicam veram , errare dicitur , nec tamen Hæreticus eſt. At neque etiam hæreſis confundi debet cum dubitatione circa aliquod fidei punctum , niſi dubitatio ſit poſitiva & deliberata .

Dicitur *contra fidem Catholicam* , Hæreticus enim non eſt quiſquis errat in alia quacunque materia , exempli gratia , qui errat in rebus philoſophicis , vel in iis capitibus quæ diſciplinam Eccleſiaſticam ſpectant.

Additur *cum pertinacia propugnatus* , qui enim præciſe errat etiam in materia fidei , neque cum pertinacia ſuum defendit errorem , Hæreticus non cenſetur : vel Hæreticus eſt , ut aiunt , materialiter non formaliter , juxta illud S. Auguſtini , *errare quidem potero , ſed hæreticus non ero* .

Denique dicitur *ab eo qui fidem ſuſcepit in Baptiſmo* , quibus verbis hæreſis diſtinguitur ab Atheiſmo, ab infidelitate & idololatria ; Hæreticus enim cenſetur qui poſtquam ſemel fidem Catholicam ſuſcepit , eam in aliquo vel in multis capitibus oppugnat.

Utrum excommunicationem incurrant Hæretici ubi variæ definiuntur Propoſitionum Qualificationes .

Pœnæ quibus puniuntur hæretici duplicis ſunt generis , aliæ canonicæ, aliæ civiles. De civilibus mox agetur in ſequenti diſſertatione , ubi examinabimus utrum pœna capitali plecti merito poſſint hæretici ; nunc autem de excommunicatione nonnulla explicanda occurrunt , mitto enim alias in Jure Canonico recenſeri pœnas hæreticorum , ſaltem quæ ſpectant Clericos , puta irregularitatem , privationem non modo juriſdictionis Eccleſiaſticæ ſed & beneficiorum , dignitatum & officiorum Eccleſiæ .

Excommunicatio igitur pœna eſt jure & facto lata in hæreticos , uti manifeſte conſtat ex lib. 5. Decretal. titulo 7. de hæreticis , cap. *ad abolendam* , ſic habetur : *Univerſos qui de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti , vel de Baptiſmate ſeu de peccatorum confeſſione , Matrimonio vel reliquis Eccleſiaſticis Sacramentis aliter ſentire aut docere non metuunt quam ſacroſancta Romana Eccleſia prædicat & obſervat , & generaliter quoſcunque eadem Romana Eccleſia vel ſinguli Epiſcopi per Diœceſes ſuas cum conſilio Clericorum , vel Clerici ipſi de ſede vacante cum conſilio , ſi oportuerit , vicinorum Epiſcoporum hæreticos judicaverint , vinculo perpetui anathematis innodamus .*

Cap. *Excommunicamus* ibidem , *Excommunicamus & anathematiſamus univerſos hæreticos Catharos , Patharenos , pauperes de Lugduno , Paſſaginos , Toſſepinos , Arnaldiſtas , Sperodiſtas & alios quibuſcunque nominibus cenſeantur* . Et eod. lib. titulo de excommunicatione : *Excommunicamus omnes hæreticos utriuſque ſexus quocunque nomine cenſeantur , & fautores , & receptatores & defenſores eorum.*

Nititur hæc doctrina & praxis Eccleſiæ in iſtis Scripturæ teſtimoniis , Math. 18. *Si Eccleſiam non audierit* , inquit Chriſtus Dominus , *ſit tibi Ethnicus & Publicanus* . Item Apoſtolus monet nec ſemel fugiendos eſſe hæreticos , eorumque colloquia ſemper vitanda , ad Romanos cap. 16. *Rogo autem vos fratres , ut obſervetis eos qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam quam vos didiciſtis , faciunt , & declinate ab illis* . 2. ad Timoth. 2. *Prophana & vaniloquia devita , multum enim proficiunt ad impietatem , & ſermo eorum ut cancer ſerpit* . Ad Titum 3. cap. *Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem devita* . Quapropter Eccleſia merito judicavit excommunicandos eſſe hæreticos , quandoquidem tam expreſſe jubetur in Scripturis ut vitentur a fidelibus.

Ex his tamen teſtimoniis minus recte col-

col-

Digitized by Google

colligitur, inquit Valentia, hæreticos jure divino eſſe excommunicatos, ut nonnulli cenſuerunt, ſiquidem vel iſta Scripturæ loca non continent præceptum ſed ſolummodo conſilium de vitandis hæreticis, vel talem excommunicationem hæreticorum non pronuntiant qualem continent cenſuræ Eccleſiaſticæ.

Quærunt hoc loco utrum excommunicationem incurrant quicunque male ſentiunt contra Catholicam Eccleſiæ fidem, etiamſi exterius hæreſim ſuam non manifeſtaverint.

Reſpondeo hæreticos illos in præfato caſu vere ac proprie peccatum & hæreſim admittere; peccatum enim in corde & voluntate perficitur, ſed tamen pœnam excommunicationis non incurrere, quia cum Eccleſia non judicet de internis, non intelligitur leges ferre in actus interiores & non manifeſtatos, adeoque ii ſolum vinculo excommunicationis innodantur qui aliquo actu externo, puta prædicando, vel loquendo, vel ſcribendo adverſus Eccleſiæ fidem, hæreſim palam manifeſtarunt.

Jam vero non abs re erit impræſentiarum conſtituere quænam ſint qualificationes, quibus hæreticorum aliorumque in fide errantium propoſitiones notari ſolent vel in decretis Conciliorum, vel in Bullis Pontificum, vel in quibuslibet aliis aut Epiſcoporum aut Academiarum cenſuris: Nimirum propoſitiones dicuntur erroneæ, hæreticæ, temerariæ, ſcandaloſæ, piarum aurium offenſivæ, ſeditioſæ & ſchiſmaticæ, quæ quidem notæ confundi non debent, ſed diverſas habent ſignificationes.

Propoſitio erronea dicitur ea quæ eſt contra veritatem non fidei quidem & immediate revelatam, ſed quæ talis cenſetur communiter apud Theologos; unde differt a propoſitione hæretica, quæ nimirum fidem Catholicam aperte pugnat. Propoſitio notatur etiam quandoque velut errori proxima, quando veriſimiliter ad errorem accedit.

Hæretica propoſitio dicitur ea quæ eſt contra veritatem fidei ſeu immediate revelatam, contra propoſitionem expreſſe definitam ab Eccleſia, extant etiam nonnullæ propoſitiones quæ dicuntur hæreſim ſapere, quando videlicet hæreſi proximæ ſunt.

Temeraria dicitur, ut vox ipſa ſonat, ea propoſitio quæ temere & ſine ullo fundamento aſſeritur contra fidem vel mores, idque contra communem doctorum ſententiam.

Scandaloſa quæ fidelibus præbet occaſionem ſcandali, quales ſunt nonnullæ propoſitiones quæ populos ab exercitio pietatis evocare poſſunt. Si manifeſte pietatem pugnent, dicuntur impiæ, vel piarum aurium offenſivæ.

Seditioſa propoſitio & ſchiſmatica dicitur illa quæ talis eſt vel ratione materiæ vel ratione verborum quibus effertur, ut ſeditionem in Republica inter populos excitare poſſit. De iſtis qualificationibus fuſe & eleganter diſſerit Canus lib. 12. de locis Theologicis cap. 11.

Utrum pœna temporali juſte puniantur Hæretici.

Fuit ſemper illa Principium Chriſtianorum conſuetudo, ut in hæreticos pervicaces qui falſam ubique doctrinam erroreſque peſtilentes fidei Catholicæ contrarios diſſeminabant, aperto marte inſurgerent, eoſque graviſſimis pœnis vel etiam morte afficerent, ſed hæretici ne cauſam ſuam proderent, in iſtam Eccleſiæ praxim reclamare non ceſſarunt, ut de Donatiſtis conſtat ex variis S. Auguſtini ſcriptis, de Joanne Hus ejuſque ſequacibus, ex Concilio Conſtantienſi; de Luthero, articulo 33. ejus errorum apud Roffenſem, in quos ſit

CONCLUSIO.

Juſte & licite pœnis temporalibus afficiuntur hæretici.

Probatur, quia ex quo tempore fidem Chriſtianam amplexi ſunt Imperatores, hæc

hæc viguit apud illos conſuetudo, ut latis Legibus & Edictis hæreticos variis pœnis afficerent, nimirum exilio, ſpoliatione bonorum ſuorum, mulctis pecuniariis, verberibus, ac demum morte ipſa, ad id promoventibus perſæpe Epiſcopis & Conciliis, de ſententia quoque Patrum & Scriptorum Eccleſiaſticorum qui tunc temporis Eccleſiam maxime illuſtrabant. Ea praxis inſigniter emicuit quarto ſæculo erga Donatiſtas qui modo in exilium miſſi ſunt, modo mulctis pecuniariis damnati per ſolemnes Imperatorum Conſtantini & Honorii Conſtitutiones.

Multis variiſque momentis laudabilem eſſe hanc Eccleſiæ praxim probat S. Auguſtinus Epiſtola jam citata quæ eſt 185. ad Bonifacium Comitem: *Hoc enim contigit Donatiſtis*, inquit cap. 2. *quod accuſatoribus ſancti Danielis. Sicut enim in illos leones, ſic in iſtos converſæ ſunt leges quibus innocentem opprimere voluerunt, niſi quod propter miſericordiam Chriſti magis pro eis ſunt iſtæ leges quæ illis videntur adverſæ, quoniam multi per illas correcti ſunt & quotidie corriguntur, & ſe eſſe correctos atque ab illa furioſa pernicie liberatos gratias agunt.* Adducit poſtea exemplum Regis Nabuchodonoſor: *Nam & temporibus Prophetarum omnes Reges qui in populo Dei non prohibuerunt, nec everterunt quæ contra Dei præcepta fuerant inſtituta, culpantur, & qui prohibuerunt & everterunt ſuper aliorum merita laudantur. Et Rex Nabuchodonoſor, cum ſervus eſſet Idolorum conſtituit ſacrilegam legem ut ſimulacrum adoraretur, ſed ejus impiæ conſtitutioni qui obedire noluerunt, pie fideliterque fecerunt. Idem tamen Rex divino correctus miraculo piam & laudabilem legem pro veritate conſtituit, ut quicunque diceret blaſphemiam in Deum verum Sidrac, Miſac, & Abdenago, cum domo ſua penitus interiret.* Cap. 6. exemplum petit ab ipſo Chriſto Domino qui per vim compulit S. Paulum ad ſuam converſionem: *Quis enim*, inquit, *nos poteſt amplius amare quam Chriſtus qui animam ſuam poſuit pro ovibus ſuis? Et tamen cum Petrum & alios Apoſtolos ſolo verbo vocaſſet, Paulum prius Saulum, Eccleſiæ ſuæ poſtea Ædificatorem, ſed horrendum antea Vaſtatorem, non ſolum voce compeſcuit, verum etiam poteſtate proſtravit, atque ut in infidelitatis tenebris ſævientem ad deſiderandum lumen cordis urgeret, prius corporis cæcitate percuſſit.* Quæ quidem & alia prope ſimilia reperias in Epiſtola jam citata ad Vincentium & in aliis paſſim operibus adverſus Donatiſtas.

Item ſequentibus Eccleſiæ ſæculis Imperatores Chriſtiani pœnas identidem ſæviſſimas vel etiam mortis decreverunt in hæreticos, ut videre eſt in Jure Canonico cod. de Hæreticis. Sub Innocentio III. quammulti Albigenſes combuſti ſunt, teſte S. Antonino 3. parte hiſt. tit. 19. Nemo neſcit igni quoque traditos fuiſſe Joannem Hus & Hieronymum de Praga in Concilio Conſtantienſi. Quin & ipſi hæretici alios quandoque hæreticos graviter puniri curarunt, cujus rei inſigne præbuit exemplum Calvinus, quo promovente Genevæ combuſtus eſt Servetus decimo ſexto ſæculo.

Hæc pia & laudabilis conſuetudo nititur ipſius Scripturæ autoritate: nam legimus v.g. in Deuteronomio, Deum præcipere ut falſi Prophetæ occidantur, cap. 13. *Propheta autem ille aut fictor ſomniorum interficietur, quia locutus eſt ut vos averteret a Domino Deo veſtro qui eduxit vos de terra Ægypti, & redemit vos de domo ſervitutis, ut errare te faceret de via quam tibi præcepit Dominus Deus tuus.* Et cap. 18. *Propheta autem*, inquit Dominus, *qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo quæ ego non præcepi illi ut diceret, aut ex nomine alienorum Deorum, interficietur.*

Ad hæc Pſeudoprophetæ quales ſunt hæretici qui falſas ubique terrarum diſſeminant doctrinas, dicuntur in novo Teſtamento lupi rapaces, Matt. 7. *Attendite a falſis Prophetis qui veniunt ad vos*

vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Igitur puniri vel etiam occidi merito poſſunt.

Dehinc SS. Patres idem unanimi conſenſu docent. Sic enim v. g. S. Cyprianus lib. de exhortatione martyrum cap. 5. *Quod ſic Idololatriæ indignetur Deus, ut præceperit etiam eos interfici qui ſacrificare & ſervire Idolis ſuaſerint, in Deuteronomio &c. Quod ſi ante adventum Chriſti circa Deum colendum & Idola ſpernenda, hæc præcepta ſervata ſunt, quanto magis poſt adventum Chriſti ſervanda ſunt, quando ille veniens non verbis tantum nos hortatus ſit, ſed & factis poſt omnes injurias & contumelias paſſus quoque & crucifixus &c.*

S. Hieronymus in hæc verba S. Pauli ad Galatas 5. *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit*, ſic habet: *Fermentum res modica videtur & nihili, ſed cum farinæ conſperſum totam maſſam ſuo vigore corruperit, in illius vim tranſit omne quod mixtum eſt; ita & doctrina perverſa ab uno incipiens vix duos aut tres primum in exordio reperit auditores, ſed paulatim cancer ſerpit in corpore, & juxta vulgare proverbium, unius pecudis ſcabies totum commaculat gregem. Igitur & ſcintilla ſtatim ut apparuerit extinguenda eſt, & fermentum a maſſæ vicinia ſemovendum, ſecandæ putridæ carnes & ſcabioſum animal a caulis ovium repellendum, ne tota domus, maſſa, corpus & pecora, ardeat, corrumpatur, putreſcat, intereat. Arius in Alexandria una ſcintilla fuit, ſed quia non ſtatim oppreſſa eſt totum orbem ejus flamma populata eſt.*

Item S. Leo de Priſcillianiſtis ſic loquitur Epiſtola 15. ad Turribium: *Merito Patres noſtri, ſub quorum temporibus hæreſis hæc nefanda prorupit, per totum mundum inſtanter egere, ut impius furor ab univerſa Eccleſia pelleretur quando etiam mundi principes ita hanc dementiam deteſtati ſunt, ut autorem ejus cum pleriſque diſcipulis legum publicarum enſe proſternerent. Videbant enim omnem curam honeſtatis auferri, omnem conjugiorum copulam ſolvi, ſimulque divinum jus humanumque ſubverti, ſi hujuſmodi hominibus uſquam vivere cum tali profeſſione liceret. Profuit diu iſta diſtrictio Eccleſiaſticæ lenitati, quæ etſi ſacerdotali contenta judicio, cruentas refugit ultiones, ſeveris tamen Chriſtianorum Principum conſtitutionibus adjuvatur, dum ad ſpiritale nonnunquam recurrunt remedium qui timent corporale ſupplicium.*

Demum S. Bernardus exiſtimavit hæreticos non armis ſed argumentis ad fidem compellendos, ſi nimirum ſe contineant, nec alios ſubvertere conentur, ſecus vero ſi, ut moris eſt, alio undequaque pervertant: *Approbamus zelum*, inquit ſermone 66. in Cantica, *ſed factum non ſuademus quod nimirum quidam e plebe Chriſtiana hæreticos interfecerant, quia fides ſuadenda eſt non imponenda. Quanquam melius procul dubio gladio coercentur, illius videlicet qui non ſine cauſa gladium portat, quam in ſuum errorem multos trajicere permittantur; Dei enim miniſter ille eſt, vindex in iram ei qui male agit.*

Favet autem ratio quæ poſtulat ut in omni Republica bene conſtituta, qui ejus curam habent, quantum in ipſis eſt flagitioſos homines coerceant, ſuaque autoritate & ſuis legibus impediant ne cæteris noceant: ſed Principes Chriſtiani curam habent Eccleſiæ in qua hæretici merito habentur ut peſtes exitiales, ſanam doctrinam pervertentes: poſſunt igitur pro ea quam ſibi a Deo commiſſam habent autoritatem in hæreticos pœnas decernere.

Objicies: Ea ratione agendum non eſt cum hæreticis, qua uſi non ſunt Apoſtoli nec eorum ſucceſſores in primis Eccleſiæ ſæculis; ſed nec Apoſtoli ſævierunt in hæreticos ſui temporis, nec Regum & Imperatorum terræ autoritatem adhibuerunt ad illos coercendos: igitur laudabilis non eſt iſta conſuetudo.

Hanc objectionem proponebant olim Donatiſtæ, cui reſpondet S. Auguſtinus in

Digitized by Google

in hunc modum Epiſt. 185. cap. 5. *Quod dicunt qui contra ſuas impietates leges juſtas inſtitui nolunt, non petiiſſe a Regibus terræ Apoſtolos talia, non conſiderant aliud fuiſſe tunc tempus, & omnia ſuis temporibus agi. Quis enim tunc in Chriſtum crediderat Imperator, qui ei pro pietate contra impietatem leges ferendo ſerviret, quando adhuc illud propheticum complebatur: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? aſtiterunt Reges terræ & Principes convenerunt in unum adverſus Dominum & adverſus Chriſtum ejus ...... Aliter enim ſervit, quia homo eſt, aliter quia etiam Rex eſt. Quia homo eſt, ei ſervit vivendo fideliter; quia vero etiam Rex eſt, ſervit leges juſta præcipientes & contraria prohibentes convenienti vigore ſanciendo.*

Objiciebant iterum Donatiſtæ longe melius eſſe verbis & doctrina hæreticos ad revertendum compellere quam timore pœnæ, cum aliunde experientia doceat eos hoc pacto nimirum per leges Imperatorum adactos nonniſi ficte & ſimulate veram Religionem profiteri.

Reſpondet ibidem S. Auguſtinus quoſdam verbis, alios vero verberibus eſſe compellendos, ut ex multis Scripturæ teſtimoniis aperte colligitur: *Melius eſt quidem*, inquit, *ad Deum colendum doctrina homines duci quam pœnæ timore vel dolore compelli. Sed non quia iſti meliores ſunt, ideo illi qui tales non ſunt, negligendi ſunt. Multis enim profuit (quod experimentis probavimus & probamus) prius timore vel dolore cogi ut poſtea poſſint doceri, aut quod jam verbis didicerant, opere ſectari. Proponunt nobis quidam ſententiam cujuſdam ſæcularis autoris qui dixit, (pudore & liberalitate liberos retinere ſatius eſſe credo quam metu) hoc quidem verum eſt, ſed ſicut meliores ſunt quos dirigit amor, ita plures ſunt quos corrigit timor. Nam ut de ipſo autore iſtis reſpondeatur, apud illum etiam legunt, (tu niſi malo coactus recte facere neſcis.) Porro autem Scriptura divina & propter illos meliores dixit (timor non eſt in caritate, ſed perfecta caritas foras mittit timorem), & propter hos inferiores qui plures ſunt, ait, (verbis non emendabitur ſervus durus, ſi enim & intellexerit, non obediet,) Cum dixit verbis eum non emendari, non eum juſſit deſeri, ſed tacite admonuit unde debeat emendari. Alioquin non diceret, (verbis non emendabitur.) Sed tantummodo diceret, non emendabitur. Alio quippe loco dicit, non ſolum ſervum, ſed etiam filium indiſciplinatum plagis eſſe coercendum, & magno fructu. Nam (tu quidem inquit percutis eum virga, animam vero ejus liberabis a morte); & alibi dicit, qui parcit baculo, odit filium ſuum. Da enim qui recta fide veroque intellectu, totis animæ ſuæ viribus dicat (ſitivit anima mea ad Deum vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei.) Et huic tali non ſolum temporalium pœnarum, vel imperalium legum, ſed nec gehennarum timor eſt neceſſarius...... ſed multi prius tanquam mali ſervi & quodammodo improbi fugitivi, ad Dominum ſuum temporalium flagellorum verbere revocantur.*

Objiciebant Donatiſtæ, credere vel non credere voluntatis eſt, & libero arbitrio relinqui debet: ergo per vim & pœnas temporales ad fidem compellendi non ſunt hæretici.

Reſpondeo nimis probare iſtud argumentum, ſequitur enim Principes Chriſtianos non debere pro munere ſuo quemquam ex ſubditis coercere a ſtupris & homicidiis, quia liberum eſt bene vel male agere; ſic reſpondet S. Auguſtinus in hac eadem Epiſtola ad Bonifacium cap. 5. *Quis mente ſobrius Regibus dicat, nolite curare in regno veſtro a quo teneatur vel oppugnetur Eccleſia Domini veſtri, non ad vos pertineat in regno veſtro quis velit eſſe ſive religioſus ſive ſacrilegus? Quibus dici non poteſt, non ad vos pertineat in regno veſtro quis velit pudicus eſſe, quis impudicus? Cur enim, cum datum ſit divinitus homini liberum arbitrium, adulteria legibus puniantur, & ſacri-*

ſacrilegia permittantur? An fidem non ſervare levius eſt animam Deo, quam feminam viro? Aut ſi ea quæ non contemptu ſed ignorantia religionis committuntur mitius vindicanda, nunquid ideo negligenda ſunt? Quod idem ſcribit lib. 3. contra Creſconium cap. 51.

Objicies eam fuiſſe Chriſti mentem ut nemo ad fidem compelleretur timore pœnæ, & ſub pœna mortis, aperte colligitur ex Scripturis, ea enim ex cauſa Chriſtus Dominus Matth. 16. cap. jubet Petrum *mittere gladium in vaginam*; unde Apoſtolus 2. ad Corint. cap. 10. teſtatur expreſſe armis non eſſe utendum in propagatione fidei: *Nam arma*, inquit, *militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Dei ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes*. Igitur.

Reſpondeo ex iſtis aliiſque ſimilibus Scripturæ teſtimoniis colligi ſolum poſſe, de officio & munere virorum Apoſtolicorum eſſe ſuaviter primum & verbis religionem Chriſtianam perſuadere, quod utique factum eſt in exordio & inſtitutione religionis Chriſtianæ: conſtat enim viros Apoſtolicos primis Eccleſiæ ſæculis nec armis uſos fuiſſe, nec Principum autoritatem & leges advocaſſe; ſed cum hæretici fidem jam ſtabilitam aperto marte corruperunt, falſaſque doctrinas huc & illuc diſſeminarunt, excitata ſubinde eſt vigilantia Paſtorum & Imperatorum Chriſtianorum, qui variis pro diverſitate locorum & temporum pœnis affecerunt hæreticos.

At, inquies, hæretici non ſunt membra Eccleſiæ: igitur in illos jus nullum habent Epiſcopi nec Principes.

Reſpondeo, hæreticos eſſe quidem membra Eccleſiæ putrida & amputata, ſed manere tamen aliquo modo Eccleſiæ ſubjectos per caracterem Baptiſmi, qui per hæreſim non deletur. Præterquamquod in illos jus habent Principes, quia in Republica peſtes ſunt pernicioſiſſimæ, ac proinde per leges pœnis coerceri merito poſſunt.

Ex quibus ſequitur piam quoque ac laudabilem eſſe praxim Eccleſiæ, qua vel ex antiquiſſimis temporibus curare ac decernere ſolebant Imperatores, ut libri hæreticorum comburerentur, uti apparet ex multis legibus quas collectas habemus in Jure Canonico, codice de Hæreticis. Et ratio eſt, quia ſi ad munus Epiſcoporum & Principum pertinet pro autoritate ſibi a Deo credita hæreticos in Eccleſia graſſantes reprimere, dubio procul eorum libris parcendum non eſt, non minu enim per libros quam per ſermones Eccleſiæ nocent hæretici, ut docet experientia.

De Apoſtaſia.

Multis modis a Theologis & Canoniſtis ſumitur Apoſtaſia.

Primo, late ſumitur pro quacumque defectione a Deo per peccatum, quam defectionem appellant Apoſtaſiam ab obedientia præceptorum, & generaliter contingit, quotieſcumque Chriſtianus aliquod committit peccatum mortale, juxta illud Eccleſiaſtici 10. *Initium ſuperbiæ hominis apoſtatare a Deo, quoniam ab eo qui fecit illum receſſit cor ejus.*

Secundo, Apoſtaſia ſumitur pro defectione ab uno ex ordinibus ſacris & majoribus, ut ſi quis vel Subdiaconus, vel Diaconus, vel Sacerdos ad vitam ſæcularem & laicorum vel matrimonium deficiat privata autoritate, & ſine legitima ſuperiorum diſpenſatione. Unde non eodem modo judicatur de iis qui a Tonſura & Minoribus Ordinibus ad nuptias tranſeunt, ut patet ex Clementina cap. *Joannes de Clericis conjugatis*, & frequenti Eccleſiæ uſu. Quanquam non omni peccato vacent qui ſine aliqua rationabili cauſa a ſtatu Clericali quem per Tonſuram & Minores Ordines profeſſi ſunt, ad ſæcularem revertuntur, nimirum propter manifeſtum rei ſpiritualis abuſum.

Tertio, Apoſtaſia non infrequenter ſumitur pro defectione ab aliquo ſtatu religioſo ſine revertendi propoſito, nimirum Apoſtatæ dicuntur religioſi qui proprium ſuæ

Digitized by Google

ſuæ ſocietatis habitum deponentes ſine licentia ſuperiorum ad vitæ ſæcularis ſtatum tranſeunt, quibus ita poſitis excommunicationem incurrunt.

Quarto demum, Apoſtaſia ſumitur pro defectione a fide, eaque ſpecies quædam eſt infidelitatis, & recte definitur integra fidei Chriſtianæ prius ſuſceptæ abnegatio. Integra quidem eſt omnium fidei noſtræ capitum abnegatio, in quo differt ab hæreſi quam incurrunt ii qui non omnes penitus, ſed quoſdam dumtaxat articulos rejiciunt, quanquam Apoſtatæ dici poſſint hæretici, ſed inſuper & Pagani merito cenſentur.

Porro eædem pœnæ jure decernuntur Apoſtatis quas incurrunt hæretici propter rationem allatam, quia nimirum omnes Apoſtatæ ſunt hæretici, licet omnis hæreticus non ſit Apoſtata, idque nominatim decernitur lib. 6. *de hæreticis*, cap. *contra Chriſtianos*.

De Blaſphemia in Spiritum Sanctum.

NOmine blaſphemiæ generatim intelligitur maledictum, quo de majeſtate & honore Dei quidquam detrahitur vel imminuitur, quod contingit quoties aliquid falſi Deo affingitur, ut ſi dicatur corporeus; vel unum ex ipſius attributis negatur, ut ſi negetur omnipotens, vel providus. Quin & pertinent quoque ad blaſphemiæ rationem maledicta quæ proferuntur in cultum religionis Chriſtianæ, puta in Sanctorum invocationem & Reliquiarum venerationem; hæc enim & alia ſimilia maximam habent cum Deo ejusque gloria affinitatem, nec ſine manifeſta Dei injuria contemni poſſunt.

De blaſphemia in Spiritum ſanctum multis præſenti loco non agemus; ſolent enim Theologi expendere in tractatu de pœnitentia quid ſit ejuſmodi blaſphemia, & quo ſenſu in Scripturis dicitur irremiſſibilis.

Hoc ſolum nunc examinamus, quomodo blaſphemia ſe habet ad infidelitatem, vitiumque eſt fidei oppoſitum. Volunt nonnulli Theologi blaſphemiam proprie & directe non opponi fidei Catholicæ, quia, inquiunt, infidelitas proprie loquendo conſiſtit in aſſenſu interiori falſo; blaſphemia autem in externo quodam oris maledicto; quæ quidem valde differunt, quia poſſet quis de Deo aliquid injurioſum & blaſphemum verbo proferre, licet male de eo non ſentiret. Verum alii Theologi docent blaſphemiam opponi fidei Catholicæ, quatenus Catholica fides duo complectitur, ut ſupra obſervatum eſt, aſſenſum internum qui præbetur veritatibus a Deo revelatis, & externam hujus fidei confeſſionem, juxta illud Apoſtoli: *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*. Blaſphemia autem, quia fit ore, manifeſte opponitur confeſſioni fidei.

APPEN-

Digitized by Google

APPENDIX

De Veritate Religionis Chriſtianæ.

ANtequam inſignem hanc de veritate religionis Chriſtianæ Diſſertationem pro argumenti gravitate, & cum eo, quo par eſt, ſtudio ac diligentia edamus, non abs re erit nonnulla obſervatu digna præmittere.

Notandum primo, mentem non eſſe impræſentiarum ſingula pertractare capita, quæ ad iſtud negotium pertinent; ne ſcilicet actum in aliis hujuſce operis partibus iterum agamus. Scilicet ut pleniſſime abſolvatur celebris hæc quæſtio de veritate religionis Chriſtianæ, demonſtrari primum debet adverſus Atheos exiſtentia Dei, quod abunde præſtitimus in Tractatu de Attributis. Deinde ut evincatur adverſus Judæos Jeſum Chriſtum eſſe verum Meſſiam, unde manifeſte ſequitur vere divinam eſſe religionem Chriſtianam, aptiſſimum profecto eſt & validiſſimum momentum quod petitur ex vaticiniis veteris Teſtamenti in Chriſto Domino adimpletis, & illud plene, ut opinor, & accurate executi ſumus in Tractatu de Incarnatione.

Quamobrem nunc pugnandum ſupereſt adverſus Idololatras, Gentiles, Mahumetanos alioſque omnes Chriſtiani nominis hoſtes, quibus pro virili conabimur demonſtrare, hanc noſtram religionem quam profitemur, a Chriſto olim ejuſque diſcipulis traditam opus eſſe vere divinum, ejus Autorem Jeſum Chriſtum vere a Deo fuiſſe miſſum, & quæcumque ab illo geſta ſunt, nomine & autoritate Dei facta, unde manifeſte ſequitur pro vera habendam eſſe Chriſtianam religionem.

Item monemus nos in præſenti controverſia nonniſi ratiocinio pugnaturos, quia cum rem habeamus adverſus ejuſmodi homines qui nondum Chriſti fidem ſuſceperunt, & apud quos proinde fidem nullam facit revelatio divina, ſuperfluum videtur argumentari ex Scripturis ſacris, niſi reſpiciantur tanquam hiſtoriæ quæ, cum indubitata ſint antiquitatis monumenta, ſua idcirco carere non debent autoritate.

Tertio, quamvis ex bene multis momentis quæ nobis ſuppetunt ad aſtruendam religionis Chriſtianæ veritatem, unum aut alterum ſeligere poſſemus, qualia ſunt v. g. Chriſti miracula, quæ quidem ſola invicte probant divinam ejus Miſſionem, nihilominus tamen, quoniam alios alia juvant & perſuadent, nec eodem omnes motivo inducuntur ad credendum, uti facile probat experientia, tum vero ne quid huic opuſculo deſit, cætera, ut moris eſt apud Theologos, motiva credibilitatis compendioſe proferemus; itaque ſit

CONCLUSIO.

Vera & vere divina eſt religio Chriſtiana quam profitemur.

Primum momentum quo ſtabiliri merito poteſt hæc veritas, ex eo petitur quod Chriſtus Dominus ejuſque Vita, Mors, Paſſio, aliaque ad illum pertinentia manifeſte prædicta fuerunt longe antequam naſceretur: validiſſimum eſt hoc argumentum adverſus Gentiles qui ex una parte diffiteri non poſſunt, quin veriſſima & divina ſit ea religio, quæ multis antequam prodiret annis & ſæculis, annuntiata fuerat: ex altera vero parte fateantur neceſſe eſt, Chriſtianam religionem in omnibus ſuis myſteriis & circunſtantiis fuiſſe prædictam.

Ac primo vere divinam haberi merito debere eam religionem, quæ fuit multis ſæculis annuntiata priuſquam ſtabiliretur, ex eo manifeſte conſtat, quod fo-

Digitized by Google

li Deo competit futurum noſſe & affirmare, præſertim ſi ſermo ſit de rebus plane contingentibus. Unde Chriſtus ipſe volens ſuæ Miſſioni autoritatem conciliare contra Judæorum incredulitatem, hoc ſæpe utitur argumento, uti v. g. legitur Joan. 5. cap. *Scrutamini Scripturas quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere & illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me*. Et paulo poſt, *Si enim crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi, de me enim ille ſcripſit*.

Idem momentum urget S. Paulus Epiſt. ad Romanos cap. 1. his verbis: *Segregatus in Evangelium Dei quod ante promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis de filio ſuo qui natus eſt ei de ſemine David ſecundum carnem*. Quo quidem argumento non uteretur, niſi pro indubitato haberetur, illum eſſe a Deo miſſum qui per Prophetas fuit prædictus, quod nimirum ſolus Deus futura prædicere poteſt, tum vero ea myſteria omnino eſſe vera & ab ipſo Deo aſſerta quæ divinitus fuere prædicta.

Secundo, omnia quæ ad Chriſtum pertinent, fuiſſe manifeſte prædicta ante ejus Nativitatem, ita ut innumera quæ leguntur in antiquis vaticiniis alteri quam Chriſto applicari non poſſe, luce meridiana ſit clarius, abunde jam oſtendimus in Tractatu noſtro de Incarnatione; cum invicte demonſtravimus Chriſtum eſſe Meſſiam, ubi ſcilicet ex una parte protulimus ea Prophetarum teſtimonia in quibus continentur illæ prædictiones de Genere, Nativitate, Vita, Geſtis, Paſſione, Morte, Reſurrectione Chriſti, & aliis paſſim circunſtantiis ac myſteriis ad Meſſiam pertinentibus; & ex altera parte ſubjicimus Evangeliſtarum verba quæ ipſius Chriſti hiſtoriam complectuntur, quæque illorum vaticiniorum in Chriſto complementum aperte demonſtrant. Inter alia ſpeciatim adduximus multa Iſaiæ Prophetæ loca, quæ quidem, ut ibi monuimus, tam clare Jeſum Chriſtum deſignant, ut non tam vaticinium quam Chriſti ipſius hiſtoriam texuiſſe videatur ille Propheta.

Hoc porro momentum ex Prophetis veteris Teſtamenti Chriſtum deſignantibus depromptum, non modo adverſus Judæos ſed etiam adverſus Gentiles luculentiſſimum eſt ad aſtruendam religionis Chriſtianæ veritatem, quia certo conſtat illas Prophetias non fuiſſe a Chriſtianis confictas, nec in ulla ſui parte interpolatas, utpote quæ ſumma ſemper religione aſſervatæ ſunt a Judæis fidei Chriſtianæ hoſtibus infenſiſſimis, quo fit ut nemo ſanæ mentis compos ejuſmodi textus revocare poſſit in dubium.

Deinde hos libros tum veteris Teſtamenti in quibus vaticinia continentur, tum novi in quibus myſteria noſtræ religionis deſcribuntur, eorum eſſe Scriptorum quorum nomina præ ſe ferunt & quibus ex communi omnium ſententia tribui ſolent, tam certum eſt quam quidvis aliud in Hiſtoria profana, ſcilicet non minus certum eſt libros qui ſub nominibus Davidis, Iſaiæ, Danielis, & aliorum Prophetarum circunferuntur, genuina eſſe illorum hominum opera qui longe ante Chriſti tempora ſcripſere; & inſuper Evangelia noſtra vere fuiſſe conſcripta a Matthæo, Marco, Luca & Joanne Chriſto Domino coætaneis, quam certum eſt Iliadem eſſe Homeri, Æneidem Virgilii; unde ſequitur validiſſimum erui argumentum etiam adverſus Gentiles ad aſtruendam religionis Chriſtianæ veritatem ex illis vaticiniis quæ manifeſte conſtat in Chriſto fuiſſe impleta.

Secundum Argumentum ducitur a modo quo propogata fuit Fides Chriſtiana.

Elucet fidei Chriſtianæ propagatio admirabilis: 1. In eo quod per orbem univerſum diffuſa eſt jam a multis ſæculis. 2. Habita ratione infirmitatis ac ſimplicitatis Apoſtolorum. 3. Ab impedimentis, quæ ab illa amplectenda retrahere debebant Gentiles. 4. A conditione eorum quæ docebantur ab Apoſtolis.

Ac

Ac primum quidem non leve momentum ducitur ad ſtabiliendam religionis Chriſtianæ veritatem, quod non modo in præſenti tempore ſed & fere ab initio ipſius Chriſtianiſmi per univerſum orbem fuit propagata, eam non modo amplexi ſunt viri cujuscunque ætatis & conditionis, atque non tantum ſimplices, plebeii & illiterati, ſed & prope innumeri alii magna autoritate, ſummo ingenio, & doctrina excellentes, quo fit ut nonniſi divina reputari poſſit Chriſtiana fides: *Tenet me in Eccleſia*, inquiebat S. Auguſtinus lib. contra Epiſtolam fundamenti cap. 4. *conſenſus populorum*. Scilicet vere divina cenſetur doctrina quæ & majorum & populorum facili conſenſu radices egit per totum orbem, quod quidem in fide ſua Auguſtinum aliosque innumerabiles præſtantiſſimos Doctores confirmavit.

Neque vero par eademque ratio eſt cujuscunque alterius religionis, ſi enim objiciatur Paganismus, certe non unam ſed prope innumeras ac omnino diverſas continet religiones, niſi melius dicatur apud Ethnicos & Idololatras nullam proprie loquendo reperiri religionem cum infinitis ſuperſtitionibus. Magnam quidem terræ partem jam occupat Mahumetismus, ſed in iisdem locis quam multi Chriſtum Dominum colunt præterquamquod nemo neſcit Mahumetismo longe antiquiorem eſſe Catholicam Jeſu Chriſti fidem a qua illi deſciverunt.

Secundo attendendum eſt ad conditionem eorum qui primi Chriſtianam religionem diſſeminarunt, hujus Fundator fuit Jeſus Chriſtus vir ſimplex a fabro educatus, & qui hujus fabri filius reputabatur, ſimiliter Apoſtoli qui illius mandato per totum orbem prædicarunt, non modo omni autoritate, fortuna, & opibus fuerunt deſtituti, ſed & homines fuerunt de plebe infima, nullis ſcientiarum ornamentis inſtructi, ſed viles & ignari piſcatores, quod certe non parum ponderis habere debet ad aſtruendam religionis Chriſtianæ autoritatem, quia ſi arte divina adjuti non ſupponantur iſti homines, non intelligitur quomodo fidem in omnium animis ſibi conciliare potuerint. Hoc item a Corinthiis obſervari voluit Apoſtolus, ſic enim loquitur Epiſt. 1. cap. 1. *Videte vocationem veſtram, fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes, & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia*.

Tertio, ponderandum quoque eſt maxime, quod in inſtituenda religione Chriſtiana occurrebant tot ac tanta impedimenta, ut nonniſi ſupernaturale ac divinum opus haberi queat, quod tam facile ſuſcepta fuerit in omnibus orbis univerſis partibus, obſtabat potiſſimum quod ii omnes, quibus Chriſtianam fidem annunciabant Apoſtoli, variis ſuarum opinionum & rituum ſuperſtitiorum præjudiciis pleni erant. Nemo neſcit, & quotidiana comprobat experientia, quam difficile ac pene impoſſibile ſit, ut qui a puero parentum religionem profitentur, novam alteram recipiant. Alterum impedimentum & quidem maximum hoc erat, quod, qui Chriſti Evangelium annunciabant, uti & qui illam profitebantur, variis tormentis, mulctis, bonorum ſuorum ſpoliationi, carceribus & morti ipſi fuerunt obnoxii, ut conſtat ex Hiſtoria perſecutionum, quas primis Eccleſiæ ſæculis ſub Ethnicis Imperatoribus perpeſſi ſunt Chriſtiani; cum autem ab ejusmodi malis abhorreat natura humana, eos merito putamus divina ope ſingulariter adjutos, qui nonobſtantibus illis tormentorum generibus, quæ ipſorum oculis quotidie objiciebantur, fidem Chriſtianam ſuſcipiebant: unde manifeſte ſequitur plane divinam & juſſu Dei revelatam fuiſſe hanc doctrinam.

Quarto, graviſſimum accedit momentum ex natura & qualitate ipſius doctrinæ quam annunciabant Apoſtoli, ſic enim formari poteſt argumentum: Ea religio vera eſt, & Deum habet Autorem, quæ doctrinam tradit ex omni parte rectam, ſan-

ſanctam & immaculatam: ſed talis eſt doctrina Chriſtiana, ut patet ex facta enumeratione ſingulorum dogmatum, & regularum, quæ ad omne virtutis genus inducunt, & ab omni vitio & iniquitate avocant, juxta illud Pſal. 18. *Lex Domini immaculata, convertens animas, teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis, illuminans oculos*. Et in quo Chriſti doctrina ab omni alia ſecta differt, nulla eſt quippe, quæ vel obſcœna, vel injuſta, vel impia dogmata non ſequatur & approbet. Quibus adde id proprium eſſe ac ſingulare Chriſtianæ religionis, quod multa præcipiat hominibus dura, acerba, carni ingrata, eorumque voluntatibus atque ſtudiis adverſa, unde merito inferimus nonniſi magna vi veritatis impulſos quicumque doctrinam illam ſequuntur; ac proinde divinam eſſe Chriſti religionem.

Tertium Momentum ducitur a præſtantia, & rectitudine Doctrinæ Chriſtianæ.

Dubitandum non eſt, quin vera ſit, & vere a Deo revelata, quæ per ſe tota & ex omni parte rectiſſima eſt & ſanctiſſima, docet enim experientia, quod & ipſa ratio poſtulat, Paganiſmum & falſas religiones quæ vel dæmonum præſtigiis, vel arte mere humana inſtitutæ ſunt, nonniſi ineptas & bonis moribus contrarias doctrinas tradere: ſed religio Chriſtiana a Chriſto & Apoſtolis fundata rectam ex omni parte, & ſanctam doctrinam diſcipulis ſuis præſcribit, ut facile intelligitur enumeratione facta & dogmatum fidei, quæ credenda fidelibus proponuntur, & regularum quæ ad bonos mores informandos ubique leguntur in ſingulis Scripturarum paginis.

Ac primo, ſi attendatur ad illa fidei Chriſtianæ dogmata, quæ nobis credenda proponuntur, quanquam nonnulla ſint longe ſupra humanæ mentis captum poſita, ejusmodi ſunt tamen, ut ipſi rationi non ſint aperte contraria, & ab omnibus abſurditatum & contradictionum generibus facile vindicentur a Chriſtianis. Quid vero contra ſentiendum eſt de Paganiſmo, qui nihil fere aliud docet quam ineptias & impietates, quale eſt, ne nimium hic multa tranſcribam, quod plures admittit deos æternos & infinitos, atque interim vilibus & abjectis animalibus, aut etiam rebus inanimatis cultum impendit ſuum, imo quod eſt adhuc ſtultum magis & flagitioſum, Gentiles in ſuis diis vitia ipſa colunt & conſecrant, ſcilicet adorando ebrioſum Bacchum, adulterum Jovem &c. unde infinita promanant ſacrilegia.

Secundo, quoad ſpectat vitam rectam & ſanctos mores, conſtat nullam eſſe virtutis ſpeciem, ad quam ſuos Diſcipulos non inducat religio Chriſtiana, nullum omnino vitium a quo non avertat; continet illa doctrina in compendio, ſummum Deo univerſorum Conditori & Gubernatori exhibendum eſſe cultum, unicuique præceptum eſſe diligere proximum ſicut ſemetipſum, nemini inferendam injuriam, benefaciendum omnibus, diligendos eſſe inimicos, orandum pro perſecutoribus, & alia id genus quæ Chriſtus ipſe non modo verbis, ſed & exemplo præſcripſit, quæ quidem doctrina quanquam nihil habeat quod humanis ſtudiis & cupiditatibus non ſit contrarium, tamen ab innumeris hominibus cujuscumque conditionis ultro ſuſcepta eſt, quod manifeſte indicat eam eſſe veriſſimam & plane divinam.

Id eleganter ſuo more exprimit Lactantius lib. 3. cap. 26. his verbis: *Quod ergo illi poſcente natura faciendum eſſe ſenſerunt, ſed tamen neque ipſi facere potuerunt, neque a Philoſophis fieri poſſe viderunt, ſola hæc efficit doctrina cœleſtis quia ſola ſapientia eſt.... Dei autem præcepta quia & ſimplicia & vera ſunt, quantum valeant in animis hominum quotidiana experimenta demonſtrant. Da mihi virum qui ſit iracundus, maledicus, effrænatus, pauciſſimis Dei verbis tam placidum quam ovem reddam. Da cupidum, avarum, tenacem, jam ti-*

bi eum liberalem dabo & pecuniam ſuam plenis manibus largientem. Da timidum doloris ac mortis; jam cruces & ignes, taurum contemnet. Da libidinoſum, adulterum, ganeonem, jam ſobrium, caſtum, continentem videbis … tanta divinæ ſapientiæ vis, ut in hominis pectus infuſa matrem delictorum ſtultitiam uno ſemel impetu expellat.

Quartum momentum ducitur ex Miraculis Chriſti.

EX iis omnibus momentis quæ a Theologis uſurpari ſolent ad aſtruendam Chriſtianæ religionis veritatem, meo quidem judicio præcipuum & omni exceptione majus eſt illud quod ex Chriſti miraculis ducitur. Nimirum miracula ſunt inuſitata quædam opera quæ omnem creatam facultatem ſuperant, in hunc finem edita ut veram eſſe loquentis doctrinam inde afferatur. Quamobrem ut ex innumeris ac ſtupendis Chriſti miraculis plene & perfecte aſtruatur eum vere fuiſſe a Deo miſſum, eamque doctrinam quam per ſe & per Apoſtolos ſuos hominibus annunciavit, vere divinam eſſe, duo nunc probanda nobis incumbunt. 1. Ea quæ Chriſto tribuuntur miracula, non falſa, non ficta, non ſuppoſititia haberi poſſe. 2. Ex talibus ſignis & miraculis certum erui argumentum ad aſſerendam Chriſtianæ religionis veritatem.

Hæc ſunt præcipua quæ a Chriſto edita leguntur paſſim apud Evangeliſtas. Matthæi 2. cap. narratur quomodo Magi ad Chriſtum recens natum & jacentem in præſepio venerint ab Oriente eumque adoraverint. Cap. 3. legitur quomodo ſuper Chriſtum a Joanne baptizatum deſcendit Spiritus ſanctus. Cap. 4. Chriſtus dicitur *Prædicans Evangelium regni & ſanans omnem languorem & omnem infirmitatem in populo. Et abiit opinio ejus*, inquit Evangeliſta, *in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus & tormentis comprehenſos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos & paralyticos, & curavit eos.* Cap. 8. leproſum ſanat & filium Centurionis, duos dæmoniacos liberat. Cap. 9. quemdam paralyticum jacentem in lecto curat, mulierem a profluvio ſanguinis liberat, filiam Principis mortuam ſuſcitat, viſum duobus cœcis reſtituit: *Et*, inquit eo loci Matthæus, *circuibat Jeſus omnes civitates & caſtella, docens in Synagogis eorum, & curans omnem languorem & omnem infirmitatem.* C. 12. refert Evangeliſta Chriſtum ſanitatem reſtituiſſe homini cujus manus erat arida. C. 14. legitur Chriſtum quinque virorum millia, quinque panibus & duobus piſcibus ſaturaſſe; tum vero in terra Geneſar varios languores fuiſſe curatos ſolo ipſius veſtimenti tactu. Cap. 15. filiam Chananeæ ſanavit. Cap. 20. duobus cœcis in Jericho viſum reſtituit. Demum cap. ultimo narrat S. Matthæus Chriſtum præ malitia Judæorum cruci affixum & morti traditum, tertia tamen die reſurrexiſſe, quod omnium maximum & aliorum potius complementum eſt.

Dehinc tres alii Evangeliſtæ, Marcus, Lucas & Joannes eadem aut alia prope ſimilia miracula referunt, quæ hic repetere nihil neceſſe eſt. Narrat Marcus cap. 1. quomodo Chriſtus prædicans in Galilæa curavit ſocrum Simonis & leproſum cum multis dæmoniacis. Cap. 4. tempeſtatem maris ſedat. Cap. 7. ſurdum ac mutum ſanat. Item narrat ſanctus Lucas cap. 1. ſui Evangelii quomodo Zacharias Joannis Baptiſtæ pater mutus ob id effectus quod Angelo non crediderat, uſum linguæ poſtea recuperavit cum ſumma omnium admiratione. Scribit cap. 7. filium viduæ in civitate Naim coram copioſa aſtantium turba fuiſſe a Chriſto e mortuis ſuſcitatum. Cap. 14. hydropicum ab eodem fuiſſe ſanatum in domo Principis Phariſæorum. Cap. 18. cæco viſum fuiſſe reſtitutum prope Jericho. Denique narrat S. Joannes Evangeliſta cap. 2. Chriſtum in nuptiis Cana Galilææ aquam in vinum convertiſſe.

ſe. Cap. 4. filium Reguli ſanitati reſtituiſſe. Cap. 5. ad piſcinam ægrum ſanaſſe, qui tum ab annis 38. langueſcebat. Cap. 11. legitur ſtupendum patraſſe miraculum reſurrectionis Lazari jam a quatuor diebus ſepulti & fœtentis.

Multa alia prætereo miracula & plane prodigioſa geſta quæ referunt iidem Evangeliſtæ, quod in iis omnibus & ſingulis infinitum eſſe me oporteret: nunc probandum eſt illa omnia vere a Chriſto Domino fuiſſe edita, nec falſo ab illis ſacris Hiſtoricis ipſi aſcripta.

Id primum conſtat, quia ab omni prorſus ratione alienum eſt fidem denegare coætaneis Hiſtoricis, cum eadem referunt geſta, eaſdem hiſtorias; aliter nihil amplius certi erit in litteris, nullum factum indubitatum erit, & in dubium revocabitur quicquid olim ſcripſit Moyſes de Judæis, quicquid de rebus Romanis tradiderunt Livius, Tacitus & alii paſſim Scriptores: ſed præfata miracula tanquam ab illo vere edita ſcribunt Evangeliſtæ non modo ut coævi Hiſtorici, ſed etiam ut oculati teſtes; quod ſaltem, affirmari merito poteſt de Matthæo & Joanne fidis Chriſti Domini Diſcipulis & comitibus: igitur ratio poſtulat ut hæc prodigia quantumvis inſolita & ſupra humanæ mentis captum poſita, credantur vere facta a Chriſto cui aſcribuntur ab Evangeliſtis.

Deinde iſti Scriptores aliunde ſunt in deſcribendis Chriſti miraculis fide digniſſimi, ſi nimirum attendatur ad ſingulas circunſtantias in quibus ſuam de Chriſto contexuerunt hiſtoriam. 1. enim ſcribunt Evangeliſtæ hoc ipſo tempore quo multi adhuc erant ſuperſtites qui Chriſtum viderant, aut Jeroſolymis, aut in alia Judææ plaga hæc varia edentem miracula. Scripſit Matthæus, inquiunt vulgo interpretes, circa annum ſextum a Paſſione Domini. Marcum ſcripſiſſe paulo poſt annum decimum a Paſſione teſtantur Euſebius, Baronius & alii Hiſtorici. Ferunt etiam Lucam ſuum conſcripſiſſe Evangelium circa annum a Paſſione 23. Demum ſcripſit Joannes anno 63. poſt Domini Paſſionem. ex quibus ſequitur præfata Chriſti miracula fuiſſe in Judæa ſaltem publicata his ipſis temporibus in quibus adhuc multi vivebant qui Chriſtum prædicantem & Jeroſolymis commorantem viderant: adeoque manifeſti mendacii ne dicam impudentis perfidiæ reos peregiſſent Evangeliſtas, ſi reipſa hæc miracula non patraſſet Chriſtus.

2. Hæc mirabilia Chriſti opera ſcribunt & publicare non dubitant quatuor Evangeliſtæ in iiſdem locis & urbibus in quibus hæc facta fuiſſe referunt; notant enim, ut diximus, Chriſtum in urbe Jeroſolymitana modo quemdam paralyticum, modo cœcum, modo ſurdum ſanaſſe; quandoque in Jericho, vel in terra Geneſar; quandoque in Galilæa; qua vero fronte auſi fuiſſent tam expreſſe loca ipſa deſignare, ſi revera ibidem ſtupenda hæc opera fuiſſent inaudita? Certe mendacii cum aliquo fundamento ſuſpecti ſunt, qui res a Deo mirabiles in quibuſdam remotiſſimis plagis tranſactas referunt; ſed nec vel in minimam falſitatis ſuſpicionem venire poſſunt qui iiſdem in locis ſcribunt in quibus facta contigiſſe teſtantur.

3. Hi ipſi qui litteris mandavere tot ac tanta Chriſti geſta, aut oculati fuere teſtes eorum omnium quæ denarrant, aut eadem ex oculatis teſtibus acceperunt. Matthæus & Joannes ea ipſa quæ propriis oculis viderant, narrarunt. Marcus vero & Lucas quæ ex aliis audiverant. Marcus quidem *Diſcipulus & Interpres Petri*, inquit Hieronymus, *juxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ a fratribus breve ſcripſit Evangelium, quod cum Petrus audiviſſet, & probavit, & Eccleſiæ legendum ſua auctoritate dedit*. Lucas autem S. Pauli Apoſtoli Sectator fuit & Diſcipulus, ejuſque in omnibus ſuis peregrinationibus & prædicationibus Evangelicis comes individuus. Idem vero plane eſt ad veritatem Chriſti miraculorum aſtruendam, quod referantur ab oculatis teſtibus vel ab il-

lis Scriptoribus qui rem habeant compertam ex aliorum narratione : *Divina providentia per Spiritum ſanctum procuratum eſt* , inquit S. Auguſtinus cap. 1. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 1. 1. *ne putaretur quod attinet ad percipiendum & prædicandum Evangelium intereſſe aliquid* , *utrum illi annuntient qui eundem Dominum hic in carne apparentem ſecuti ſunt*, *an hi qui ex illis fideliter comperta crediderint*. Certe nullum factum majorem fidem meretur quam quod ſcripto mandatum eſt ab oculatis teſtibus qui conſenſu unanimi teſtantur ſe vidiſſe quod ipſi denarrant , præſertim cum id confirmatur teſtimonio aliorum qui rem eandem affirmant , prout ab oculatis teſtibus acceperunt.

Quarto, hanc addimus circunſtantiam quæ nullum omnino dubium relinquit circa veritatem Chriſti miraculorum . Nimirum petitur ex natura eorum quæ a Chriſto geſta fuiſſe ſcribunt Evangeliſtæ , & quæ talia ſunt ut nemo ſanæ mentis compos vel leviter ſuſpicari poſſit ea fuiſſe ab Evangeliſtis conficta . Narrat v. g. S. Matthæus cap. 2. ſui Evangelii viſam a Magis in oriente inſolitam quandam ſtellam qua duce venerunt Jeroſolymam & Chriſtum Jeſum recens natum adorarunt ; his auditis Herodem Regem fuiſſe turbatum , & convocatis Sacerdotum & Scribarum principibus , ab iis percontatum ubi Chriſtus naſceretur ; qui quidem Herodes non ita multo poſt , ne regno ſpoliaretur ſuo , miſſis carnificibus , infantes omnes a bimatu & infra interficiendos juſſit . Profecto ejuſmodi ſunt circunſtantiæ quibus iſtam narrationem induit ſacer Hiſtoricus, ut nemo ſibi perſuadere poſſit eam eſſe gratis confictam . Non modo enim ſcribit e longinquo veniſſe Magos & Chriſtum adoraſſe ; in quo quidem facto aut fuiſſe deceptum Matthæum , aut voluiſſe malicioſe alios decipere , cogitare poſſet quivis incredulus ; ſed addit Evangeliſta viſos tunc temporis ab univerſa civitate illos Reges , in eorum adventu juſſu Herodis congregatos Sacerdotes , & tandem ab eodem Herode decretum ut infantes trucidarentur , quod cum omnium mœrore & deteſtatione executioni demandatum eſt , ſi hoc factum fuit falſum & ſuppoſitum , quis in animum ſibi unquam induxerit , voluiſſe Matthæum ibidem , hoc eſt Jeroſolymis ſcribentem , urbis civibus talem perſuadere fabulam mere confictam & eorum Regi adeo injurioſam ?

Narrat S. Lucas cap. 1. Evangelii viſum in templo a Sacerdote Zacharia Angelum qui ei prædixit futuram filii Nativitatem quem vocaturus eſſet Joannem , turbatum ob id paviſſe Zachariam , mutumque factum ad eum uſque diem quo natus eſt Filius, quo quidem facto tempore cœpit loqui cum omnium admiratione, inquit S. Lucas : *Et mirati ſunt univerſi , apertum eſt autem illico os ejus & lingua ejus , & loquebatur benedicens Deum , & factus eſt timor ſuper omnes vicinos eorum , & ſuper omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc* . Quis autem , tametſi male feriati ſit ingenii , hanc narrationem falſitatis arguere poteſt ? Qua fronte hæc omnia ſcribere auſus eſt S. Lucas, ſi falſa ſunt & mere ſuppoſita ? Quomodo perſuadebit ingenti hominum multitudini , ab ipſis viſum quod revera non viderant ? teſtatur ſtupendum illud factum contigiſſe non inter privatos parietes ſed in templo , in perſona magni Sacerdotis , quo tempore officio fungebatur , & coram numeroſa populorum multitudine, additque in univerſa Judææ regione divulgatam fuiſſe hanc hiſtoriam ; aut ergo quæ narrat Lucas vera eſſe fatendum eſt , aut mente captum dixeris Evangeliſtam , qui tam confidenter putaverit fidem ipſis conciliari poſſe tametſi falſa eſſent .

Narrat S. Joannes Lazarum a Chriſto Domino fuiſſe ſuſcitatum e mortuis, inaudita certe & incogitabilis fuit Evangeliſtæ audacia, ſi hocce prodigium Judæis ſupponere non dubitavit ; nemo quippe tunc temporis erat inter Judæos, qui

qui-

Digitized by Google

quidem Chriſtum velut impoſtorem ubique perſequebantur, qui ſtatim & aperte in ſtupendum hoc factum de Lazari Reſurrectione non reclamaſſet. Tamen hæc reſurrectio narratur facta coram plurimis Judæis, in Bethania prope Jeruſalem; quatuor diebus mortuus in ſepulchro manſerat Lazarus, accepta a Chriſto vita dubio procul cum vicinis & aliis Judæis ut antea familiariter converſatus eſt, ab omnibus viſus eſt, fingi non poteſt neminem tunc temporis, cum videlicet Joannes ſcripſit Evangelium, ſuperſtitem fuiſſe in terris, qui mendacii turpiſſimi reum convincere potuiſſet Hiſtoricum; quod ſi nullus revera vivebat Chriſto & Lazaro coævus, hoc factum non immerito falſitatis & ſuppoſitionis arguiſſent, dicendo ſe numquam a Patribus tale quidquam audiviſſe, quapropter luce meridiana clarius eſt, in tali facto deſcribendo mentiri non potuiſſe ſanctum Joannem.

Denique & multa alia referuntur ab Evangeliſtis prodigia quæ talia ſunt, & talibus induuntur circumſtantiis, ut impoſſibile ſit fingere illos Scriptores in iis publicandis fuiſſe mendaces; quid enim quod ſcribunt divina Chriſti virtute factum, ut quinque virorum milia quinque panibus & duobus piſcibus ſatiarentur? Nonne & ſuperſtes adhuc erat major illorum hominum pars qui Chriſtum prædicantem in Deſerto ſecuti fuerant, & mendacii arguiſſent Evangeliſtas, ſi hoc reipſa miraculum non edidiſſet Chriſtus? Et ſimiliter potueruntne tam confidenter affirmare Chriſtum in nuptiis Cana Galilææ aquam in vinum convertiſſe cum ſumma plurimorum aſtantium admiratione, ſi revera hoc ab eo non eſt factum? Ejuſdem generis eſt quod narrat S. Matthæus contigiſſe in ipſa Chriſti Morte; talia enim ſunt, ut in illis ſcribendis nec alios decipere nec ipſi decipi potuerint: *A ſexta hora*, inquit, *tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram uſque ad horam nonam*. Et paulo poſt, *Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes a ſummo uſque deorſum, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum qui dormierant, ſurrexerunt*. Quis cogitaverit in his referendis quæ publica fuerunt & in oculis omnium verſabantur, mentitum fuiſſe Matthæum qui ſuam de Chriſto hiſtoriam edidit & publicavit in ipſa urbe Jeroſolymitana? Igitur fatendum eſt talem eſſe majorem Chriſti miraculorum partem, ut ſuppoſita & ab Evangeliſtis conficta haberi non poſſint.

His adde, Evangeliſtas, cum ſtupenda hæc Chriſti geſta litteris mandarunt, ea tanquam vera, certa & non fucata miracula publicaſſe, tum quia ſummo ipſis ſtudio, ſummæ curæ fuit illa per totam vitam ubique terrarum aliis hominibus annunciare, ne veritatem in injuſtitia detinerent; tum quia propter hæc eadem miracula Chriſtum & ejuſdem doctrinam ſecuti ſunt relictis omnibus quæ poſſidebant & uſque ad ſui ſanguinis effuſionem quam lubenti animo perpeſſi ſunt in teſtimonium veritatis; tum denique quia in pleriſque illis miraculis decipi ipſi non potuerunt, facta erant ſenſibilia, ob eorum oculos poſita, concipi non poteſt Chriſtum erga illos præſtigiis & dolo fuiſſe uſum: legimus enim v.g. illapſo ſuper Apoſtolos Spiritu ſancto, eoſdem illico locutos fuiſſe variis linguis; ibi nullus error obrepere potuit, nullæ præſtigiæ, nemo ſibi perſuadere poteſt ſe loqui variis linguis, niſi rem hanc comprobet experientia. Item cum teſtantur Chriſtum paſſim ſanaſſe languores, viſum cæcis, auditum ſurdis, & mortuis vitam reddidiſſe, viderant ipſi ejuſmodi homines ægrotantes, ſurdos, cæcos & mortuos: adeoque non potuerunt ipſi deludi a Chriſto unde ſequitur nec poſſe nos cum ulla veri ſpecie teſtimonia tam authentica revocare in dubium.

Jam vero præfata ea Chriſti opera miraculoſa, indubitatum eſſe divinæ Miſſionis, adeoque veritatis quam Chriſtianæ religioni aſſerere conamur, ſignum & argumentum, non modo cum Chriſtianis conſentiunt Judæi, ſed & cuilibet

ratio-

Digitized by Google

rationis compoti conſtare debet, quod nimirum tam inſolita tamque ſtupenda opera, nec naturalibus cujuſcunque agentis creati viribus, nec malignorum ſpirituum artibus tribui cum aliqua veri ſpecie poſſunt. Prius quidem, nempe ſolis naturæ humanæ viribus ejuſmodi miracula patrari non potuiſſe, aperte colligitur ex eorum magnitudine & ſingularitate: quis enim diffitebitur magnum eſſe, plane divinum, & ſuper omnem humanæ induſtriæ vim poſitum cœcos illuminare, mortuos ſuſcitare & alia id genus operari? Poſterius vero, nempe Chriſti miracula ope dæmonum non fuiſſe edita hoc momento invicte demonſtratur quod pleraque ex illis eo tendebant ut diaboli regnum deſtrueretur, puta ut ſpiritus nequam ex hominum corporibus expellerentur, unde conficitur Chriſtum non ejeciſſe dæmonia in nomine & virtute ipſorum dæmonum: *Si Satanas*, inquiebat ipſe Matth. 12. cap. *ſatanam ejicit, adverſus ſe diviſus eſt, quomodo ergo ſtabit regnum ejus*. Adeoque ex admirandis illis operibus divina Chriſti Miſſio certo aſſeritur.

Quapropter in hunc tantum finem Chriſtus varia edidit miracula, ut hanc ſuam legationem a Deo acceptam probaret hominibus, ut ipſe aſſeverat multis in locis, Matth. 11. cap. ut certiorem faciat Joannem Baptiſtam ſe eſſe Meſſiam quem expectabant Judæi, hoc allegat: *Euntes renunciate Joanni quæ audiſtis & vidiſtis, cœci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt*. Quibus verbis ſignificatur talem eſſe horum mirabilium operum vim, ut nemo prudenter dubitare poſſit eum virtute divina inſtructum & vere a Deo miſſum qui tam prodigioſa edit miracula. Item Joan. 10. cap. *Loquor vobis & non creditis opera quæ ego facio in nomine Patris mei, ipſa teſtimonium perhibent de me*. Et cap. 14. *Non creditis quia ego in Patre & Pater in me eſt? Alioquin propter opera ipſa credite*. Quod idem legitur de Apoſtolis Marci ultimo, *Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*. Unde etiam Apoſtolus ad Hebræos cap. 2. *Conſtante Deo ſignis & portentis & variis virtutibus*. Unde manifeſte ſequitur ad confirmandam aliquam doctrinam veram non ſuppetere validius argumentum, quam ſi ab eo qui ſe miſſum a Deo teſtatur, in hujus veritatis confirmationem varia identidem edita fuerint miracula.

Solvuntur Objectiones.

Adverſus recenſita Chriſti miracula diverſæ ſervato quodam ordine proponi poſſunt objectiones. 1. Dici poteſt ſtupenda hæc facta non aliam habere autoritatem quam Scripturarum ſeu potius quatuor Evangeliorum quæ fortaſſis ſuppoſititia ſunt & falſo quatuor Evangeliſtis tanquam coætaneis Scriptoribus adjudicantur. 2. Objici poteſt, etſi ſuppoſita non eſſent Evangelia, nullius tamen momenti eſſe quæ in iis leguntur, quia inſolita hæc prodigia a ſolis Chriſtis Diſcipulis, a nullo autem alio Scriptore referuntur. 3. Addi poteſt hac in parte deceptos fuiſſe Evangeliſtas. 4. Si decepti ipſi non fuere, eos in votis habuiſſe ut alios fallerent per ejuſmodi portenta Chriſtum ejuſque doctrinam extollentes. 5. Solent objicere plane incredibile eſſe tot ac tanta miracula palam & coram omnibus Judæis fuiſſe edita, nec illos tamen omnes ſtatim ad Chriſti fidem converſos. 6. Æqualia ſimiliter ab aliis facta prodiiſſe miracula, puta a Mahomete, Apollonio Thyaneo, &c. qui quidem a Deo miſſi non ſunt. Denique contendunt Chriſtum hæc miracula non patraſſe vi divina ſed magica aut alia quavis arte. Hæc ſigillatim examinanda ſunt.

Objicies 1. Certum non eſt miracula quæ Chriſto tribuuntur, revera ab illo fuiſſe edita, ſi certum non ſit quatuor Evangelia vere ab Evangeliſtis fuiſſe conſcripta: ſed non omnino conſtat quatuor Evangelia eſſe genuina Evangeliſtarum ope-

opera, quia nemo neſcit tunc temporis innumera propemodum alia prodiiſſe in lucem ſub Apoſtolorum nominibus, quæ nemine diſſentiente vel a nonnullis recens ad fidem converſis, vel etiam ab Hæreticis quibuſdam fuerant fabricata, quomodo alia paſſim publicabantur opera, Epiſtolæ, Actus Apoſtolorum, &c. Unde nullus fere liber in novo Teſtamento extat qui abſque contentione a primis Chriſtianis fuerit acceptus. Præterquamquod prope nulla eſt ætas in qua certis Scriptoribus falſo aſcripti fuerint libri, ac præſertim ejuſmodi hiſtoriæ, quod nimirum quæ inſolita ſunt ac plane portentoſa lubentius adhuc narrantur, & quia in iis quæ ſpectant religionem, creduli ſunt homines ad inſtar mulierculorum.

Negò min. & dico pro certis atque indubitatis habenda eſſe facta hiſtorica quæ de Chriſto narrantur in quatuor hodiernis Evangeliis; ſiquidem ex duplici tantum capite his inſolitis ac ſtupendis factis denegari poſſet fides, ſi nimirum quatuor Evangelia in quibus denarrantur, ſuis Autoribus ſeu Evangeliſtis ſuppoſititia dicerentur; vel poſito quod ſint genuina eorum opera, ſi cum aliqua veri ſpecie affirmari poteſt illa fuiſſe a Chriſtianis interpolata, ut majorem Chriſto ejuſque doctrinæ fidem conciliarent: ſed neutrum omnino propugnari poteſt.

Primo quidem dici non poteſt Evangelia, quæ hodie apud nos extant, non eſſe Evangeliſtarum opera, & ab aliquo impoſtore fuiſſe fabricata primis Eccleſiæ temporibus; quæro enim quo præciſe tempore facta fuerit ejuſmodi fraus, an cum adhuc in terris ſuperſtites vivebant Evangeliſtæ, vel poſt eorum mortem? Non primum, quia & ipſi Evangeliſtæ dubio procul reclamaſſent palam ac publice profitentes ſe nunquam tales fabulas de Chriſto Domino ſcripſiſſe. Non ſecundum, quia & contradixiſſent primi Chriſtiani, qui Apoſtolis & Evangeliſtis fuerant familiariter uſi, iique dixiſſent ſincere de talibus miraculis ſe nihil unquam audiviſſe, nemo enim neſcit quanta fuerit illis temporibus Chriſtianorum æquitas & animi ſimplicitas. Dici aliunde non poteſt quatuor Evangelia ſcripta & publicata fuiſſe longe poſt Evangeliſtarum tempora; quia de illis velut de genuinis Matthæi & aliorum ſcriptis ſermonem habent plurimi Autores qui paulo poſt Chriſti Mortem vixere. Evangelium S. Matthæi v. g. citatur a Clemente Apoſtolorum Diſcipulo coætaneo, a Barnaba in Epiſtola quæ ſub ejus nomine circumfertur, ipſique jam ab omnibus fere eruditis adjudicatur, ab Ignatio, Policarpo, Juſtino, Irenæo, Athenagora, &c. quapropter ſupereſt ut dicamus Evangelia vere ab illis Hiſtoricis fuiſſe conſcripta.

Deinde ſi quis omni pudore depoſito affirmare audeat ſpuria & ſuppoſita eſſe quatuor Evangelia, num idem dixerit de Actibus Apoſtolorum, qui ſancto Lucæ tribuuntur, aliiſque Epiſtolis novi Teſtamenti? Potuitne quiſpiam in primo Chriſtianiſmi ſæculo perſuadere Romanis, Corinthiis, Theſſalonicenſibus, ad ipſos directas & ſcriptas fuiſſe Epiſtolas, de quibus nihil unquam audiverant? nonne reclamaſſent illæ Eccleſiæ adverſus illam Chriſtianorum opinionem dicentes ſibi nunquam datas fuiſſe tales Epiſtolas? Eſt autem obſervatione digniſſimum iſtos novi Teſtamenti libros magnam ſibi mutuo lucem afferre, nec parum confirmari veritatem miraculorum, quæ deſcribuntur in Evangeliis per ea omnia quæ ſcribunt Apoſtoli in ſuis Epiſtolis, ubi ſcilicet aut eadem aut ſimilia referuntur, unde certo colligitur ex Epiſtolis quæ nonniſi abſurde dici poſſent ſuppoſitæ Apoſtolis, veras ſimiliter eſſe hiſtorias, quæ leguntur in quatuor Evangeliis.

Certe ſi hæc opera habeantur ſuppoſititia, jam nihil certi erit apud homines, nulla plane hiſtoria reputabitur certa, pari jure dubitabitur, an ſuos Commentarios olim ſcripſerit Cæſar, an Iliadem Homerus; negari poterit Moyſen eſſe Pentateuchi Autorem, quicquid in oppoſitum

toneant

tenеant Judæi, immo & negandum erit Chriſtum unquam & Apoſtolos extitiſſe.

Secundo, cogitari etiam non poteſt libros novi Teſtamenti, quamvis ab Apoſtolis revera conſcriptos, fuiſſe poſtea corruptos & interpolatos. Ratio eſt, quia vel id contigit temporibus Apoſtolorum, vel poſt eorum mortem: ſed neutrum dici poteſt; non primum, quia reclamaſſent illico Apoſtoli detecta fraude; non ſecundum, quisquis enim voluiſſet de induſtria iſtos libros mutilare, debuiſſet ſingula præ manibus habere exemplaria tum Evangeliorum, tum aliorum novi Teſtamenti librorum, quod omnino fuiſſe impoſſibile, nemo non videt, cum ſua ſingulæ Eccleſiæ aſſervarent exemplaria.

Deinde ſi corrupti fuerunt libri ſacri, maxime quia pia quadam Chriſtianorum fraude iis inſerta ſunt inſolita hæc quæ de Chriſto prædicantur facta; ſed nemo ſanæ mentis id unquam ſuſpicabitur, ſi enim ita res ſe habuit, quæcumque leguntur in Evangeliis, pro falſis & peregrina manu inſertis habenda ſunt, nulla erit pagina quæ maxima ſui parte non ſit interpolata, ubique enim & in ſingulis capitibus quædam miracula deſcribuntur, his omnino referta eſt Chriſti hiſtoria.

Denique iſtius fraudis Chriſtianos non accuſabit quisquis bona fide advertet in ipſo Chriſtianiſmi exordio exortas fuiſſe varias circa plurima fidei Catholicæ capita diſſenſiones, Eccleſiam infeſtarunt Gnoſtici, Valentiniani, Marcionitæ, aliique ejusdem furfuris homines; emerſit Autore Papia Millenariorum fabula, quod utique ſacri contextus veritatem luculenter probat, obſtant enim diſſenſiones quæ tum Catholicos & hæreticos, tum Catholicos a ſe invicem dividunt, ne vel minimum interpoletur Scriptura, cum ab ejusmodi perfidia abſtineat quivis neceſſe ſit vigilante adverſario.

Objicies: Plane incredibile eſt Chriſtum tot ac tanta ediſſe miracula per multos annos, palam & coram innumeris populis, in plateis & civitatibus, varios paſſim ægrotos ſanaſſe, mortuos ſuſcitaſſe, & alia id genus prodigia huc uſque inaudita operatum fuiſſe, & nihilominus tamen id a nullo alio Hiſtorico præter ejus Diſcipulos & Sectatores habeatur ſcriptum; profecto tam altum de factis tanti momenti ſilentium nemini unquam perſuaderi poterit quin ea hoc ipſo revocet in dubium: igitur veriſimile eſt illa omnia gratis conficta ab Apoſtolis ut fidem conciliarent doctrinæ quam ubique per totum orbem annunciabant.

Nego ant. triplici de cauſa.

Primo, quia illius ſeculi Scriptores rerum Judaicarum videntur penitus ignari, aut ſaltem de illis parum ſolliciti; pauca enim vel nihil de illa gente referunt, ſi excipiatur Joſephus, qui nec de Chriſto tanquam viro perilluſtri & miraculis claro mentionem fecere, uti poſtea oſtendemus, cum de celebri Joſephi teſtimonio diſſertationem edemus. Ex quibus colligitur mirum videri non debere ſi rem Chriſtianam Chriſtumque ipſum & ſtupenda ejus geſta ſilentio præterierint Scriptores prophani, qui tunc temporis degebant: Chriſti enim hiſtoria Judæam ſpectabat, & primis illis temporibus velut una e Judæorum ſectis æſtimabatur Chriſtiana religio. Unde Chriſtum commemorans Suetonius, ubi de Claudio Imperatore, ſcribit occaſione Chriſti tumultuatos fuiſse Judæos.

Secundo, quia Ethnicis & Scriptoribus valde periculoſum fuiſſet Chriſti miracula deſcribere, nam Chriſtianam ſectam habebant ut meram ſtultitiam, vel ſi qui apud eos certum eſſe putabant, quod de Chriſto in Judæa narrabatur, hoc ipſum litteris mandare nunquam auſi fuiſſent: Vel enim hæc miracula Chriſti Domini geſta ſincere ſcripſiſſent vel non; ſi primum, ſtatim omnium invidiam in ſe ipſos concitaſſent: ſi ſecundum, aperti mendacii ex teſtimoniis Apoſtolorum qui coævi erant Hiſtorici, facile fuiſſent convicti; igitur mirum non eſt ſi de Chriſto nullus fere inter Hiſtoricos quidquam commemoret.

Tertio, hoc argumentum nimis probat,

Digitized by Google

bat, nimirum ſi quid in eo virium eſſet, ſequeretur, nec Chriſtum unquam nec ejus Diſcipulos extitiſſe. An falſum eſt Chriſtum, ſeu Jeſum Mariæ Filium viviſſe, Jeroſolymis in illa ætate quandam doctrinam novam hominibus annunciaſſe, nomen ſibi feciſſe, Sectatores & Diſcipulos habuiſſe, & cum ſe diceret a Deo miſſum & Filium Dei, a Judæis fuiſſe cruci affixum & morti traditum, quis, inquam, hæc omnia dixerit falſa & ſuppoſita? Ea tamen ſilentio quoque uti & miracula perimunt Hiſtorici prophani.

Objicies: Nil vetat quominus dicatur deceptos ac deluſos fuiſſe Evangeliſtas, quos nemo neſcit homines fuiſſe rudes & imperitos, quibus fucum facere non erat difficile, præſertim cum agitur de factis extraordinariis, & miraculis, uti nunc ſe habere erga ruſticos & mulierculas quotidiana comprobat experientia; nam v. g. Matthæus ſcribit miraculoſam Chriſti Conceptionem de Spiritu ſancto, & in ejus Nativitate adventum Magorum qui eum in præſepio velut Deum adorarunt, debuit hac in parte alteri talia narranti credere, rem propriis oculis non vidit. Item Marcus & Lucas teſtes oculati non fuere eorum, quæ tanquam certa referunt. Præterquamquod præfata miracula non ſinguli Evangeliſtæ ſingula denarrant, quodlibet penes eſt fidem unius: igitur ſatis veriſimile deluſos hac in parte fuiſſe quatuor Evangeliſtas.

Nego ant. Siquidem, ut ſupra dixi in probationibus, ea eſt natura & conditio plerorumque Chriſti miraculorum, quæ deſcribuntur ab Evangeliſtis & aliis Apoſtolis, ut cum ſe ea ipſa vidiſſe expreſſe teſtantur, fingi non poſſint hac in parte decepti; teſtantur v. gr. in ſeipſos illapſum Spiritum ſanctum in forma linguarum igneatum. Eſto vero quod in hoc quiſpiam utens præſtigiis eos deceperit, addit S. Lucas in Actis Apoſtolorum ſingulos illico variis linguis locutos fuiſſe, quis autem perſuadebit alteri quantumvis ſupponatur rudis, illiteratus & credulus, penes eum eſſe variis linguis loqui, & revera locutum, ſi manifeſte contrarium experiatur nullum callens idioma? Revera multa Chriſti miracula referunt Lucas & Marcus, quorum oculati non fuere teſtes, ſed aliunde ſcribunt ea patrata fuiſſe palam & in conſpectu omnium, in ipſa urbe Jeroſolymitana, deſignant loca & tempus aliaſque circumſtantias, quis crediderit eos unquam auſos fuiſſe meras fabulas pro certis hiſtoriis tam impudenter venditare? At vero ſi unus aut alter ex Evangeliſtis ſupponatur factis quibusdam ab aliquo Impoſtore præſtigiis deluſus, num cogitari poteſt cæteros pariter deceptos cum ſeptuaginta Diſcipulis, & tanta hominum multitudine, qui conſpectis illis miraculis ad fidem Chriſti converſi ſunt, quos inter multos fuiſſe litteratos & ingenio præditos dubitari non poteſt?

Objicies: Recte dici poteſt hæc omnia Chriſti miracula finxiſſe mendaces Apoſtolos, qui cum a Chriſto ipſo ſe deceptos experirentur, videntes eum factione Judæorum morti traditum & non ſurrexiſſe, in hoc conſenſerunt inter ſe antequam per totum orbem diſpergerentur, ut tot ac tanta prodigia Chriſto affingerent, vel ne Judæorum omnium invidiam in ſe concitarent, vel ut creſcentis in dies ſectæ Patroni & Fautores eſſent: unde ruit omnino argumentum quod ex mirabili Apoſtolorum conſenſione in referendis Chriſti miraculis petitur.

Nego ant. & dico plane incredibile eſſe rudes quoſdam & illiteratos piſcatores, quos ante Chriſti mortem legimus adeo timidos ut Magiſtrum a ſatellitibus captum deſeruerint, illico tamen & quo tempore facile intelligitur eos fuiſſe conſternatos, & à Chriſti fide adverſos, conſilium fortiter iniiſſe hunc eundem Chriſtum tanquam Deum, Filium Dei, Meſſiam, Salvatorem ubique gentium prædicare, propriam vitam in hujus veritatis teſtimonium libere & cum gaudio profundentes. Si poſt Chriſti mortem tandem agnoverunt ſe ab eo fuiſſe deceptos, & niſi ſupponantur per Spiritus ſancti illapſum illuminati atque etiam corroborati,

Digitized by Google

uti ferunt Scripturæ noſtræ ; quomodo auſi ſunt hunc eundem Jeſum crucifixum ſectari & aliis colendum proponere? Judæos propriam gentem, Scribas & Doctores ipſamque totam Synagogam inhumanitatis & ſævitiæ accuſare? tot fabulas per univerſas provincias & regna palam diſſeminare? Denique pro illis fictionibus confirmandis varia ſupplicia & mortem ipſam lubenti animo oppetere? quis iſta abjectis piſcatoribus affinget?

Deinde non videtur quo tandem motivo hanc partem amplexi fuerint Apoſtoli aliique Diſcipuli, num motivo vindictæ in Judæos qui Chriſtum mox interfecerant? Minime gentium, quia videlicet poſt Chriſti mortem, ſi revera certi non fuerunt eum reſurrexiſſe, judicare debuerunt ſe a Chriſto fuiſſe deluſos, & deinceps ſtare a partibus Judæorum & Synagogæ, eundem ſemper cultum retinentes. An motivo ſuperbiæ? Sed facile concipere debuerunt certam ſe notam infamiæ incurrere ſequendo hominem crucifixum velut latronem & impoſtorem. Unde nemo ſanæ mentis compos unquam cogitaverit hac in parte mendaces fuiſſe Apoſtolos.

Objicies: plane incredibile eſt Chriſtum tot ac tanta in conſpectu omnium edidiſſe miracula, & tamen Judæos omnes ſtatim viſis ejuſmodi prodigiis Chriſti ſectam non fuiſſe amplexos; quis enim v. g. ad ſtupendam quatriduani mortui reſurrectionem non concutitur, non convertitur, nec tanti prodigii Autorem agnoſcit a Deo miſſum aut Deum ipſum? Ubi non abs re erit obſervare mirum non eſſe, ſi olim Pharao divinam Moſis miſſionem non agnoverit, tametſi Moyſes plurima ediderit miracula, ſiquidem ejus miracula omnia fere fuerunt formidoloſa, fulgura nimirum, peſtes, plagæ. Sed quæ Chriſto tribuuntur miracula, totidem erant pro hominibus beneficia, alium ſanabat, ab alio ejiciebat dæmonium, alteri vitam reſtituebat: unde vix intelligi poteſt eo pervicaciæ deveniſſe Judæos ut Chriſtum tam beneficum ejuſmodi miraculorum Autorem non modo ſecuti non fuerint, ſed & morti tradiderint.

Reſpondeo 1. falſum eſſe quod in iſta objectione ſupponitur, nullos aut ſaltem nonniſi paucos admodum ad fidem Chriſti converſos fuiſſe Judæos: conſtat enim ex ipſis Evangeliis ingentem plerumque populorum multitudinem viſis Chriſti miraculis illico fuiſſe ad ipſum pertractos, Joan. 2. *Cum autem eſſet Jeroſolymis in Paſcha in die feſto crediderunt in nomine ejus, videntes ſigna ejus quæ faciebat.* Cap. 7. *De turba autem multi crediderunt in eum & dicebant.* Conſtat inſuper ex Actis Apoſtolorum & ex hiſtoria naſcentis Chriſtianiſmi propter miracula Chriſti & Apoſtolorum Gentiles innumeros Chriſtianam fidem ſuſcepiſſe, plurimaſque in diverſis ne dicam in ſingulis univerſi orbis partibus fundatas fuiſſe Eccleſias. Certe tam frequens tamque repentina hominum mutatio, qui a Synagoga Judæorum vel ab ipſo Paganiſmo ad ſectam Chriſti tranſierunt, tametſi præcepta tradat naturalibus hominum propenſionibus maxime adverſa, in aliam cauſam refundi non debet, quam in ſtupenda Chriſti miracula, quæ, ut ipſe teſtabatur, in confirmationem divinæ ſuæ doctrinæ & miſſionis edebat.

Deinde meo quidem judicio male prorſus colligitur ſuppoſititia eſſe Chriſti miracula, ex eo videlicet quod ſinguli Judæi fidem Chriſtianam ſtatim non ſunt amplexi; tum quia ſciunt omnes quanta cum pertinacia avitam religionem retinere ſolent homines, & quam difficile ſit ab una ſecta ad aliam tranſire; unde ſi qui Judæi Chriſti miraculorum teſtes fuerunt oculati, & de eorum veritate ambigere non potuerunt, blaſphemare maluerunt & dicere hæc prodigia in virtute dæmonum facta quam ſimpliciter agnoſcere Chriſtum vere a Deo miſſum. Quibus adde quod variis ſuppliciis & morti ipſi addicebantur qui Chriſti fidem ſuſcipiebant; unde mirum non eſt ſi Chriſtiana religio tam promte non fuit propa-

gata;

Digitized by Google

gata; quin immo plane ſtupendum ac mirabile videtur eamobrem quoſdam auſos fuiſſe illam palam, & aperte profiteri, quo potiſſimum tempore Chriſtiani & in Judæa & apud Gentiles quibuſvis contumeliis & injuriis afficiebantur, necnon verberibus frequenter & aliis ſuppliciis mulctabantur.

Objicies Ex præfatis Chriſti miraculis nihil colligitur ad aſſerendam Chriſtianæ religionis veritatem, ſi ab aliis quam a Chriſto ejuſque Diſcipulis edita fuerint interdum miracula: ſed illud certum eſt ex Hiſtoricis.

De Veſpaſiano quidem Imperatore multa plane miracula refert Tacitus, lib. 4. Hiſtoriarum cap. 4. prope finem, nimirum ab eo viſum fuiſſe reſtitutum cuidam cæco, alium vero qui manu ægrotabat ſanatum.

De Apollonio Thyaneo tanta & tam præclara ſcribit Philoſtratus hujus vitæ Autor, ut eum miraculis peræque clarum dixeris ac Chriſtum ipſum; tametſi ſupponantur vera & fucata nec ſuppoſititia eſſe illa quæ de Chriſto referuntur ab Evangeliſtis. Teſte Philoſtrato Apollonii mater a Proteo Ægyptiorum Deo didicit futurum ut ipſe ex ea naſceretur. In Nativitate Apollonii apparuit fulgur quod e cœlo in terram cecidit, iterumque ſurſum advolavit, & Virgines auditæ ſunt cantantes: *Veni de terra, veni in cœlum.* Si fides habeatur huic Scriptori, Apollonius futura novit & ſæpiſſime prædixit. Ad eum veluti ad hominem præclarum & inſignem magnus fiebat populorum ex omni gente concurſus. Nullum eſt miraculorum genus quod non patraverit, dæmonia ejecit, puellam a morte ad vitam excitavit, &c. cui demum etiam, cum fato functus eſſet, divini ab infinitis populis exhibiti ſunt honores, ita ut Deus agnoſceretur & adoraretur.

De Mahomete multa etiam referuntur prodigia, ſi fides adhibeatur ejus Sectatoribus, uti fidem apud nos faciunt pro aſtruenda Chriſtiana religione Chriſti Diſcipulorum teſtimonia, aiunt autem inſuper Mahometem virum fuiſſe ſingulari virtute & vitæ ſanctimonia valde commendabilem, Spiritu ſancto afflatum, cum ſua dogmata dictavit & litteris conſignavit: igitur.

Reſpondeo neminem eſſe ſanæ mentis compotem, & ab omni præjudicio liberum, qui facile non agnoſcat, quam late differunt inter ſe miracula quæ de Chriſto referuntur ab Evangeliſtis aliiſque ſacris Scriptoribus, & ea quæ præfatis hominibus affingi ſolent; ſatis erit in ejuſmodi homines, puta Veſpaſianum, Apollonium, & Mahometem, & in eorum vitam ſeu vivendi genus oculos conjicere; immo ſi pauliſper inſpiciantur ipſa teſtimonia quæ in gratiam illorum adducuntur, liquet manifeſte ea non eſſe ido ea ad fidem ipſis conciliandam. Ut autem de ſingulis unum aut alterum verbum dicamus, reſponſionem noſtram mutuabimur lubenter ab illuſtriſſimo Abrincenſium Epiſcopo Daniele Huetio, qui hoc argumentum de Chriſti miraculis tractans, propoſitam difficultatem de Veſpaſiano & Apollonio Thyaneo ſic ſolvit.

Ad Veſpaſianum quod attinet: *Mirifica*, inquit propoſitione nona, *illa Veſpaſiani opera quibus cæco cuidam viſum reſtituiſſe, & alium manu ægrum ſanaſſe fertur, a ſubdolis Ægyptiorum artibus videntur profecta inter quos acta res eſt. Fama acceperant illi fortaſſe a Judæis, quorum multitudo ingens erat Alexandriæ, Joſephum ſacra quædam oracula Veſpaſiano accommodaſſe, quæ in Judæorum Meſſiam conveniebant. Cum ergo inaudiſſent Jeſum qui Meſſias habebatur a pleriſque, cæcum illico oculis ſputo ſanaſſe, & claudos ac debiles morbo liberaſſe, duos in eum cultum ſubornant, quaſi ille manu, hic oculis captus eſſet. Tabe oculorum notum hunc fuiſſe ſcribit Tacitus, quibus notum? An Veſpaſiani comitibus recens illuc appulſis? Haud quaquam certe, ſed Ægyptiis commenti artificibus qui falſo id teſtificabantur; Veſpaſianus primo irridere, aſpernari, verba ſunt Taciti, quippe fraudem & palpum ſentiens, tandem vocibus adu-*

lantium in ſpem induci. Medicis præſertim rem fieri poſſe ſuadentibus, quippe doli fortaſſe conſciis, cum dicerent, huic non eſſe exeſam vim luminis & redituram, ſi pellerentur obſtantia, illi elapſos in pravum artus, ſi ſalubris vis adhibeatur, poſſe integrari. Agnoſcis lector ſimulatos morbos quales illi ſunt mendicorum æruſcatorum, qui ad movendam miſericordiam ægrorum habitu ſe ſe componunt. Re intellecta Veſpaſianus falſis morbis falſam medicinam adhibuit, alterius calcata manu, inſputatis alterius oculis. Ergo mirabile non eſt quod addit Tacitus, utrumque qui interfuere, nunc quoque memorant, poſtquam nullum mendacio pretium. Rem geri viſam fuiſſe non negamus, geſtam fuiſſe negamus.

De Apollonio autem Thyaneo ſic diſſerit: *Philoſtratus primum plus centum annis Apollonio recentior, res ab eo geſtas nonniſi ex alieno teſtimonio cognitas habuit, cum Chriſti Jeſu vitam coætanei fere Scriptores, Actorumque ipſius oculati teſtes prodiderint... deinde paucis ac ſæpe nullis teſtibus acta ſunt prodigia pleraque Apollonio aſcripta. Præterea quis Philoſtrati ipſius fidem, teſtimonia hæc præ ſe ferentis, præſtare velit? Vulgi ſermones jactat, ſtolidi ſcilicet, & inepti de rebus ante centum annos actis temere diſſerentis... teſtes dat præterea Philoſtratus Damidem perpetuum Apollonii ſocium, Maximum Ægienſem & Maragenem. Ad primum quod attinet, quam parum ipſi habendum ſit fidei mihi ſatis liquet: nam ſi planus fuit Apollonius, uti fuiſſe ſequentia probabunt, deceptorem quoque & vaniloquum fuiſſe Damidem putandum eſt, qui arcanorum ejus omnium & mendaciorum fuit particeps... perpauca vero erant quæ in librum ſuum retulerat Maximus, ea nimirum duntaxat quæ Ægis Apollonius egerat. Marageni fidem palam detrahit ipſe Philoſtratus, quippe multorum viri actorum ignaro... Id præterea ſpectaſſe in primis videtur Philoſtratus, ut invaleſcentem jam Chriſti fidem ac doctrinam deprimeret oppoſito hoc omnis doctrinæ, ſanctitatis, ac mirificæ virtutis fictitio ſimulachro. Itaque ad Chriſti exemplar hanc expreſſit effigiem & pleraque ex Chriſti Jeſu Hiſtoria Apollonio accommodavit, ne quid Ethnici Chriſtianis invidere poſſent... Nunc exiſtimari poteſt haud æquiorem ab Hierocle inſtitutam eſſe comparationem inter Chriſti Jeſu & Apollonii Hiſtoricos ac inter Chriſtum ipſum & Apollonium. Petrum & Paulum ait alioſque, a quibus res a Jeſu geſtæ memoriæ proditæ ſunt, mendaces fuiſſe illiteratos, & præſtigiatores; qui vero Apollonii vitam retulerunt in litteras, Damidem, Maximum, Philoſtratum, viros fuiſſe eruditos & veritatis ſtudioſos. Nos e contrario Apoſtolos vel ob ſimplicitatem & imperitiam, remur minus eſſe debere doli falſitatiſque ſuſpectos; Philoſtrati vero aliorumque qui in Apollonio celebrando ipſi præiverunt, propter ingenii acumen & doctrinam quam prædicant, dubiam eſſe fidem. Conſtat enim rudes & indoctos homines fere candidos eſſe eoſdem veraces & incallidos; qui vero doctrina & uſu rerum peritiores extiterint, vaſritie eos verſutiaque præſtare... Interim ſi quis ex me percontetur quid de Apollonio cenſeam, vaferrimum eum facerrimumque fuiſſe magum reſpondebo. Vulgo receptam hanc fuiſſe ſua ætate opinionem ipſe fatetur Philoſtratus initio operis, eamque præcipue evellendam ſibi propoſuit. Hoc ipſi crimen impegit Euphrates, pro Mago a Domitiano captus & in carcerem detruſus eſt. Magis ipſe Babylonis noxiæ & occultæ Magiæ ſtudioſis ſapientiæ laudem tribuit. Brachmanes quos præſtigiatores agnoſcit Philoſtratus, deos ac magiſtros ſuos, ſapientes, ac beatos Apollonius nuncupat,* &c. ex quibus aliiſque bene multis, quæ quidem omittimus, ne in immenſum creſcat iſta reſponſio, perſpicuum maxime eſt fruſtra objici ab adverſariis Apollonii geſta ad elevandam Chriſti miraculorum autoritatem.

Denique nullius omnino momenti eſt quod dicitur de Mahomete, qui ſectam ſuam miraculis confirmare ne quidem tentavit nec tentare auſus eſt ſuæ videlicet tenui-

tenuitatis & impotentiæ conſcius, quanquam nonnulla ipſi affingantur ab ejus Diſcipulis & Fautoribus. Præterquamquod nemo neſcit in Alcorano, qui genuinam Mahometis doctrinam exhibet, plane nihil aliud contineri quam deliramenta, fabulas, & ineptias, quam innumeras in Deum & Chriſtum impietates & putidas in Chriſtianos calumnias; horum omnium, quæ numero infinita ſunt in nefando illo opere, ſpecimen erit quod ſcribit Mahometes ſe virum eſſe divinum, Prophetam, & a Spiritu ſancto inſufflatum, quandoque ſe in cœlum ſuiſſe elevatum & locutum fuiſſe cum Deo. Item de Deo ſimpliciter aſſerit eum non poſſe habere filium, quoniam uxorem non habet. Chriſtianos erroris inſimulat quaſi tres adorent Deos. Ait Judæos non occidiſſe Chriſtum ſed quemdam alium ejus ſimilem, aſſerit Angelos igne fuiſſe creatos; & mortuos, & tandem reſurrecturos. Mirum quantas congerit fabulas, de Adam, Eva, Belzebuth, de Moyſe, Davide, Salomone variiſque Prophetis huc uſque inauditis. Item quot & quanta deliramenta, de conjugiis, uxorum multiplicitate, de partu, de Paradiſo & beata vita poſt obitum. Scilicet pleraque hæc omnia, quoniam ab omni ratione aliena legem ipſam naturalem & ſenſum communem lædunt, manifeſte oſtendunt vaferrimum fuiſſe Mahometem qui nec a Deo miſſus nec divina virtute inſtructus præſumi poteſt, unde merito colligitur ſuppoſititia & plane fabuloſa eſſe miracula quæ ipſi a nonnullis Mahumetanis aſcribuntur.

Inſtabis: Chriſtus ipſe ſupponit miracula fieri poſſe a Pheudoprophetis, ſic enim loquitur Matt. 24. *Tunc ſi quis vobis dixerit, Ecce hic eſt Chriſtus aut illic, nolite credere. Surgent enim Pſeudochriſti & Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi*. Idem ſignificat Apoſtolus 2. ad Theſſalonicenſes 2. cap. his verbis, *Et tunc revelabitur ille iniquus quem Dominus Jeſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione adventus ſui eum, cujus eſt adventus ſecundum operationem ſatanæ in omni virtute & ſignis, & prodigiis mendacibus*. Non eſt igitur tam firmum tamque validum hoc argumentum ad aſſerendam Chriſti miſſionem, quod ex ejus miraculis ducitur, quandoquidem & ſua edere poſſunt Pſeudoprophetæ, & quædam etiam faciet Antichriſtus in ultima rerum conflagratione.

Reſpondeo ſenſum illorum Scripturæ verborum non eſſe, nequaquam miraculis in negotio religionis eſſe innitendum, ut enim ſupra oſtendimus, non ſemel profeſſus eſt ipſe Chriſtus ſe ad divinam ſuam miſſionem confirmandam multa feciſſe ſigna. Verum his Scripturæ locis duntaxat monentur fideles, non omnia promiſcue prodigia ex æque probanda eſſe velut certa divinæ miſſionis indicia, quod nimirum nonnulla, ut non diffitemur, ſigna, totidem ſunt mendacia & in virtute Satanæ facta. Idcirco autem ex miraculis Chriſti validum eruitur pro noſtræ religionis veritate argumentum, quia ejuſmodi ſunt miracula, quæ vel incantationibus, vel humana quadam induſtria, vel denique dæmonum arte fabricantur, ut ſi attentius conſiderentur in omnibus ſuis circunſtantiis, nullo negotio intelligatur ea non eſſe edita Dei juſſu & autoritate, uti clarius patebit ex ſequenti reſponſione.

Objicies: Nil vetat quominus dicatur Chriſtum non virtute divina ſed magica velut quemdam præſtigiatorem ſua edidiſſe miracula, ſiquidem poteſt Deus vim faciendorum miraculorum concedere dæmonibus vel pravis hominibus, nonnulli enim dicent in die judicii, *Domine nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus &c.* vel denique Magis ope dæmonum utentibus, cujus rei exemplum inſigne præbet Hiſtoria ſacra, nam legimus in Exodo cap. 7. multa miracula patrata fuiſſe a Magis Pharaonis, vel etiam eadem quæ Moyſes fecerat coram Pharaone, ut divinæ ſuæ miſſionis veritatem corroboraret. Ex quo facile intelligitur tutum non eſſe

ad

Digitized by Google

ad ſtabiliendam Chriſtianæ Religionis veritatem hoc argumenti genus quod ex miraculis Chriſti ducitur.

Reſpondeo dubium non eſſe, quin Deus interdum poſſit, ſi ita ipſi viſum fuerit, vel dæmonibus vel pravis hominibus vim faciendorum miraculorum concedere, miracula enim cenſentur quæcunque opera ardua & inuſitata quæ omnem facultatem creatam ſuperant. Verum hoc non impedit quominus miracula quæ patravit Chriſtus Dominus, certa dicantur divinæ miſſionis indicia, ſi nimirum attendatur ad naturam illorum & ad modum & circumſtantias in quibus operabatur. Certe cogitari non poteſt Chriſtum ejeciſſe dæmonia in virtute ipſius ſatanæ, alioquin Belzebuth ſeipſum deſtruxiſſet; *Si ſatanas*, ut obſervat ipſe Chriſtus Matth. cap. 12. *ſatanam ejicit, adverſus ſe diviſus eſt, quomodo ergo ſtabit regnum ejus?* Deinde patet ex Scripturis, uti jam diximus, Chriſtum Jeſum ea ſolum miracula feciſſe, quibus aliquo beneficio cumulabat homines, ambigit autem ſanctus Auguſtinus in Pſal. 78. nec immerito, an per dæmones Deus quædam fecerit miracula quibus homines aliquo beneficio immediate afficeret, additque ſe in ſacris Scripturis id nunquam legiſſe. Tertio non unum aut alterum ſed innumera Chriſtus edidit miracula in confirmationem ſanctiſſimæ ſuæ doctrinæ, quod nec dæmonibus nec pravis hominibus competere poteſt.

Denique quod ſpectat miracula a Magis Pharaonis in Ægypto edita ex ipſa Scriptura abunde manifeſtatur quantum diſcrimen fuerit inter miracula Moyſis & illa quæ a Magis fieri viſa ſunt: teſtatur enim Hiſtoricus ſacer Magos nonniſi per incantationes & quædam arcana operatos: *Vocavit autem Pharao ſapientes & maleficos, & fecerunt etiam ipſi per incantationes Ægyptiacas, & arcana quædam ſimiliter*. Quod forſitan permiſit Deus ut induraretur cor Pharaonis. Altera circunſtantia eſt, quod virga Aaron devoravit virgas Magorum Pharaonis, *projeceruntque ſinguli virgas ſuas quæ verſæ ſunt in dracones, ſed devoravit virga Aaron virgas eorum*. Quibus accedit, quod Magi ſuam tandem agnoverunt impotentiam, cap. 8. *Feceruntque ſimiliter malefici incantationibus ſuis, ut educerent Sciniphes, & non potuerunt. Et dixerunt malefici ad Pharaonem, digitus Dei eſt hic*. Quia nimirum voluit Deus ut ſua ſemper vis eſſet in miraculis Moyſis ad ejus Miſſionem ſtabiliendam, nec per opera Magorum quicquam obſcuraretur, quatenus agnoſcunt, & experiuntur ſummam Dei virtutem reſidere in Moyſe.

Objicies: Recte dici poteſt miracula quæ Chriſto tribuuntur, naturali virtute & humana quadam induſtria patrata fuiſſe, contingit enim non ſemel ut homines ſingulari arte præditi, vel etiam aliis fucum faciendo, ejuſmodi opera tametſi admirabilia quandoque geſſerint: unde nullum eſt argumentum quod petitur ex Chriſti miraculis, ut inde conficiantur Chriſtum nonniſi divina virtute operatum.

Nego ant. Siquidem creatæ cuicunque virtuti & induſtriæ tribui non poſſe illa miracula, manifeſte convincit illorum magnitudo: quis enim in animum ſibi unquam induxerit arte humana fieri poſſe, ut cœcis a nativitate viſus reſtituatur, dæmonia e corporibus energumenorum ejiciantur, mortui reſurgant, atque is ipſe cui tam ſingularis induſtria tribuitur, ſibi cruci affixo & vere mortuo vitam reddat? Hæc certe de quibus nullum extat in quacunque Hiſtoria ſacra vel prophana exemplum, nemini unquam vel mulierculæ perſuaderi poterunt. Unde ſermonem cœci nati dicentis ſimilia nuſpiam fuiſſe edita, nec ab alio edi poſſe qui non ſit Dei cultor & divina virtute corroboratus his verbis: *Scimus autem quia peccatores Deus non audit; ſed ſi quis Dei cultor eſt & voluntatem ejus facit, hunc exaudit. A ſæculo non eſt auditum, quia quis aperuit oculos cœci nati. Niſi eſſet hic a Deo non poterat facere quidquam*, Chriſtus Dominus expreſſe approbavit Joan. 9. cap. Et ipſe cap. 15. ejuſdem Evangelii fidenter affirmit.

mat a nemine unquam talia fuiſſe facta: *Si opera non feciſſem*, inquit, *in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*. Cujuſmodi eſt quod aſſerit Matth. 11. cap. *Euntes renunciate Joanni quæ audiſtis & vidiſtis, cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes evangelizantur*. Quaſi dixiſſet tam mirabilia eſſe ejuſmodi opera, ut nemo prudens dubitare poſſit, quin eorum Autor ſit divina virtute inſtructus, adeoque veram ac plane divinam eſſe doctrinam quam talibus ſignis confirmare voluit.

Deinde bona fide neminem judicare poſſe per humanam induſtriam patrata fuiſſe Chriſti miracula, ex ipſo modo quo Chriſtus operabatur, certo colligitur: ſcilicet nullius rei, quæ vi ſua nativa tam ſtupendos effectus producere poſſet, adminiculo utebatur, ſed ſolo verbo & imperio, vel fuſa in Deum Patrem prece, idque fiebat coram aſtantium multitudine nihil occultando.

Expenditur momentum quod ducitur ex Teſtimonio Joſephi Judæi de Chriſto.

TEſtimonium de quo proponitur quæſtio, his conceptum eſt verbis, lib. 18. Antiquitatum Judaicarum cap. 4. *Fuit autem hoc tempore Jeſus vir ſapiens, ſi tamen virum illum oportet dicere: erat enim mirabilium operum Effector, Magiſter hominum qui vera libenter amplectuntur. Et plurimos quidem ex Judæis, plurimos etiam ex gentibus ad ſe pertraxit. Hic erat Chriſtus, cumque eum a primoribus gentis ſuæ accuſatum Pilatus ad crucem damnaſſet, ab eo diligendo non abſtiterunt, qui primum cœperant. Nam poſt tertium diem redivivus ipſis apparuit, cum divini vates hæc aliaque multa admiranda de eo prædixiſſent. Neque ad hanc diem defecit denominatum ab eo Chriſtianorum genus.*

Si præclarum hoc Joſephi Judæi de Chriſto teſtimonium revera hujus Autoris genuinum eſt opus, dubio procul jure ac merito profertur a Chriſtianis tanquam inſigne argumentum, quod ſummam Chriſti dignitatem & excellentiam, adeoque Chriſtianæ Religionis veritatem demonſtrat. Siquidem teſtatur Joſephus Jeſum Chriſtum fuiſſe virum ſapientem & mirabilium operum effectorem, qui multos & Judæos & Gentiles ad ſe pertraxit; Magiſter fuit hominum qui libenter veritatem amplectuntur; quia Judæis morti traditus poſt tertium diem vitam ſibi reſtituit; de quo demum preclara multa prædixerunt antiqui Prophetæ, quod quidem teſtimonium eo validius merito cenſetur, quod a Judæo ſeu homine Chriſtiani nominis inimico profectum eſt. Quapropter hoc nobis nunc examinandum incumbit, utrum locus iſte huic Scriptori ſit adjudicandus, uti communiter cenſent plerique omnes Critici, vel ſpurius ſit & aſſutus, uti his poſtremis temporibus nonnulli exiſtimarunt, quos inter eminuit potiſſimum Tanaquillus Faber in ſecta Calviniana Scriptor non infimæ notæ & qui ſuper hoc Joſephi teſtimonio, ut illud oppugnaret, Diſſertationem edidit; in hanc opinionem ſit

CONCLUSIO.

Præfatum de Chriſto Joſephi teſtimonium non eſt ipſi ſuppoſitum, ſed jure ac veriſimiliter creditur legitimus illius fœtus.

Probatur, quia locus iſte ſecundum tutioris criticæ regulas habet omnes veri ac legitimi inſtrumenti notas.

1. enim legitur in omnibus & ſingulis Joſephi codicibus, ſeu calamo ſcripti ſint ſeu typis exarati, quod unum ſufficiat ad evincendam hujus ſcriptionis veritatem.

2. Quia deſcriptum illud habemus in operibus veterum tanquam legitimum Joſephi opus. Refert illud integrum & nullo penitus omiſſo vocabulo Euſebius Hiſt. Eccleſiaſt. cap. 11. ut oſtendat fidem non eſſe denegandam Apoſtolis, cum de Chri-

ſto

Digitized by Google

ſto mirabilia prædicant, quandoquidem cum illis conſentiunt prophani Scriptores, in quorum numero eſt Joſephus Judæus, *Hæc igitur*, inquit Euſebius prolato hoc noſtro Joſephi teſtimonio, *cum Scriptor ille ex Hebræis oriundus de Joanne Baptiſta & de Servatore noſtro in libris ſuis commemoraverit, quod jam effugium relinquitur his qui adverſus eos acta illa confinxerunt quominus impudentiſſimi eſſe convincantur*.

Quod ſi quis cogitare audeat Euſebium pia quadam fraude tale monumentum in gratiam Chriſtianorum ſuppoſuiſſe Joſepho, reſpondebimus eum doctiſſimo Valeſio in notis ad præfatum locum: *Cui bono id Euſebius confingere voluiſſet? An ex teſtimonio Joſephi pendebat Divinitas Chriſti? Annon Euſebii ætate libri Antiquitatum Joſephi in omnibus Bibliothecis viſebantur? Quibus prolatis facile fuiſſet Euſebii fraudem convincere*.

Item S. Hieronymus eundem refert Joſephi locum in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum ubi de Joſepho: *Hic*, inquit, *in decimo octavo Antiquitatum libro, maniſeſtiſſime confitetur, propter magnitudinem ſignorum, Chriſtum a Phariſæis interfectum, & Joannem Baptiſtam vere Prophetam fuiſſe, & propter interfectionem Jacobi Apoſtoli dirutam Jeroſolymam. Scripſit autem de Domino in hunc modum, eodem tempore &c.*

Et Sozomenus lib. 1. Hiſt. Eccleſiaſt. cap. 1. inter eos qui ſtupenda ac divina Chriſti geſta litteris demandarunt, reponit Joſephum de quo ſic loquitur: *Sed & Joſephus Matthiæ filius, ſacerdos, vir cum apud Judæos, tum apud Romanos celeberrimus veritatis de Chriſto teſtis eſt locupletiſſimus, eum enim hominem quidem appellare, utpote mirabilium operum effectorem &c.* Ubi de verbo ad verbum inſignem Joſephi locum exſcribit. Quod ipſum alii poſtea præſtiterunt Scriptores clariſſimi Iſidorus Peluſiota lib. 4. Epiſtolarum Epiſt. 225. Nicephorus Calliſtus lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. 39. Theodorus Methochita lib. ſingulari Hiſt. Rom. pag. 62. & 76. Et poſtea ex recentioribus Trithemius, Baronius, Bellarminus, & illuſtriſſimus Huetius propoſitione tertia; adeo ut fateatur ipſe Faber neminem jam dubitare quin iſtud monumentum legitimus ſit Joſephi fœtus.

Secundo & id maxime ſuadet ratio, quæ quidem haberi merito non poteſt levis conjectura, uti contendunt nonnulli. Scilicet nemo ſibi facile perſuadere poterit Joſephum in ea Hiſtoria, in qua res Judæorum accurate deſcribit, de Chriſto nihil locutum, cujus tamen occaſione magni excitati ſunt tumultus in populo & in ipſa urbe Jeroſolymitana inter ſcribas & Phariſæos, qui aliam a lege Moyſis prædicavit doctrinam, multos ſibi aſcivit diſcipulos, novam condidit ſectam, ac demum Jeroſolymis cruci affixus eſt & morti traditus velut deſtructor templi & Cæſaris inimicus: potuitne Joſephus hæc omnia ſilentio perimere? nonne contra ſtupendum videtur hunc ſcriptorem in rebus Judæorum recenſendis diligentem, tam pauca de Chriſto ſcripſiſſe?

Altera ratio quæ & potior mihi videtur, ex eo ducitur quod idem Joſephus in alio loco ſic loquitur ut inde perſpicue declaretur ipſius eſſe hoc monumentum, de quo preſens habetur quæſtio; nam lib. 20. Antiquit. Judaicarum cap. 8. hæc ſcribit de Jacobo: *Et ſtatuerunt eum coram Albino præſide fratrem Jeſu qui dicitur Chriſtus, Jacobum nomine*. Duo colliguntur ex iſtis Joſephi verbis: primum eſt hunc Scriptorem eodem modo & eodem nomine deſignaſſe Jeſum in teſtimonio de quo diſputatur, ac in iſto libri vigeſimi, nimirum *qui dicitur Chriſtus*, quod aperte oſtendit utrumque locum vere Joſepho adjudicari. Alterum eſt, plane incredibile eſſe Joſephum digne, & cum laude locutum fuiſſe de Jacobo, quem Diſcipulum Jeſu Chriſti apprime noverat, nec ullam tamen mentionem feciſſe de ipſo Jeſu, quem profecto & nobiliorem ſciebat & notiorem Jacobo; nobiliorem quoniam eum appellat Meſſiam, no-

tiorem

Digitized by Google

tiorem vero, quandoquidem Jacobum deſignat quatenus fratrem Jeſu, ab omnibus ſcilicet cogniti.

Objicies: Hoc noſtrum teſtimonium Joſephi textui fuiſſe aſſutum peregrina manu luce meridiana clarius eſt, ſi ad ipſius ſermonis ſeriem attendatur; quod enim de Chriſto narratur, cum iis quæ antecedunt & quæ ſequuntur, nequaquam cohæret, ſed narrationem Hiſtorici interrumpit. Igitur.

Nego ant. Siquidem quod de Chriſto compendioſe ſcribere voluit Joſephus, hoc ipſum narravit quo loco id præſtare debuit, nimirum ubi agit de Pilato ſub quo crucifixus fuerat Chriſtus, & ubi recenſet quo excitatæ tunc fuerint ſeditiones. Unde poſtulabat ordo temporum, ut vitam, geſta & miracula Chriſti ibidem commemoraret Joſephus: ſciunt enim omnes etiam occaſione Chriſti Domini quoſdam factos fuiſſe motus Jeroſolymis inter Judæos.

Neque vero audiendi ſunt nonnulli qui ut ſpurium eſſe hunc locum demonſtrent, argumentum petunt a comparatione ſtili, quaſi hoc teſtimonium a Joſephi ſtilo omnino abhorreat. Sed quis certo id affirmaverit, quo fundamento? Cum, ut aiunt multi Critici emunctæ naris, in illa de Chriſto narratione nihil ſit Joſephi ingenio, nihil ejus ſcribendi caractere indignum: quin potius ex hoc momento præfatum locum Joſepho adjudicat Huetius, quod *conſentit*, inquit, *orationis filum & dictionis color*, *talis nimirum*, *qualis helleniſtarum eſſe ſolet*.

Objicit Tanaquillus Faber incredibile omnino eſſe Joſephum inter Judæos clariſſimum Scriptorem, huic ſuæ genti & Phariſæorum ſectæ addictiſſimum, tot ac tanta ac tam inſignia de Chriſto ſcripſiſſe, odium enim & invidiam totius gentis Judaicæ dubio procul in ſe concitaſſet.

Reſpondeo in brevi hac narratione de Chriſto Hiſtorici ſolum perſonam egiſſe Joſephum, cum ait Jeſum fuiſſe virum ſapientem, mirabilium operum effectorem, qui multos ex gentibus & Judæis ad ſe pertraxit, & alia id genus quæ continentur in iſto monumento, veriſimile eſt illum ad propriam mentem illa de Chriſto non ſcribere; ſi enim exiſtimaſſet revera Chriſtum fuiſſe Meſſiam a Prophetis prædictum qui tanta ediderat miracula & poſt tertium mortis ſuæ diem redivivus apparuerat, haud dubie ad Chriſtianorum ſectam tranſiiſſet lubenti animo. Quapropter hæc omnia de Jeſu narrat Joſephus juxta communem rumorem, uti facile colligitur ex ipſis verbis accurate perpenſis. Unde etiam S. Hieronymus volens hunc Joſephi locum poſteritati mandare, uti mandavit in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum ſupra laudato, & videns in animo non habuiſſe Joſephum, revera Chriſtum eſſe Meſſiam, tametſi his verbis fuerit uſus, *hic erat Chriſtus*, οὗτος ἦν χριστὸς data tamen opera vertit, *hic dicebatur Chriſtus*, hoc eſt credebatur a multis & dicebatur vulgo, Meſſias ſeu Chriſtus. Cui quidem obſervationi nihil officit, quod S. Matthæus qui procul dubio Jeſum fuiſſe Meſſiam exiſtimabat, non aliter tamen loquatur cap. 1. ſui Evangelii, *de qua* Maria *natus eſt Jeſus qui dicitur Chriſtus*. Quod utique apud hunc Evangeliſtam idem eſt ac *qui eſt Chriſtus*. Nil vetat enim quominus dicatur Matthæum & Joſephum in voce non in fide conſentire.

Atque mentem Joſephi non fuiſſe Jeſum revera eſſe hunc Chriſtum quem Judæi expectabant, quem tamen nuncupat Chriſtum, quod vulgata appellatione ſic nominabatur, conſtat ex eo quod & alii Judæi Jeſu inimici, & Gentiles apud quos nonniſi fama innotuerat, non alio nomine utuntur quam Chriſti, Matth. 27. dicit Pilatus: *Quem vultis dimittam vobis*, *Barrabam an Jeſum*, *qui dicitur Chriſtus?* Et paulo poſt: *Quid igitur faciam de Jeſu qui dicitur Chriſtus?* Dehinc Suetonius in Claudio, *Judæos impulſore Chriſto aſſidue tumultuantes Romæ expulit*. Et Tacitus Annal. lib. 15. cap. 44. *Auctor nominis ejus Chriſtus qui Tiberio*

berio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat. Et ſimiliter cum Pilatus ſcripſit per modum tituli in Cruce Chriſti *Jeſus Nazarenus, Rex Judæorum*, ſubaudiebat, a ſe ipſo dictus, nec putabat Chriſtum Dominum eſſe Regem Judæorum. Ex quibus ſequitur nec crediſſe Joſephum reipſa Jeſum eſſe Chriſtum ceu Meſſiam, quamvis ſub iſto nomine illum deſignaverit.

Objicit poſtea Faber, idcirco hoc teſtimonium non eſſe Joſepho tribuendum, quod ſi de Chriſto ſcripſiſſet, longe plura ac majora de eo prædicaſſet, ad augendam ſcilicet illius exiſtimationem quem dicebat Meſſiam, erat enim latiſſimus de eo dicendi campus; debuiſſet dicere quis eſſet Chriſtus, quæ ejus vita, quæ miracula, quæ doctrina, præſertim cum hoc opus ſcripſerit Joſephus in gratiam Græcorum quibus cognitus ſatis non erat Chriſtus, ut patet ex ipſius præfatione. Addit Faber frigidum omnino & inglorium eſſe iſtud teſtimonium præ iis quæ idem Joſephus de Joanne Baptiſta ſcripſit.

Reſpondeo 1. non ita jejune de Jeſu Salvatore noſtro locutum eſſe Joſephum in iſto inſigni teſtimonio, cum enim dixiſſet Jeſum eſſe virum ſapientem, *fuit autem hoc tempore Jeſus vir ſapiens*, ſubdit illico, *ſi tamen virum illum oportet dicere*, quaſi innuat hunc Jeſum potiori jure appellandum eſſe Deum quam hominem, videlicet propter mirabilia opera quæ fecit, *erat enim*, inquit, *mirabilium operum effector*. Quid vero illuſtrius quam quod addit Joſephus Jeſum fuiſſe eorum qui veritatem amant Magiſtrum, plurimos cum ex Judæis tum ex gentibus ad ſe pertraxiſſe, a divinis vatibus fuiſſe prædictum, & tandem a Pilato morti damnatum & traditum poſt tertium diem a mortuis ſuſcitatum. Certe nihili faciendum eſſe adverſariorum criticen, ex eo merito colligitur, quod ſibi manifeſte contra dicunt viam plane contrariam ineuntes, cum hunc locum Joſepho abjudicant; modo enim arguebant ex eo quod in eo nimiis præconiis extollitur Jeſus, nunc diſputant ex eo quod non ſatis multa, ut decebat, referuntur; quæ fides habebitur ejuſmodi Criticis?

Reſpondeo 2. cum nonnullis noſtræ ſententiæ aſſertoribus ideo Joſephum compendioſe & quaſi curſim & obiter de Jeſu locutum, quia noluit œconomiæ gratia & Judæos & Gentiles offendere, Judæos quidem qui Chriſtum velut latronem & blaſphemum cruci affixerant, Gentiles autem quos Chriſto ejuſque doctrinæ noverat infenſiſſimos, quapropter ruit penitus hæc argumentandi ratio.

Objicies: Veriſimile non eſt tam inſigne teſtimonium extitiſſe in Hiſtoria Joſephi, quæ præ manibus omnium habebatur, nec de eo tamen mentionem ullam feciſſe veteres Chriſtianæ religionis Apologiſtas, quanquam præclaro hoc monumento cauſam ſuam mirum in modum confirmaſſent, non Juſtinum, non Tertullianum, non Athenagoram, non Arnobium, non Lactantium, Minutium Felicem, alioſque bene multos Chriſtianæ rei defenſores acerrimos. Quin & de iſto Joſephi teſtimonio altum eſt ſilentium in Photio, qui tamen in ſua Bibliotheca accuratam dedit ſummarium & criticen omnium Joſephi operum.

Neque vero eſt quod dicatur illos omnes Scriptores idcirco hunc Joſephi locum ſilentio præteriiſſe, quod non extabat in antiquis exemplaribus quibus tunc temporis uſi ſunt. Siquidem hæc reſponſio videtur augere difficultatem, quatenus indicio eſt certiſſimo, vel illud teſtimonium nunquam fuiſſe a Joſepho ſcriptum & quadam Chriſtianorum fraude inſertum iis codicibus quos legerunt Euſebius & S. Hieronymus, vel antiquiores illos Patres Juſtinum, Athenagoram, Tertullianum, Origenem illud pro falſo & ſpurio habuiſſe.

Huic argumento, quod petitur ex antiquiorum Patrum ſilentio, reſpondet illuſtriſſimus Huetius, id refundendum eſſe in dolum & perfidiam Judæorum qui hoc de Jeſu Chriſto Joſephi teſtimonium ex illius libris extriverant, quam quidem conjecturam confirmat eminentiſſimi Cardina-

dinalis Baronii autoritate, qui ad annum Chriſti 34. cap. 226. relato hoc Joſephi loco ſic diſſerit: *Hæc Joſephi, cujus teſtimonium in pervetuſto Judæorum codice, in quo ejus Hiſtoria e græco in hebraicum translata, antiquitus ſcripta ſunt, cum hic Romæ requireretur (o perfidorum impudentiam!) abraſum inventum eſt, adeo ut nulla ad excuſandum ſcelus poſſet afferri defenſio, cum membrana ipſa id exclamare videretur*. Quam Baronii adverſus Judæos expoſtulationem nemo æquus falſitatis arguet quoniam codex ille adhuc hodie extat in Bibliotheca Vaticana.

Reſpondent alii ex ejuſmodi argumentis negativis nihil omnino confici, aliter quæ certiſſima & conſtantiſſima ſunt, hac ratione in dubium revocari poſſent. Hoc de Jeſu teſtimonium ſilent Juſtinus, Tertullianus &c. Sed illud ipſum tanquam genuinum Joſephi opus referunt Euſebius, Hieronymus, Sozomenus aliique clariſſimi Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Tractatores, quibus maxime concordant quotquot in orbe univerſo extant Joſephi exemplaria. Deinde quod iſte locus non adducatur in probationem religionis Chriſtianæ ab illis antiquioribus Apologiſtis, mirum nemini debet eſſe, quia videlicet non ſine fundamento judicabant hoc Joſephi teſtimonium plane nullius eſſe ponderis, ſeu contra Judæos ſeu contra Gentiles inſtitueretur diſputatio. Contra Judæos quidem, qui teſte Juſtino Martyre in Dialogo contra Triphonem, palam profitebantur ſe inter diſputandum cum Chriſtianis eas ſolum recipere autoritates, quæ depromebantur ex Prophetarum oraculis. Quapropter inutile fuiſſet Juſtino & Tertulliano, cum pro aſſerenda religionis noſtræ veritate impugnant Judæos, in medium proferre hanc Joſephi autoritatem. Tum vero nec alii Apologiſtæ, Arnobius, Athenagoras, Minutius Felix, eodem loco uti debuerunt adverſus Gentiles; nemo enim neſcit ſemper eos Judaicas Hiſtorias pro falſis & meris fabulis habuiſſe.

Quod ſpectat Photium, non eodem modo explicare poſſumus ejus ſilentium; is enim ſummæ doctrinæ & perſpicacitatis dubio procul non ignoravit, hunc Joſephi locum reperiri in ſcriptis Euſebii & S. Hieronymi. Quare igitur tam nobilis de Jeſu teſtimonii nullam injicit mentionem? Ratio in promptu eſt, quia nonniſi compendioſum, imperfectum, & maxime decurtatum iſtius Hiſtoriæ Joſephi ſummarium dedit Photius: *Si Joſephi teſtimonium de Chriſto Jeſu*, inquit Huetius, *idcirco adulterinum eſſe creditur, quod a Photio prætermiſſum ſit, adulterini quoque habeantur quatuordecim priores libri Archæologiæ a Photio itidem prætermiſſi, & poſtea de Joſephi Archæologia jam ante egerat Photius themate 76. at ejus initium ac finem deſignaſſe contentus, in reliquis de Joſepho tantum ipſo diſſeruit, propterea ne dicamus ſuppoſititiam eſſe omnem Archæologiam Joſephi præter finem & initium?*

Inſtabis: Non modo ex ſilentio Origenis & Photii, ſed ex eorum verbis infertur, ſuppoſititium eſſe Joſephi locum, de Origene quidem id conſtat, quia duobus in locis ſcribit, non eam fuiſſe probatam a Joſepho ſententiam, quæ Jeſum ſtatuit Chriſtum eſſe. Primus locus habetur tom. 2. in Matth. ubi hæc ſcribit: *In tantum in populo refulſit hic Jacobus propter juſtitiam, ut Joſephus, qui viginti libris deſcripſit antiquitatem Judaicam, dum vult cauſam adducere, quare Judæorum populus tam acerba paſſus ſit, ut etiam templum ſubverteretur, dixerit per Dei vindictam hæc illa eveniſſe ob a qua in Jacobum fratrem Jeſu qui dicebatur Chriſtus, auſi fuerant. Quodque mirum eſt, cum non probarit hanc ſententiam, Jeſum noſtrum fuiſſe Chriſtum, nihilo ſecius Jacobo tam magnificum juſtitiæ teſtimonium præbet*.

Alter locus legitur in lib. 1. contra Celſum his verbis: *Qui utique Joſephus etſi minus Jeſum ut Chriſtum crediderit, cauſam tamen conquirens Jeroſolymitani excidii, & cur eſſet templum deletum,*

cum illud eſſet dicturus conſpirationem, quam Judaicus populus adverſus Jeſum feciſſet, fuiſſe horum omnium cauſam, & quia Chriſtum per Prophetas jampridem denunciatum ſuſtulerit, ipſe vero tanquam invitus haut quaquam longe a vero aberrans, eo inquit hæc accidiſſe Judæis, ut Jacobus juſtus ille vindicaretur, qui Jeſu & frater eſſet, qui dictus eſt Chriſtus. Profecto ſi Origenes vidiſſet in ſcriptis Joſephi hoc inſigne de Jeſu teſtimonium, non dixiſſet Joſephum hanc rejeciſſe ſententiam quæ aſtruit Jeſum eſſe Chriſtum, ſeu Meſſiam, quandoquidem in hoc eodem teſtimonio expreſſis verbis habetur Jeſum eſſe Chriſtum; *qui eſt Chriſtus*.

Item argumentum prope ſimile petitur ex Photio; is enim cod. 48. ſcribit, idcirco dubitatum olim fuiſſe, an quidam liber *de univerſo*, περὶ τοῦ παντὸς, eſſet Joſephi, quod in hoc libro præclara dicuntur de Chriſto Domino, ejusque ineffabili generatione æterna, ubi etiam declarat Photius librum illum non eſſe Joſephi, ſed, ut nuper acceperat, Caii Romani Presbyteri.

Reſpondeo, ex iſtis Origenis & Photii verbis nihil omnino inferri poſſe. Origenes quidem in neutro loco ſignificat, Joſephum nunquam ſcripſiſſe, Jeſum noſtrum dictum fuiſſe Chriſtum, ſed ait ſolummodo Joſepho probatam non fuiſse ſententiam quæ aſtruit Jeſum noſtrum eſſe Chriſtum. Unde non recte colligitur locum, de quo habetur quæſtio, non eſſe Joſephi, quia illius Autor ſcribit quidem Jeſum *eſſe Chriſtum*, hoc eſt, ut ſupra expoſuimus, qui dicebatur, qui appellari ſolebat Chriſtus, ſed non ideo probat ſententiam, quæ aſſerit Jeſum fuiſſe Meſſiam; quapropter hæc ſcribere potuit in utroque loco Origenes, tametſi exiſtimaverit Joſephum hujus præclari de Jeſu teſtimonii Autorem eſſe.

Quod ſpectat Photium, dicimus nihil ſimiliter inferri ex ejus teſtimonio ſcribentis librum *de univerſo;* ideo reputatum olim non fuiſſe Joſephi opus, quia in eo rectiſſime deſcribitur æterna Jeſu Chriſti generatio, quæ procul dubio fides fuit Joſephi Judaicæ religionis defenſoris acerrimi. Fatemur Joſephum, uti & alios Judæos, recte non ſenſiſſe de æterna Verbi generatione, nec ſperaſſe futurum, ut Meſſias quem expectabant, foret verus in natura Deus, unde hic liber *de univerſo* negabatur eſſe Joſephi Judæi, ex eo præciſe quod in illo rectiſſime deſcribebatur Chriſti generatio æterna. Sed in hoc nobili teſtimonio de Jeſu, quod Joſepho vindicamus, æterna Verbi divini generatio nequaquam agnoſcitur, ut ex ejus lectione manifeſtum eſt.

Expenditur Momentum quod petitur ex Carminibus Sibyllarum.

ANtequam expendamus, num ex carminibus Sibyllarum, quæ hodie præ manibus omnium habentur, tutum erui poſſit argumentum ad aſtruendam Chriſtianæ religionis veritatem, non abs re erit nonnulla præloqui de illarum, ut ajunt, fatidicarum & Prophetiſſarum ortu, & conditione, tum & de illis ipſis carminibus, de quibus præſens habetur controverſia.

Sibyllarum nomen, conditionem & numerum deſcribit eleganter ſuo more Lactantius lib. 1. cap. 6. his verbis: *M. Varro, quo nemo unquam doctior, ne apud Græcos quidem, nedum apud Latinos, in libris rerum divinarum quos ad C. Cæſarem Pontificem maximum ſcripſit, cum de quindecim viris loqueretur, Sibillynos libros ait non fuiſſe unius Sibyllæ, ſed appellari uno nomine Sibyllinos, quod omnes fœminæ vates, Sibyllæ ſunt a veteribus nuncupatæ, vel ab unius Delphidis nomine, vel a conciliis deorum denunciandis, σιοὺς enim deos, non θεὸς, & conſilium, non βουλὴν, ſed βυλὴν appellabat Æolico genere ſermonis. Itaque Sibyllam dictam eſſe quaſi σιοβόυλην. Cæterum Sibyllas decem numero fuiſſe, easque omnes enumeravit ſub Autoribus qui de ſingulis ſcriptitarunt, primam fuiſſe de Perſis, cujus men-*

mentionem fecerit Nicanor qui res geſtas Alexandri Macedonis ſcripſit; ſecundam Libyſſam, cujus meminit Euripides in Lamiæ prologo; tertiam Delphicam, de qua Chriſippus loquitur in eo libro, quem de divinatione compoſuit; quartam Cumæam in Italia, quam Nævius in libris belli Punici, Piſo in Annalibus nominat. Quintam Erithræam, quam Apollodorus Erythræus affirmat ſuam eſſe Civem, eamque Graiis Ilium petentibus vaticinatam, & perituram eſſe Troiam, & Homerum mendacia eſſe ſcripturum; ſextam Samiam de qua ſcripſit Eraſthotenes in antiquis Annalibus Samiorum reperiſſe ſe ſcriptum: ſeptimam Cumanam nomine Amalthæam, quæ ab aliis Demophile vel Herophile nominatur, eamque novem libros attuliſſe ad Regem Tarquinium Priſcum, ac pro eis trecentos Philippeos poſtulaſſe, Regemque aſpernatum pretii magnitudinem deriſiſſe mulieris. Illam in conſpectu Regis tres combuſſiſſe, ac pro reliquis idem pretium poſtulaſſe: Tarquinium multo magis mulierem inſanire putaſſe. Quæ denuo tribus aliis exuſtis, cum in eodem pretio perſeveraret, motum eſſe Regem, ac reſiduos trecentis aureis emiſſe, quorum poſtea numerus ſit auctus. Capitolio refecto quod ex omnibus civitatibus & Italicis & Græcis, & præcipue Erithræis coacti allatique ſunt Romam, cujuſcumque Sibyllæ nomine fuerunt. Octavam Helleſponticam in agro Trojano natam vico Marpeſſo circa oppidum Gergethium, quam ſcribit Heraclides Ponticus Solenis & Cyri fuiſſe temporibus; nonam Phrygiam quæ vaticinata ſit Ancyræ; decimam Liburtem nomine Albuneam, quæ Tiburi colitur ut Dea, juxta ripas amnis Inienis, cujus in gurgite ſimulacrum ejus inventum eſſe dicitur, tenens in manu librum. Harum omnium Sibyllarum carmina & feruntur & habentur præterquam Cumeæ, cujus libri a Romanis occuluntur, nec eos ab ullo niſi a quindecim viris inſpici fas eſt. Et ſunt ſingularum ſinguli libri, qui quia Sibyllæ nomine inſcribuntur, unius eſſe creduntur, ſuntque confuſi, nec diſcerni ac ſuum cuique aſſignari poteſt niſi Erithrææ, quæ & nomen ſuum verum carmini inſeruit, & Erithræam ſe nominatum iri prælocuta eſt, cum eſſet orta Babiloniæ, ſed & nos confuſe Sibyllam dicemus, ſicubi teſtimoniis earum fuerit abutendum.

Mirum vero quantum in his omnibus recenſendis, quæ ad Sibyllas attinent, a Lactantio differant alii plerique Scriptores, ſtupenda certe illorum omnium ſuper iſta re varietas, adeo ut fere omnia dubia ſint atque incerta.

Circa nomen *Sibyllæ* ſunt qui contendunt primam ex iſtis mulieribus Propheтiſſis proprio nomine vocatam fuiſſe Sibyllam, unde hoc idem nomen aliis mulieribus eadem vaticinandi arte præditis fuit deinceps attributum, ita Salmaſius in notis ad Solinum. Præfatam Lactantii de nomine Sibyllæ etimologiam approbat S. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum, aliis aliter idem nomen interpretantibus.

Circa numerum Sibyllarum magnopere variant inter ſe Autores ſeu ſacri ſeu prophani: decem fuiſſe aſſerit ex Varrone Lactantius loco mox citato, quod idem docent S. Hieronymus lib. 1. contra Jovianum cap. 26. Suidas & Iſidorus Hiſpalenſis orig. lib. 8. cap. 8. Sunt qui unam dumtaxat fuiſſe Sibyllam volunt, ut Plinius lib. 7. cap. 23. de Divinitate, Diodorus Siculus lib. 4. His annumerari ſolent multi qui unam tantum Sibyllam nominant in numero ſingulari, Plato in Phœdro, Joſephus lib. 1. antiquit. Judaic. cap. 5. Clemens Alexandrin. lib. 1. Stromat. Aulugelius lib. 1. cap. 19. & alii prope innumeri Scriptores, ſed meo quidem judicio ex eo quod unam in numero ſingulari Sibyllam vocant, non recte colligitur eos exiſtimaſſe unam tantum extitiſſe Sibyllam. Duas fuiſſe contendunt nonnulli, alii tres, alii quatuor, nec deſunt qui undecim numerent. Unde ſequitur plane incertum eſſe Sibyllarum numerum.

Quin & de exiſtentia Sibyllarum nonnulli dubitarunt, & ad puras fabulas revo-

Digitized by Google

vocarunt quæ de illis dici ſolent, rati quaſdam fœminas hoc nomine Sibyllæ donatas quomodo & aliæ dictæ fuerunt Muſæ, Gratiæ, Furiæ. Tuetur hanc ſententiam Socinus contra Wiechum reſutat. claſſ. 8. cap. 9. ubi ait: *Neminem ipſarum ætati proximum certi quid de illis ſcriptum reliquiſſe aut certam aliquam hiſtoriam de iis tradidiſſe, immo & Varronem ipſum & quotquot ante ipſum de Sibyllis una vel pluribus mentionem fecere, nihil explicati aut certi habuiſſe aut dici poſſe, quemadmodum eorum quæ commemorantur de illis teſtimonia ſatis aperte indicant. Et poſtea, cum Livius diligentiſſimus Hiſtoriæ Romanæ Scriptor nullam prorſus hujus rei mentionem fecerit, merito pro fabula narrationem iſtam, de Sibylla Cumana, quæ Tarquinio ſuos quoſdam libros venales obtulerit, habitam fuiſſe habendamque eſſe ſtatuere poſſumus, ita & alias de Sibyllis narrationes fabulas eſſe veriſimile eſt, & potius credendum videtur eas nunquam extitiſſe, aut certe quæ ipſarum nomine circumferuntur carmina, majori ex parte confiсta eſſe.*

Verum, ut dicam, quod res eſt, ab omni ratione alienum eſſet hanc Socini ſententiam amplecti, quæ quidem univerſæ Scriptorum totius antiquitatis turbæ manifeſte contradicit. Scilicet teſtantur omnes & Græci & Latini, & Sacri & Prophani, quaſdam extitiſſe fœminas quæ inſtar vatum futura prædicere jactitabant, ita Plato in Phædro, Ariſtoteles; problematum ſect. 30. qu. 1. Diodorus Siculus Bibliothecæ lib. 4. Strabo lib. 14. & 17. Ælianus variæ Hiſt. lib. 12. Pauſanias in Phocicis. Jamblicus ad Porphirium. Cicero multis in locis, de Divinatione libro 1. & 2. Virgilius libr. Æneid. & lib. 6. Livius quem falſo accuſat Socinus, quaſi nullam de Sibyllis mentionem fecerit, contrarium enim liquido patet ex lib. 3. 4. & 5. 1. decadis, ex lib. 6. decadis 4. & aliis locis Lib. 1. decadis 1. Cornel. Tacitus Annal. lib. 4. Plinius Hiſt. natur. lib. 7. cap. 33. lib. 13. cap. 13. lib. 34. cap. 5. Juvenalis Satir. 3. & 8. Ammianus Marcellinus lib. 11. qua de re nunquam dubitarunt antiqui Patres, uti facile colligitur ex eorum teſtimoniis mox adducendis.

Dehinc diſputatur inter eruditos de Hiſtoria illius mulieris ſeu Sibyllæ, quæ dicitur Regi Tarquinio vaticinia obtuliſſe, ut ex Lactantio ſupra narravimus, mirum eſt autem quantum inter ſe diſcrepant variantque Scriptores, cum hanc Hiſtoriam referunt; diſputant de nomine illius Sibyllæ, quibuſdam volentibus hanc fuiſſe Cumæam, aliis Erithræam. Non conveniunt etiam de numero librorum quos obtulerit Tarquinio, quidam contendunt novem oblatos fuiſſe e quibus ſex fuerunt combuſti. Alii putant tres tantum libros Tarquinio oblatos, quorum duos combuſſit, unum vero emit.

Ut ut ſit, cura cuſtodiendi hos Sibyllæ libros, demandata fuit duobus viris inter Romanos maxime illuſtribus, qui propterea dicti ſunt honoris cauſa Duumviri. His poſtea adjuncti ſunt alii, & illorum Miniſtrorum creſcente numero decem conſtituti ſunt publica auctoritate qui Decem viri appellati ſunt, horum officium idem erat quod præcedentium & duravit uſque ad Capitolii incendium. Teſtantur Hiſtorici poſt combuſtum Capitolium conquiſitos undequaque fuiſſe libros Sibyllinos, quorum cuſtodia quindecim viris tradita fuit, & poſtea quadraginta, quibus tamen remanſit nomen quindecim virorum uſque ad Honorii Imperatoris tempora, quibus omnes Sibyllinos verſus igne damnavit Stilico.

Sibyllis quæ divinitus inſpiratæ habebantur, maximi deferebantur honores, ſi conſtantibus, uti decet, Hiſtoricorum teſtimoniis fidem adhibemus, ſumma cum veneratione illas conſulebant eorumque oracula excipiebant Gentiles, his templa & ſtatuas erexerunt, ſacrificia obtulerunt, de Sibylla Tiburtina ſcribit Lactantius lib. 1. cap. 6. *Illam Tiburi ut deam juxta ripas amnis Anienis in gurgite ſimulachrum ejus inventum eſſe dicitur tenens in manu librum cujus ſacra ſenatus*

in

Digitized by Google

in Capitolium tranſtulerit. Virgilius lib. 6. Æneid. deſcribit templum Cumanum ex quo Sibylla ſua reddebat oracula:

Vocat alta in templa Sacerdos
Excuſum Euboicæ latus ingens rupis in antrum,
Quo lati ducunt aditus rentum, oſtia centum,
Unde ruunt totidem voces, reſponſa Sibyllæ.

Quomodo & qua veneratione adibantur Sibyllarum oracula, ſatis aperte ſignificat Livius decad. 1. lib. 5. his verbis: *Libri Sibyllini ex Senatus conſulto aditi ſunt, duum viris ſacris faciundis lectiſternio tunc primum in urbe Romana facto, dies octo Apollinem, Latonamque & Dianam, Herculem, Mercurium atque Neptunum tribus quam ampliſſime tum apparari poterit ſtratis lectis placavere.*

Quoad ſpectat vero ipſos Sibyllarum verſus, multa etiam controvertuntur inter Autores; quidam ſuos cuique Sibyllæ ſpeciatim aſſignant. Alii ut Lactantius loco jam citato confitentur certo determinari non poſſe, quænam præciſe carmina conſcripſerit quævis in particulari Sibylla. Item diſputatur quo idiomate ſcripta primum fuere hæc oracula, an græce vel latine.

Verum majoris momenti eſt quæſtio, & quæ ad præſens noſtrum inſtitutum attinet, utrum earum octo libri, qui nunc extant in Bibliotheca Patrum, & in quibus diſertiſſima leguntur de Chriſto ejuſque miraculis vaticinia, pro genuinis Sibyllarum operibus habendi ſint, hoc eſt, utrum ſcripti ſint a quibuſdam fœminis ante Chriſti tempora viventibus, Ethnicis quidem ſed tamen a Deo inſpiratis, adeo ut validiſſimum inde pro religionis noſtræ veritate duci poſſit argumentum. Partem affirmantem amplectuntur nonnulli e Catholicis, negantem vero communiter alii docent rati hos verſus, mera eſſe Chriſtianorum figmenta, quibus proinde nequicquam commendari debet ſanctiſſimus Chriſti Domini cultus, horum ſententiæ ſubſcribimus.

CONCLUSIO.

Quæ apud nos extant Sybillarum carmina, non ſunt genuinum illarum opus, hoc eſt, conſcripta non ſunt a fœminis divino Spiritu afflaris, ante Chriſti adventum ſcribentibus, adeoque cenſeri non debent validum religionis Chriſtianæ præſidium.

Probatur 1. quia nemo dixerit eas fœminas a Deo fuiſſe inſpiratas, quarum proinde oracula cenſeantur divina & a Deo profecta, quæ velut inſanæ, amentes, rabie & furore correptæ locutæ ſunt, neſcientes quid dicerent: ſed Sibyllæ & Autor iſtorum carminum quæ ſub Sibyllarum nomine circunferuntur, ſunt ejuſmodi.

Major patet, nimirum fingi non poſſe, homines a Deo inſpiratos prophetaſſe tanquam inſanos & furore actos, quod utique oſtenditur auctoritate SS. Patrum, qui docent antiquos Prophetas nunquam vaticinatos fuiſſe mente alienata, non velut amentes & furioſos; ſed, quoniam oracula ſua ex divini Spiritus afflatu fundebant, ſemper noſſe quæ dicebant, ſic v. g. Origenes Homil. 6. in Ezechielem: *Neque enim (ut quidem ſuſpicantur) mente excidebant Prophetæ, & ex neceſſitate ſpiritus loquebantur. Si alii, inquit Apoſtolus, revelatum fuerit ſedenti, prior taceat. Ex quo oſtenditur poteſtatem habere eum qui loquitur, cum velit dicere, & cum velit tacere.*

S. Baſilius orat. 1. in Iſaiam ſic habet: *Sunt qui dicant eos extra ſe raptos prophetare humana mente a Spiritu abſorpta. Verum id abhorret a profeſſione divinæ præſentiæ, ut amentem reddat, qui a numine corripitur, cumque plenus divinorum decretorum eſſe cœperit, tum a propria quoque mente exeat, & qui aliis ex ſeſe præbent utilitatem, ipſe ex propriis ſermonibus nihil capiat utilitatis. In ſumma qui conſentaneum eſt, ut quis ex ſapientiæ Spiritu ſimillimus inſano reddatur?*

Idem docet S. Epiphanius hæreſi 48. cap.

Digitized by Google

cap. 3. his verbis : *Quandiu enim Prophetis fuit & veri Spiritus inſtinctu, cum animi firmitate atque conſtantia, & eorum quæ loquerentur intelligentia ſanctiſſimi viri ſua omnia reſponſa & oracula dederunt, iidemque pro cuique conceſſorum a ſancto Spiritu donorum, ac fidei ratione communem ad utilitatem illo ipſo Spiritu repleti ſunt ...... Verus quippe Propheta cum ſui compos, tum ea quæ dicebat intelligens futura nunciabat, quoque eo ac Spiritus ſanctus impulerat, præcipuo quodam animi robore vaticinari ſolebat.*

Audiatur S. Chryſoſtomus Hom. 29. in 1. Epiſt. ad Corinth. ubi teſtatur id fuiſſe diſcriminis inter Vates Ethnicos & Dei Prophetas, quod illi per dæmones & velut furioſi ſua fundebant oracula, iſti vero tanquam illuminati a Deo prudenter futura annunciabant. *In idolis*, inquit, *ſi quis unquam ab immundo ſpiritu deprehendebatur, & vaticinabatur, tanquam ductus trahebatur a Spiritu devinctus, nihil ſciens quid diceret, hoc enim Vatis proprium eſt mente commoveri, & neceſſario compelli & trahi tanquam furiis percitum ; Propheta autem non ejuſmodi eſt, ſed ſobria mente & modeſta & firma, quæ loquitur omnia ut decet, novit ..... verum noſtra ejuſmodi ſunt, ſed non poſuit noſtra, hoc eſt Prophetarum, etenim manifeſta erant, & in ipſis prophetabant, ut decebat, & prudenter & libere. Propterea & dicendorum & tacendorum erant Domini. Non enim neceſſitate detinebantur, ſed poteſtate in honore habebantur. Propterea Jonas fugit, propterea Ezechiel rejectus eſt, propterea Jeremias relictus, Deus autem non neceſſario eos impellit, ſed conſilio, admonitione, minis, neque obſcuravit mentem. Dæmonis namque proprium eſt perturbationem, furorem & multam caliginem infundere, Dei autem illuminare, ſed prudenter edocere quæ opus ſunt.*

S. Hieronymus prologo in prophetiam Abacuc : *Necnon*, inquit, *animadvertendum quod aſſumptio vel pondus, quæ eſſe jam diximus, Prophetæ viſio eſt, & adverſum Montani dogma perverſum intelligit quod videt, nec ut amens loquitur, nec in morem inſanientium fœminarum dat ſine mente ſonum. Unde & Apoſtolus jubet, ut ſi prophetantibus aliis alii fuerit revelatum, taceant qui prius loquebantur, & ſtatim, non eſt enim, inquit, Deus diſſenſionis ſed pacis.*

Et in procemio in Iſayam : *Neque vero*, inquit, *ut Montanus cum inſanis fœminis ſomniat, Prophetæ in extaſi ſunt locuti, ut neſcirent quid loquerentur, & cum alios erudirent, ipſi ignorarent quid dicerent : de quibus Apoſtolus ait, neſcientes quæ loquantur, neque de quibus affirment, ſed juxta Salomonem qui loquitur in Proverbiis, Sapiens intelligit quæ profert de ore ſuo, & in labiis ſuis portabit ſcientiam ; etiam ipſi ſciebant quid dicerent, ſi enim ſapientes erant Prophetæ, quod negare non poſſumus .... quomodo ſapientes Prophetæ, ſi inſtar brutorum animantium quid dicerent, ignorabant ?* Quibus alios itidem Patres & Doctores Eccleſiaſticos adjungere poſſemus, ſiquidem ii omnes & ſinguli docent, Prophetas veteris Teſtamenti, quoniam futura vaticinabantur divino Spiritu impulſi, oracula ſua non fudiſſe tanquam amentes & furioſos.

At vero Sibyllas contra prophetaſſe velut inſanas, rabie & furiis correptas, neſcientes omnino quid dicerent, manifeſte colligitur & ex ſincera earumdem confeſſione, & ex conſtanti omnium Scriptorum teſtimonio.

Primo hoc ipſum declarant Sibyllæ aut ſaltem Impoſtor qui hæc carmina ſub illarum nominibus in medium protulit, ſic enim lib. 2. ad initium.

Poſtquam perdoctum carmen me multa precante,
Compreſſit numen, mihi ſub præcordia rurſum
Divini cantus vocem ſubjecit amœnam
Corpore tota ſtupens trahor huc, ignara quid ipſa
Eloquar, ipſe ſed hæc mandat Deus omnia fari.

Li-

Libro 3. ad finem ſic loquitur:

Hæc ſunt quæ moneo Aſſyria Babylone profecta
In Græcos ignis miſſus, fanatica, cunctis
Exponens divina Dei præſignificata
Mortali ut generi divina ænigmata pandam.

Secundo & idem colligitur ex antiquis Scriptoribus. Strabo lib. 14. *Eritbris*, inquit, *nata fuit fatidica & furioſa fœmina*. Cicero lib. de divinatione, *furoris divinationem Sibyllinis maxime verſibus contineri arbitrati ſunt*. Item Virgilius lib. 3. Æneid.

..... *inſanam Vatem aſpicies.*

Et libro ſexto Sibyllam ſic deſcribit Poeta,

At Phœbi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur Vates, magnum ſi pectore poſſit
Excuſſiſſe Deum, tanto magis ille fatigat.
Os rabidum, fera corda tument, fingitque premendo.

Igitur ab omni ratione eſt exiſtimare, ejuſmodi fœminas divino Spiritu fuiſſe impulſas, cum iſthæc oracula fundebant. Is profecto divinæ ſapientiæ injuriam facit maximam, qui judicat Deum uti miniſterio furioſorum & amentium, ut altiſſima quæque ſuæ religionis myſteria hominibus annunciet.

Quodnam vero majus furoris & amentiæ indicium, quam quod una ex illis Sibyllis ſe ipſa ſcortum eſſe teſtatur lib. 4.

Mille mihi lecti, connubia mille fuerunt,
Jureque jurando quoſvis perjura ligavi.

Quis credat talem fœminam a Deo fuiſſe electam ad revelandas hominibus Chriſtianæ Religionis veritates?

Probatur 2. ex eo quod in hiſce Sibyllarum carminibus multi paſſim deprehenduntur errores, multa mendacia. Legitur lib. 1. quieviſſe Arcam Noe in monte Ararat, quem collocant in Phrygia.

Aſſurgit Phrygiæ Mons quidam in finibus atræ
Arduus, alta petens, Ararat quem nomine dicunt....
Hujus in excelſo poſtquam ceſſantibus undis
Conſtitit Arca jugo.

Sed ex omnibus Geographis conſtat Ararat Montem eſſe Armeniæ non Phrygiæ.

Aſſerit paulo poſt Sibylla, Noe diebus tantum quadraginta cum uno manſiſſe in Arca.

Noe igitur cunctos homines juſtiſſimus inter
Exiit octavus, vicenos cum bis & unum
Compleſſet ſoles (Deus ipſe volebat) in undis.

Mentitur eodem libro Sibylla ſe in Arca Noe fuiſſe.

O ævi ſexti ſtirpis prima! o gaudia magna,
Quod ſortita fui, poſtquam diſcrimina mortis
Effugi, jactata meo cum conjuge multum
Necnon cum levitis gloſſes, ſoceroque ſocruque.

Cujus rei immemor teſtatur libro octavo eſſe ſe Chriſtianam.

Nos igitur ſancta Chriſti de ſtirpe creati
Cœleſti, nomen retinemus proximitatis.

Nemo autem neſcit Chriſtianos non intraſſe in Arcam Noe, quandoquidem in Antiochia primum hoc nomen datum eſt Chriſti Sectatoribus, ut habetur Act. cap. 11.

Item ait Romam eſſe perituram anno a fundatione ſua 948. libro nempe octavo.

Porro quaterdecies complebis terque trecentos
Annos atque octo, cum te pertingere metam
Triſtia facta, tuo completo nomine, cogent.

Quod putidum eſſe mendacium probavit eventus.

Probatur 3. quia in illis octo libris Sibyllinis multa leguntur quæ aperte fa-

vent cultui ſuperſtitioſo & idololatrico, videlicet tanquam remedia quæ præcipit Impoſtor ille adverſus mala illa quæ populos ſæpius divexant. Quis autem in animum ſibi induxerit Deum falſam religionem, falſum cultum inſpiraſſe? Neque enim audiendi ſunt qui putant Sibyllas, quoniam falſorum deorum erant miniſtræ, quandoque ex diabolica inſpiratione fuiſſe locutas, quomodo explicandum eſt, quod ex diaboli motu præſcribunt taurorum & agnorum immolationem. Quod non impedit, quominus aliquando etiam alia multa prophetent ex inſpiratione divina. Certe nemo ſanæ mentis compos exiſtimaverit unquam, eundem hominem Dei ſimul & ſatanæ eſſe miniſtrum, modo ſanctum, modo abominandum; modo divinum & poſtea diabolicum cultum commendare.

Probatur 4. quia quæcunque de Chriſto Domino, ejus Vita & Miraculis referuntur in iſtis Sibyllarum carminibus, ſunt potius Hiſtoriæ quæ res peractas exhibent, quam prophetiæ quæ futura præcinant, ſic libro primo ad finem deſcribuntur Chriſti Miracula.

Ille quidem morbis preſſos ſanabit, & omnes
Læſos quotquot ei fident, cæcique videbunt,
Incedent claudi, ſurdis audire licebit,
Inſolitas mutis dabitur formare loquelas:
Expellet furias, oppreſſi morte reſurgent,
Placabit fluctus, indeſertiſque locorum
Large panibus ex quinis & piſce marino
Millia quinque virum ſatiabit, relliquiæque
Bis ſenos cophinos implebunt virginis almæ.

Quid vero quod paulo poſt ibidem quaſi eorum oculatus teſtis Chriſti Mortem, Reſurrectionem & in cœlos Aſcenſionem depingit his verbis:

Sed manibus paſſis cum menſus cuncta coronam
De ſpinis tulerit, necnon latus ejus arundo
Fixerit acta manu, cujus cauſa tribus horis
Non tenebroſa die medio tenebroſaque fiet.
Tunc hominum generi magnum Salomonia ſignum
Templa dabunt, ditis cum tecta profunda ſubibit,
Nunciet in vitam reditum quo morte peremptis,
Sed poſtquam triduo lucem repetiverit, atque
Monſtrarit ſomnum mortalibus, atque docendo
Cuncta illuſtrarit, cœleſtia tecta ſubibit
Nubibus invectus, cum latum liquerit orbi
Pactum Evangelii....

Similia leguntur in libro ſexto, ubi Chriſti Baptiſma & Miracula clare deſcribuntur: quid vero cenſeas de iſtis poſtremis hujus libri verbis,

At ſolam Sodomæ tellus mala dira manent te,
Namque Dei male ſana, tui te notio fugit,
Senſibus humanis ludentis, nempe coronam
De ſpinis illi poſuiſti, injuria major
Quo foret, & potum ſudiſti fellis amari.
Ergo tibi ſtrages ingentes ſpiritus edet
O lignum felix, in quo Deus ipſe pependit,
Nec te terra capit, ſed cœli tecta videbis
Cum renovata Dei facies ignita micabit.

Libro octavo legitur Achroſtichis de Chriſto quæ verſus continet ab iſtis litteris incipientes, *JESUS CHRISTUS, DEI FILIUS, SERVATOR, CRUX*. Ac demum in illis paſſim libris alia quam multa habentur de Chriſti Ortu & Nativitate ex Virgine Maria, de ejus Divinitate & perfecta æqualitate cum Patre æterno, &c. quæ tam clare exponuntur, ut Hiſtoricum res factas, viſas & audi-

tas

Digitized by Google

tas referentem magis redoleant , quam Prophetam futura prædicentem . Conſentiunt omnes plane inſolitum eſſe Prophetis res , quas annunciant , clare deſcribere , ac multo minus perſonarum nomina propria appellare . At Sibylla tamen Chriſtum deſignat ſub nomine Jeſu , hunc dicit naſciturum ex Virgine Maria in Bethleem , baptiſandum in Jordane , &c. Quid quod Miracula Chriſti depingit cum omnibus ſuis circumſtantiis , ut conſtare poteſt ex deſcriptione hujus miraculi , quo Chriſtus Dominus quinque millia hominum quinque panibus & uno piſce ſatiavit ? hanc enim Hiſtoriam ad apicem exſcribit Sibylla conſentanee ad Evangeliſtæ narrationem . Certe ſi de Chriſto & Chriſtiana religione hæc annunciata ſunt hominibus ante ipſius Chriſti tempora , nullus Propheta Sibyllis eſt comparandus , nullius enim oracula tam aperte tamque copioſe Chriſtum deſignant .

His omnibus momentis alia etiam luculentiſſima adjungere poſſemus ad elevandam ac penitus evertendam iſtorum carminum autoritatem , verum ſi omnia & ſingula recenſerem , in immenſum creſceret iſta Diſſertatio . Nimirum Sibyllas a Deo non fuiſſe inſpiratas ex eo colligi merito poteſt , quod in varias & manifeſtas contradictiones incidunt , quæ res a divino Spiritu , qui Spiritus eſt veritatis , maxime abhorret . Item quod ſua vaticinia vendiderunt , quod a nullo ex Prophetis aliiſque hominibus a Deo ductis unquam factum eſt . Obſervare eſt inſuper ſacros Scriptores Prophetas nomina ſua , patriam & tempus quo prophetabant , deſignaſſe , ſed pari modo ſe gerere auſus non eſt Sibyllinorum carminum Autor , quia hoc modo impoſturam detexiſſet , aut ſaltem introducere non potuiſſet ; hæc , inquam , & plura ejuſmodi notatu digniſſima omittimus , quia hæc nunc abunde ſufficere quivis exiſtimabit .

Solvuntur Objectiones .

OBjicies : Monumenta quæ a multis antiquis & eruditiſſimis laudata ſunt adverſus Ethnicos , & in quibus firmiſſimum illi collocarunt religionis Chriſtianæ præſidium , haberi non debent ut ſuppoſita : nefas enim videtur Patres illos accuſare aut ignorantiæ , ſi revera ejuſmodi verſus non ſunt genuina Sibyllarum opera , aut impoſturæ ſi illos Sibyllis adjudicaverint , quos optime noverant mera eſſe Chriſtianorum figmenta ; hoc pacto enim cauſæ Chriſtianæ magis nocuiſſent , quam ei aliis quibuſcunque argumentis prodeſſe potuerint : ſed multi e SS. Patribus antiquis carmina Sibyllarum laudarunt adverſus Ethnicos , & in iis firmiſſimum Chriſtianæ religionis fundamentum collocarunt .

Id conſtat 1. auctoritate S. Juſtini qui cohortatione ad Græcos ſic loquitur : *Perfacile autem nobis erit religionem ex parte aliqua , & ea quæ proxime ad Prophetarum accedunt doctrinam , a veteri Sibylla ex afflatu quodam mirifico , per ſortes ac reſponſa vos docente , percipere . Hanc Babylone ortam Beroſi , qui Chaldaicam Hiſtoriam ſcripſit , filiam , ad Campaniæ oras neſcio quomodo perveniſſe ferunt , ubi reſponſa dedit , in urbe cui Cumæ nomen eſt ... hujus Sibyllæ tanquam fatidicæ cum permulti alii meminere Scriptores* , &c. *Porro cum non in Poeticis numeris , neque in ea quæ apud vos clara habetur eruditione , viri Græci , res veri cultus Dei ſint ſitæ , relicta deinceps carminum & orationum exquiſita ratione , ad dicta Sibyllæ , citra contentionis ſtudium animadvertentes , cognoſcite tandem quorum vobis illa bonorum ſit futura conciliatrix Servatoris noſtri Jeſu Chriſti adventum diſertis verbis clare prædicens , qui cum Dei ſit verbum virtute ac potentia ab eo indiſcretum , homine qui juxta imaginem & ſimilitudinem Dei conformatus eſt , aſſumpto , ad memoriam nos priſcorum parentum noſtrorum religionis revocavit .... Itaque viri*

Digitized by Google

Græci, ſi falſum de eis qui non ſunt, diis imaginationem ſalute veſtra antiquiorem non habetis, credite, ſicut dixi, antiquiſſimæ & priſcæ admodum Sibyllæ, cujus libri in univerſo extant orbe, de iis qui dicuntur, non ſunt autem, diis, mirifico quodam præfati numinis afflatu, fortibus vos datis docenti, de futuro autem Servatoris noſtri Jeſu Chriſti adventu, ac de rebus ab eo gerendis liquido & aperte vaticinanti.

Item Apolog. 1. pag. 82. *Opera autem*, inquit, *& inſtinctu malorum dæmonum mortis ſupplicium adverſus librorum Hydaſpis, aut Sibyllæ aut Prophetarum Lectores conſtitutum eſt, ut per timorem homines ab illis quominus ſcripta ea legentes rerum bonarum notitiam percipiant, ſed in ſervitute eorum retineantur, abſterreantur. Quod certe quidem efficere, & ad finem ſuum perducere nequiverunt. Non enim abſque timore tantum hujuſmodi ſcripta legimus, verum etiam vobis ad inſpiciendum quæ in eis traduntur, ut videtis offerimus, grata acceptaque omnium fere ſcientes.*

Secundo Sibyllarum carmina laudavit Theophilus Antiochenus lib. 2. ad Autolycum his verbis: *Cæterum Prophetæ illi, quorum mentio facta eſt, fuere in populo Iſraelitico illiterati, paſtores & idiota. Verum etiam Sibylla Græcorum & reliquarum gentium Propheteſſa, in principio ſuæ prophetiæ invehitur in mortalium genus dicens.*

Viri mortales & carnei, nihil exiſtentes
Quomodo ſtatim exaltamini vitæ finem non inſpicientes,
Nec contremiſcitis, nec timetis Deum inſpectorem veſtri,
Altiſſimum Cognitorem, & omnium Speculatorem, teſtem omnium,
Nutritorem omnium & Creatorem, qui dulcem Spiritum omnibus
Indidit, & ducem mortalium omnium ſtatuit,
Unus Deus qui ſolus regnat, magnitudinem excedens & ingenitus,
Omnipotens, inviſibilis, videns ipſe ſolus omnia, &c.

S. Clemens Alexandrinus laudat multis in locis Sibyllarum oracula, ſed inſigne potiſſimum eſt quod ſcribit lib. 6. Stromatum his verbis, pag. 636. *Quod enim quemadmodum Judæos Deus ſalvos eſſe voluit, dans eis Prophetas, ita Græcorum ſpectatiſſimos propriæ ſuæ linguæ Prophetas excitatos, prout poterant capere Dei beneficentiam, a vulgo ſecrevit, præter Petri prædicationem, declarabit Paulus Apoſtolus dicens, libros quoque græcos ſumite, agnoſcite Sibyllam, quomodo unum Deum ſignificet, & ea quæ ſunt futura, & Hidaſpen ſumite & legite, & invenietis Dei Filium multo clarius & apertius eſſe ſcriptum, & quemadmodum adverſus Chriſtum multi Reges inſtruent aciem, qui eum habent odio, & eos qui nomen ejus geſtant, & ejus fideles, & ejus tolerantiam & adventum.* Notatu dignum eſt quod ſcribit Clemens, agnoſcendam eſſe autoritatem Sibyllæ juxta declarationem ipſius Apoſtoli, prout innotuit non ex ejus Epiſtolis, ſed ex concionibus ad populum habitis, quæ per Traditionem ad Clementem Alexandrinum pervenerant.

Origenes lib. 7. contra Celſum pag. 369. hanc Chriſtianorum praxim, qua Sibyllarum carminibus religionem corroborare ſolebant, manifeſte approbat his verbis: *Deinde neſcio quid ei venit in mentem, ut cenſeret Sibyllam a nobis potius quam Jeſum appellandam fuiſſe Dei filiam, aſſeverans nos multa ejus verſibus inſeruiſſe maledica, non tamen indicans quæ ſint illa, quæ inſeruimus. Indicaſſet autem, ſi antiqua habuiſſet incorruptiora exemplaria, in quibus non reperiantur, quæ putat a nobis interpolata, quod tamen non fecit.*

Præclara ſunt & omni exceptione majora quæ ſcribit Lactantius in ſingulis fere ſuis libris, is lib. 1. cap. 6. oracula Sibyllina prolaturus ſic loquitur: *Supereſt de reſponſis carminibuſque ſacris teſtimonia, quæ ſunt multo certiora, proferre. Nam fortaſſe ii contra quos agimus, nec Poetis putant eſſe credendum tanquam va-*

na

na fingentibus, *nec Philoſophis quod errare potuerunt*, *quia & hi homines fuerunt*, *&c.* Ubi Sibyllarum dicta prope divina, & hominum verbis anteponenda, ac multo certiora exiſtimat. His autem numero decem recenſitis ſic proſequitur: *Omnes igitur hæ Sibyllæ unum Deum prædicant*, *maxime tamen Erythrea*, *quæ celebrior inter cæteras*, *nobilior habetur*, *ſiquidem Feneſtella diligentiſſimus Scriptor de* XV. *viris dicens*, *ait*, *reſtituto Capitolio retuliſſe ad Senatum C. Curionem Caſſ. ut Legati Erythras mitterentur*, *qui carmina Sibyllæ conquiſita Romam deportarent; itaque miſſos eſſe P. Gabinum*, *M. Octacilium*, *L. Valerium qui deſcriptos a privatis verſus circa mille Romam deportarunt*, *idem ſupra oſtendimus dixiſſe Varronem*. *In iis ergo verſibus*, *quos Legati Romam attulerunt*, *de uno Deo hæc ſunt teſtimonia*, *&c.*

Lib. 4. c. 15. cum demonſtrat Chriſti Miraculorum veritatem, qui quidem, inter alia duorum piſcium & quinque panum multiplicatione quinque hominum millia in deſerto ſatiavit, utitur potiſſimum teſtimonio Sibyllarum quæ ſtupenda illa Miracula referunt: *Quid aut dici aut fieri poteſt mirabilius? At id Sibylla futurum cecinerat olim.* Et paulo poſt: *Rurſus cum obdormiſſet in navi*, *& ventus uſque ad extremum periculum ſævire cœpiſſet*, *excitatus ſomno ſilere vento protinus juſſit*, *& fluctus qui maximi ferebantur*, *conquieſcere*, *ſtatimque ſub verbo ejus tranquillitas inſecuta eſt*. *Mentiuntur fortaſſe litteræ ſanctæ*, *docentes tantum fuiſſe in eo poteſtatem*, *ut imperio ſuo cogeret ventos obſequi*, *maria ſervire*, *morbos cedere*, *inferos obedire*. *Quid quod eadem Sibyllæ carminibus ſuis ante docuerunt? ... His teſtimoniis quidam revicti ſolent quidam eo confugere*, *ut aiunt*, *non eſſe illa carmina Sibyllina*, *ſed a noſtris conficta atque compoſita*. *Quod profecto non putabit qui Ciceronem Varronemque legerit*, *alioſque veteres*, *qui Erythræam Sibyllam cæteraſque commemorant*, *quarum ex libris iſta exempla proferimus*, *qui Autores ante obierunt quam Chriſtus ſecundum carnem naſceretur*. *Verum non dubito*, *quin illa carmina prioribus temporibus pro deliramentis habita ſint*, *cum ea nemo tum intelligeret*. Dehinc cap. 18. ejuſdem libri Chriſti Paſſionem clare prædictam fuiſſe probat Lactantius ex Vaticiniis David, Iſayæ promiſcue & ex Sibyllarum carminibus, peræque fretus horum omnium oraculis & autoritate.

Id inſuper colligitur ex celebri teſtimonio Imperatoris Conſtantini M. in oratione ad Sanctorum cœtum apud Euſebium, ubi de Sibylla Erythræa ſic loquitur cap. 18. *Divino quodam inſtinctu afflata verſibus ea quæ erant de Deo futura prædixit*, *notiſque & ordine primarum litterarum* (*quæ* ἀκροστιχὶς *dicitur*) *Hiſtoriam de Jeſu adventu declaravit*, ἀκροστιχὶς *hæc quidem eſt*, *Jeſus Chriſtus Dei Filius*, *Servator*, *Crux*. Hujus Acroſtichidis carmina numero 34. ibidem refert, quorum duo poſtrema hæc ſunt.

Unus & æternus Deus hic, *Servator & idem*

Chriſtus pro nobis paſſus, *quem carmina ſignant*.

Et cap. 19. *Verum*, inquit, *multi ſunt qui nullam fidem ei adjungunt*, *idque cum fateantur Sibyllam vatem Erythræam extitiſſe*, *imo vero ſuſpicantur quemdam noſtræ religionis Profeſſorem*, *Poeticæ non ignarum iſta carmina contexuiſſe*, *falſoque inſcripta eſſe & inter Sibyllæ oracula numerata ... verum de hujus rei veritate ſatis conſtat*, *quippe noſtri homines tempora adeo accurate & magno ſtudio collegerunt*, *ut nemo poſſit ſuſpicari hoc poema poſt Chriſti in terras deſcenſum*, *editum fuiſſe*, *atque illi propterea mendacii perſpicue convincuntur*, *qui iſta carmina non olim a Sibylla condita eſſe prædicant*. *Perſpicuum eſt enim Ciceronem iſtud poema cum forte perlegiſſet*, *in latinum convertiſſe ſermonem*, *ſuiſque ſcriptis attexuiſſe*, *quem ab Antonio rerum ſumma potito interfectum eſſe conſtat*, *Antonium autem ab Auguſto qui* 56. *annos*

regnavit ſuperatum; Auguſto autem ſucceſſiſſe Tiberium, cujus temporibus Servatoris adventus mundo illuxit.

Et hæc quidem in rei veritate ſunt verba Ciceronis lib. 2. de divinatione: *Sibyllæ*, inquit, *verſus obſervamus, quos illa furens fudiſſe dicitur, quorum Interpres nuper falſa quædam hominum fama, dicturus in Senatu putabatur, eum, quem revera Regem habebamus, appellandum quoque eſſe Regem, ſi ſalvi eſſe vellemus. Hoc ſi eſt in libris, in quem hominum & in quod tempus eſt? Callide enim, qui illa compoſuit, perfecit, ut quodcunque accediſſet, prædictum videretur, hominum & temporum definitione ſublata. Adhibuit etiam latebram obſcuritatis, ut iidem verſus alias in aliam rem poſſe accommodari viderentur. Non eſſe autem aliud carmen furentis, cum ipſum poema declarat (eſt enim magis artis & diligentiæ quam incitationis & motus;) tum vero ea quæ ἀκροστιχὶς dicitur, cum deinceps ex primis verſus litteris aliquid connectitur, id certe magis eſt attenti animi quam furentis. Atque in Sibyllinis ex primo verſu cujuſque ſententiæ, primis litteris illius ſententiæ carmen omne prætexitur. Hoc Scriptoris eſt non furentis, adhibentis diligentiam, non inſani. Quamobrem Sibyllam quidem ſepoſitam & conditam habeamus, ut id quod proditum eſt a majoribus injuſſu Senatus ne legantur quidem libri, valeantque ad deponendas potius, quam ad ſuſcipiendas religiones. Cum antiſtitibus agamus, ut quidvis potius ex illis libris, quam Regem proferant, quem Romæ poſt hac nec dii nec homines eſſe patientur.*

Hoc idem vaticinium Sibyllæ de Chriſto notum quoque fuit Virgilio, ut conſtat ex quarta Ecloga quæ ſic habet.

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas.
Magnus ab integro ſæclorum naſcitur ordo.
Jam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna.
Jam nova progenies cœlo dimittitur alto, &c.

Hos Sibyllæ carminis teſtes Ciceronem & Virgilium laudat Imperator Conſtantinus; quis autem eum mendacii reum ſuſpicabitur, cum in laudem Chriſtianæ religionis hoc præclarum aſciſcit monumentum coram auguſtiſſimo Patrum Nicenorum cœtu, qui dubio procul eum monuiſſent meras eſſe fabulas quæcunque de Sibyllis audiverat, meraque Chriſtianorum figmenta quæ Chriſto accomodare non expedit.

His accedit autoritas S. Auguſtini, qui multis in locis Sibyllarum teſtimonia in confirmationem religionis advocat, lib. 10. de Civitate Dei cap. 27. per Chriſtum deleta fuiſſe hominum peccata probat adverſus Porphyrium ex Virgilio & Sibylla, *De quo etiam*, Chriſto, *Poeta nobiliſſimus, poetice quidem, quia in alterius adumbrata perſona, veraciter tamen, ſi ad ipſum referas, dixit.*

Te duce, ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri
Irrita perpetua ſolvent formidine terras.

Ea quippe dicit quæ etiam multum proficientium in virtute juſtitiæ poſſunt, propter hujus vitæ infirmitatem, etſi non ſcelera, ſcelerum tamen manere veſtigia, quæ nonniſi ab illo Salvatore ſanantur, de quo iſte verſus expreſſus eſt. Nam hoc utique non a ſe ipſo ſe dixiſſe Virgilius in Ecloga ipſius quarto ferme verſu indicat, ubi ait.

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas.
Unde hoc a Cumæa Sibylla dictum eſſe incunctanter apparet.

Et lib. 18. cap. 24. *Eodem tempore*, inquit, *nonnulli Sibyllam Erithræam vaticinatam ferunt. Sibyllas autem Varro prodidit plures fuiſſe, non unam. Hæc ſane Erithræa Sibylla quædam de Chriſto manifeſta conſcripſit, quod etiam nos prius in latina lingua verſibus male latinis & non ſtantibus legimus, per neſcio cujus Interpretis imperitiam, ſicut poſt cognovimus. Nam vir clariſſimus Flaccianus, qui etiam pro Conſule fuit, homo facillimæ*

Digitized by Google

limæ facundiæ, multaque doctrinæ, cum de Chriſto colloqueremur, græcum nobis codicem protulit, carmina eſſe dicens Sibyllæ Erithrææ, ubi oſtendit quodam loco in capitibus verſuum ordinem litterarum ita ſe habentem, ut hæc in eo verba legerentur Ιηλους χρισὸς θεου υἱος σωτὴρ *quod eſt latine, Jeſu Chriſtus Dei Filius Salvator*. Deinde exſcribit Auguſtinus Acroſtichidem latina lingua redditam & poſtea ſic proſequitur: *Hæc autem Sibylla ſive Erithræa, ſive, ut quidam magis credunt, Cumæa, ita nihil habet in toto carmine ſuo, cujus exigua particula eſt, quod ad deorum falſorum ſive factorum cultum pertineat, quin imo ita etiam contra eos & contra cultores eorum loquitur, ut in eorum deputanda videatur qui pertinent ad Civitatem Dei. Inſerit etiam Lactantius operi ſuo quædam de Chriſto vaticinia Sibyllæ, quamvis non exprimat cujus*. Ubi ſtrictim recenſet ſanctus Doctor, quæcunque de Chriſti Miraculis & Paſſione commemorat a Sibyllis prædicta, quam quidem Lactantii ſententiam approbat.

Similia ſentiebat ſcribens adverſus Fauſtum lib. 13. cap. 18. his verbis, *Sibylla porro vel Sibyllæ & Orpheus, & neſcio quis Hermes, & ſi qui alii Vates vel Theologi, vel Sapientes, vel Philoſophi gentium de Filio Dei, aut de Patre Deo vera prædixiſſe ſeu dixiſſe perhibentur, valet quidem aliquid ad Paganorum vanitatem revincendam, non tamen ad iſtorum autoritatem amplectendam, cum illum Deum nos colere oſtendimus de quo nec illi tacere potuerunt, qui ſuos congentiles populos, Idola & dæmonia colenda partim docere auſi ſunt, partim prohibere auſi non ſunt*.

Demum & ea fuit ſententia S. Hieronymi, ut colligitur ex lib. 1. adverſus Jovinianum, ubi ait Virgines fuiſſe Sibyllas earumque virginitatis præmium fuiſſe divinationem: *Quid referam*, inquit, *Sibyllas Erithræam atque Cumanam & octo reliquas, nam Varro decem fuiſſe autumat, quantum inſigne virginitas eſt & virginitatis præmium divinatio. Quod ſi Æolici genere ſermonis Sibylla* θεοβούλη *appellatur, recte conſilium Dei ſola ſcribitur noſſe virginitas*.

Igitur carmina Sibyllarum genuini ſunt earum fœtus, nec mera Chriſtianorum figmenta cenſeri poſſunt.

Huic argumento, quod graviſſimum videtur adverſariis, reſpondent nonnulli, revera, quæ Sibyllarum carmina nunc extant octo libris tomo octavo Bibliothecæ Patrum, non eſſe prorſus genuina & incorrupta illarum opera, videlicet propter rationes mox adductas, ſed illa tamen quæ ab antiquis Patribus & autoribus Eccleſiaſticis laudantur adverſus Ethnicos, & quorum autoritate uſi ſunt ad ſtabiliendam Chriſtianæ religionis veritatem, pro veris & non ſuppoſitis habenda eſſe. Hanc reſponſionem ex ea cauſa uſurpant, quod valde metuunt, ne maxima in ſanctos Patres redundet injuria, ſi dicatur illos ſpuria opera pro veris tenuiſſe, & firmiſſimum religionis præſidium collocaſſe in meris Chriſtianorum figmentis, quod quidem in illis ſanctis Scriptoribus aut manifeſtam perfidiam, aut plane ſupinam ignorantiam argueret.

Verum meo quidem judicio ad præfatam objectionem diluendam, nihil omnino magis frivolum excogitari poteſt quia nimirum cuilibet penitus attendenti perſpicuum eſt Sibyllarum carmina, quæ nunc præ manibus habemus, illa ipſa eſſe quæ laudantur a ſanctis Patribus adverſus Ethnicos ad confirmandam Chriſtianæ religionis veritatem; quod vero adhuc hac in re magis peremptorium eſt, illa carmina quæ in hodierna noſtra collectione unice citari potuerunt a Patribus, tanquam monumenta & vaticinia quæ religionem Chriſtianam maxime corroborabant, ea ipſa ſunt quæ fatentur adverſarii manifeſte ſuppoſita. Ratio eſt, quia non alia Sibyllinorum oraculorum loca laudarunt Patres nec jure laudare potuerunt adverſus Gentiles, quam ea in quibus multa clare prædicuntur de Chriſto, ejuſque Ortus, Vita, Geſta, Miracula,

Paſ-

Digitized by Google

Paſſio, & Reſurrectio celebrantur; quæ quidem de Chriſto teſtimonia in hodiernis octo libris reſperſa ſunt, plane vanum & inutile fuiſſet, alia Sibyllarum loca contra Ethnicos urgere, in quibus de Chriſto nullum habetur verbum: ſed illa ipſa loca, in quibus Chriſti miracula, aliaque religionis Chriſtianæ myſteria prædicuntur, aut potius hiſtorice referuntur tanquam res viſæ & auditæ, manifeſte ſunt ſuppoſita, ut patet ex iis quæ ſuperius a nobis dicta ſunt: ergo fictitium eſt quod dicunt adverſarii, carmina Sibyllarum, quæ laudata ſunt a SS. Patribus, genuina eſſe illarum opera, & tamen hodiernam carminum Sibyllinorum collectionem, non eſſe prorſus incorruptam.

Tradit hanc ſententiam Natalis Alexander in Diſſertatione quam de Sibyllis edidit Tom. 3. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ubi ex una parte docet Sibyllarum oracula quæ laudantur a SS. Patribus & Autoribus Eccleſiaſticis, non eſſe figmenta Chriſtianorum; ex altera vero non eſſe prorſus genuina & incorrupta Sibyllarum carmina, quæ octo libris continentur; quæ quidem duo conciliare facile non poſſunt, tunc quia quæcunque citata ſunt ab antiquis Patribus quaſi a Sibyllis prolata, in noſtra octo librorum collectione leguntur; teſtantur SS. Patres Sibyllas mentionem feciſſe de Chriſto Servatore noſtro, de Judicio ultimo, de Inferno; ſed aperta de iſtis habentur teſtimonia in octo Sibyllarum libris. Non video itaque quo fundamento affirmatur unam partem iſtorum carminum, genuinum eſſe Sibyllarum opus, alteram vero eſſe ſuppoſitam; genuinum eſſe quicquid Chriſtum & Chriſtianam religionem ſpectat, reliquum vero, vel ſaltem majori ex parte ſuppoſitum; certe cum illa collectio in ſingulis fere ſuis partibus multa contineat Sibyllis ſuppoſita, ex conſenſu adverſariorum, ſatius eſt & ad veras Criticæ regulas magis conſentaneum pronunciare, totam hanc farraginem, merum eſſe cujuſdam Chriſtiani figmentum.

Reſpondeo igitur aperte falſum eſſe quod objicitur, multos e ſanctis Patribus laudaſſe carmina Sibyllarum, eaque advocaſſe velut firmiſſimum Chriſtianæ religionis præſidium, ſiquidem id verum eſt duntaxat de quibuſdam inter illos, quorum proferuntur teſtimonia, & quos hac in parte deceptos fuiſſe fatemur citra ullam in eos redundantem propterea injuriam. Duæ ſunt partes in hac reſponſione, prior qua dicimus nonniſi unum aut alterum e SS. Patribus religionem noſtram confirmaſſe adverſus Ethnicos ex carminibus Sibyllinis. Poſterior qua libenter fatemur in hoc deceptos fuiſſe ſine ullo ſui honoris detrimento, quod utrumque ſi clare demonſtratum fuerit, adverſariorum objectioni plene, ut puto, ſatisfiet.

Quoad primum attinet, nimirum pauciſſimos tantum non illos omnes Patres & Scriptores Eccleſiaſticos, quorum teſtimonia objiciuntur, carmina Sibyllarum protuliſſe adverſus Gentiles pro aſſerenda Chriſtianæ religionis veritate, perſpicuum maxime eſt ex illorum verbis attente ac diligenter perpenſis, quod ut melius intelligatur, in memoriam revocari debet ſtatus iſtius quæſtionis in eo poſitus, utrum antiqui Patres non ſolum noverint & citaverint aliquando Sibyllarum carmina ſed illa protulerint in probationem religionis, rati videlicet illas fœminas a Deo fuiſſe inſpiratas, carmina, inquam, illa quæ in hodiernis octo libris Sibyllinis continentur.

Fatemur ante Chriſti Domini adventum extitiſſe quædam Sibyllarum oracula, quæ apud Gentiles habebantur ut vaticinia quæ Romanorum fata continebant. Non dubito etiam quin ante Chriſtum natum alia prodierint carmina ſub Sibyllarum nominibus, quæ unum Deum orbis univerſi Conditorem, vel & venturum Salvatorem præcinebant, quorum quidem carminum compilatio ab aliquo Judæo fuerat confecta, ut ſuum de Meſſia ſyſtema probaret. Tum etiam fieri forſitan potuit, ut ejuſmodi prædictiones

in

Digitized by Google

in manu SS. Patrum & Autorum Eccleſiaſticorum inciderint ; ſed nego ante Chriſti adventum inſpectam & laudatam ab illo Autore hanc hodiernorum octo librorum farraginem . Tum vero & nego hæc eadem carmina , quæ dubio procul a fœminis Gentilibus prophetiſſis & à Deo inſpiratis non fuerunt emiſſa , ab iſtis Patribus omnibus & ſingulis , quorum teſtimonia objiciuntur , laudata fuiſſe adverſus Ethnicos quaſi firmiſſima Chriſtianæ religionis præſidia . Scilicet id merito tribui non poteſt S. Juſtino , Theophilo Antiocheno , Origeni , SS. Auguſtino & Hieronymo , unde ſupereſt ut dicamus hanc adverſariorum ſententiam ſola inniti Autoritate Clementis Alexandrini , Lactantii , & Imperatoris Conſtantini , tota reclamante antiquitate ; quod ut clarius innoteſcat , operæ pretium eſt ſingula horum Scriptorum teſtimonia ſigillatim expendere .

De S. Juſtino hæc confidenter pronunciamus . Primo illud opus inſcriptum *Cohortatio ad Græcos* , quod objiciunt , non eſſe certo S. Juſtini , ut multi Critici ex eo colligunt , quod non ei tribuitur ab Euſebio . Sed poſito quod vere ſit genuinum Juſtini opus , addimus eodem modo ſolvi poſſe difficultatem , quæ ex hoc teſtimonio eruitur , quam quæ ex laudata in objectionibus Apologia .

Reſpondent nonnulli deceptum fuiſſe S. Juſtinum , quædam citando carmina ſub Sibyllarum nomine , quæ ab aliquo impoſtore recens fuerant fabricata , ſcilicet contendunt iſti circa mediam ſæculi partem , primo in lucem emiſſa Sybillarum carmina in hodiernis octo libris contenta .

Verum huic ſententiæ facile aſſentiri non poſſum , qui enim factum fuiſſet , ut S. Juſtinus impoſtorem illum non deprehendiſſet , qui nimirum falſas iſtas merces ea ætate exponebat in publicum , qua vivebat ipſe ? Quomodo Athenagoras S. Juſtino coævus illum agnovit , & ſanctum Patrem de fraude non admonuit ? Quis in animum induxerit impoſturam hanc aut ignoratam aut diſſimulatam ab Imperatore cæteriſque Gentilibus , contra quos de chriſtianæ religionis veritate diſputabat Juſtinus ?

Reſpondent alii citare duntaxat S. Juſtinum libros Sybillarum , quales habuerant Romani , non iſtos qui in octo libris continentur .

At nec mihi probatur iſta ſolutio ; ſiquidem in Sibyllinis carminibus , quæ tanto cum ſtudio aſſervabant Romani , nihil erat ad Chriſtianam religionem pertinens , ſed ſolum quod illius imperii fata ſpectare videbatur , omnia ibi prophana & quæ cultum idololatricum ſpirabant ; cum tamen commemoret Juſtinus Sibyllam quodam inſtinctu afflatam de Chriſto , ejus adventu & futuris geſtis prædicentem . Niſi dicatur hunc Scriptorem nonniſi de Virgilii carminibus id intellexiſſe , quippe quæ Chriſti adventum ab aliis quam a Juſtino annunciare viſa ſunt , ut poſtea dicemus .

Reſpondeo autem probabilius eſſe temporibus S. Juſtini plurima extitiſſe Sibyllarum oracula , quibus de Meſſia ſeu de aliquo Salvatore venturo nonnulla incerta ſunt , forte , ut ſupra dixi , ab aliquo Judæo ; ſed e laudatis in objectione S. Juſtini teſtimoniis minime ſequitur , illum citaſſe octo quos habemus Sibyllinos libros ; ſiquidem non modo in genere & univerſim dixiſſet extare Sibyllæ cujuſdam oracula quæ *de futuro Servatoris noſtri Jeſu Chriſti adventu , ac de rebus ab eo gerendis liquido & aperte vaticinatur* . Sed quæ in hodierna collectione leguntur , Chriſti miracula , ejus Paſſionis & Mortis circumſtantias , Reſurrectionem , ac demum in cœlos Aſcenſionem clare ac ſigillatim explanaſſet ; hæc enim non minus aperte deſcribuntur in libris Sibyllinis noſtris , quam in Evangelio & in aliis Apoſtolorum ſcriptis : nemo neſcit quo ſtudio & qua diligentia ſingulas de Meſſia prædictiones in veteribus Prophetis contentas , Chriſto Jeſu applicare ſolet Juſtinus : is profecto validiſſimum in-

de adverſus Gentiles duxiſſet argumentum, cui nihil omnino reponere potuiſſent.

Certe S. Juſtinum nec vidiſſe nec urgere carmina hodiernæ collectionis patet ex his verbis quæ leguntur in cohortatione ad Græcos, *quæ proxime ad Prophetarum accedunt doctrinam*. Sic enim non deſignaret vaticinia quæ de Chriſto leguntur in octo libris Sibyllinis; cum nempe nemo non videat Chriſtum ejuſque doctrinam longe clarius prædici ac deſcribi in iſtis verſibus, quam in ullo ex antiquis Prophetis.

In hoc autem uno peccavit Juſtinus, quod argumentum ex Sibyllæ vaticiniis petitum nimis avide arripuit, cum in votis habebat Chriſtianæ religionis veritatem aſtruere, quaſi hæc fatidica fœmina ſingulari, & ut ait Juſtinus, *præpotentis numinis afflatu quodam mirifico*, ſortes ac reſponſa ſua dederit, in hoc; inquam, fatemur deceptum fuiſſe ſanctum Martyrem, debito ſcilicet illorum carminum examine non inſtituto.

Quanquam non ſine aliquo fundamento dici poſſet, S. Juſtinum, uti & quoſdam alios Scriptores Eccleſiaſticos, Sibyllarum oraculis quandoque uſos in diſputationibus quas habebant cum Ethnicis, argumento, ut aiunt, ad hominem quia nimirum noverant ejuſmodi carmina in magno pretio eſſe apud illos, qui exiſtimabant tales fœminas futura certo prædixiſſe, quanquam ipſi proprio ſuo judicio illa plurimi non facerent.

De Theophilo Antiocheno aliter non eſt ſentiendum, ſcilicet non apparet Theophilum vidiſſe prædictiones, quæ de Chriſto, ejus miraculis & aliis Chriſtianæ religionis myſteriis leguntur in hodierna collectione, probat enim ſolummodo ex Sibyllarum oraculis unum eſſe Deum orbis univerſi conditorem. Quod ſi exiſtimavit divino afflatu ſcripſiſſe illas fœminas, in hoc deceptus eſt.

Clementem Alexandrinum quod attinet, diffiteri non poſſumus eum non leviter hallucinatum fuiſſe, in eo potiſſimum quod ſcribit Sibyllarum autoritatem agnitam fuiſſe a S. Paulo, quod quidem figmentum ab iſtius Apoſtoli mente prorſus alienum eſt. Quia ſi dixiſſet per Sibyllina oracula clariorem myſteriorum divinorum cognitionem quam per Prophetas acquiri, utpote cum clarius in Sibyllis quam in Prophetis unum Deum & futura deprehendant homines, dubio procul ſibi manifeſte contradixiſſet, totique veteri Teſtamento, ubi paſſim legimus Judæis potiſſimum credita fuiſſe eloquia Dei, Pſ. 47. *Qui annunciat verbum Jacob, juſtitias & judicia ſua Iſrael; non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis*. Contra vero, ut teſtatur idem Apoſtolus Act. cap. 14. *Qui in præteritis generationibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas*. Eandem doctrinam tradit perſæpe in ſuis Epiſtolis ad Romanos cap. 3. *Quid ergo*, inquit, *Judæo eſt, aut quæ utilitas Circumciſionis; multum per omnem modum. Primum quidem quia credita ſunt illi eloquia Dei*. Cap. 9. *Qui ſunt Iſraelitæ, quorum adoptio eſt filiorum & gloria & teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium & promiſſa*. Et ex adverſo loquens de Gentibus c. 10. ejuſdem Epiſtolæ, eos appellat *non gentem quæ non eſt gens, & quæ non intelligit*. Certum eſt igitur ſanctum Paulum nec in ſuis unquam Epiſtolis, nec in ſuis concionibus docuiſſe Deum unum & Dei filium clarius multo deſignari in Sibyllarum oraculis, quam in ſcriptis Prophetarum.

Et certe ſi conſtans fuit traditio, ut gratis ſupponunt adverſarii, ſanctum Paulum in ſuis olim concionibus Sibyllarum autoritatem agnoviſſe, cur unus id teſtatur Clemens Alexandrinus, cur idem ſimiliter non teſtificantur alii Patres, ſaltem ii qui Sibyllinis verſibus ad aſtruendam Chriſtianæ religionis veritatem uſi ſunt adverſus Ethnicos? Quamobrem ingenue fatendum eſt deceptum fuiſſe hac in parte Clementem, cui videlicet ſatis familiare fuit plus æquo fidem adhibere Paganis Philoſophis, & variis promiſcue apocriphis operibus.

De-

Digitized by Google

Dehino Origenis teſtimonium objicitur; at immerito ſane, nihil enim colligi poteſt ex iſto Origenis ſermone, quod vel minimum adverſariorum de Sibyllis ſiſtemati faveat. Nimirum hæc Origenis verba quæ objiciuntur, reſponſionem continent qua Celſum irridet qui temeritatis accuſaverat Chriſtianos multa maledica inſeruiſſe Sibyllæ carminibus, hæc dixerat Celſus, *Vel Sibylla cujus autoritate nituntur quidam veſtri homines, dignior erat, ut eam decerneretis haberi Dei filiam: nunc vero hujus carminibus temere inſeruiſtis multa maledica*. Cui objectioni reſpondet Origenes, *deinde neſcio quid ei venit in mentem, ut cenſeret Sibyllam a nobis potius quam Jeſum appellandam eſſe Dei filiam, aſſeverans, nos multa ejus verſibus inſeruiſſe maledica, non tamen indicans, quæ ſint illa quæ inſeruimus, indicaſſet autem, ſi antiqua habuiſſet incorruptiora exemplaria, in quibus non reperiantur quæ putat a nobis interpolata*. Ex qua Celſi & Origenis diſputatione circa Sibyllarum carmina colligitur.

1. Celſum arguiſſe Chriſtianos, quod multa verſibus Sibyllinis inſeruerant, quod tametſi verum eſſe fateamur, nihil omnino efficit adverſus noſtram ſententiam; hæc enim multa quæ *maledica* appellat Celſus, profecto nihil aliud ſunt quam vaticinia quæ de Chriſto leguntur in Sibyllinis verſibus, quæ noſtro quidem judicio non ſunt genuina Sibyllarum opera.

2. Nihil etiam colligitur ex reſponſione Origenis, cum enim reponit Celſo penes ipſum non eſſe indicare, quæ ſint illa in Sibyllinis verſibus loca, quæ a Chriſtianis fuerant interpolata, non idcirco pertendit Origenes ſuppoſita tunc non fuiſſe nec interpolata hæc Sibyllarum carmina, de quibus diſputabat cum Celſo; quæſtionem non expendit Origenes, neutram hac in re partem amplectitur, reum ſolummodo peragit Celſum qui falſitatis accuſabat Chriſtianos, quaſi carmina Sibyllarum interpolaſſent, iiſque multa maledica inſeruiſſent, hoc ſolum uſus momento, quod antiqua eaque incorruptiora Sibyllarum vaticinia præ manibus non habebat Celſus; unde ſequebatur illum temere accuſare Chriſtianos; at, inquam, ex hoc Origenis ſermone mens ejus circa Sibyllarum carmina erui non poteſt; nec contendit nec negat ea eſſe Sibyllis ſuppoſita.

S. Auguſtinum quod attinet, vere quidem multa ſcribit variis in locis, quibus ſignificare videtur, exiſtimaſſe ſe, ad veritatem Chriſtianæ religionis aſtruendam nonnihil valere Sibyllarum carmina, ſed unus ejuſdem ſancti Doctoris locus meo quidem judicio ſufficit ad liberandam hac in parte ejus doctrinam, ubi videlicet in dubium revocat, num ab aliquo Chriſtiano conficta non fuerint iſthæc Sibyllarum oracula, ſic habet lib. 18. de civitate Dei cap. 46. *Proinde cum Scripturis noſtris non credunt, complentur in eis ſuæ quas cæci legunt. Niſi forte dixerit quis illas prophetias Chriſtianos finxiſſe de Chriſto, quæ Sibyllæ nomine vel aliorum proferuntur, ſi quæ ſunt quæ non pertinent ad populum Judæorum*. Ubi cum verba facit Auguſtinus de Sibyllarum vaticiniis, ſuſpicionem injicit & dubitandi locum relinquit de veritate illorum quam profecto ſuſpicionem ſtatim amoviſſet, profitendo & multis argumentis probando hæc carmina vere Sibyllarum eſſe, ſi ea tum certa ejus fuiſſet opinio, ex ejuſmodi vaticiniis luculentum erui poſſe momentum ad ſtabiliendam religionem. Quanquam igitur in aliis locis videatur ſanctus Doctor fidem aliquam tribuere verſibus Sibyllinis, quanquam affirmate dicat *Sibyllam Erithræam quædam de Chriſto manifeſta conſcripſiſſe... ita ut in eorum numero deputanda videatur qui pertinent ad civitatem Dei*; & alia id genus, tamen hæc ita pronunciat, ut ſemper dubitet de oraculorum veritate. Nam præter locum mox adductum ex lib. 18. de civitate Dei cap. 46. dubitanter etiam loquitur in aliis: *Eodem tempore*, inquit, *nonnulli Sibyllam Erithræam vaticinatam ferunt*, & poſtea,

nam vir clariſſimus Flaccianus nobis codicem protulit , carmina eſſe dicens Sibyllæ Erithrææ : quæ verba non ſunt firmiter credentis, ſed tantummodo ſententiam aliorum referentis , ita ut libera cuilibet facultas ſit credendi quid voluerit.

Et ſimiliter ad inſtar dubitantis & conditionem apponentis loquitur Auguſtinus lib. 10. de civit. Dei cap. 27. ubi hæc laudat Virgilii carmina , *Te duce ſi qua manent* , &c. Quaſi de Chriſto Domino velut inſpiratus locutus fuerit Vates, ſic enim habet ſanctus Doctor , *veraciter tamen ſi ad ipſum referas* , ubi ait non affirmare quidem Virgilium de Chriſto vaticinatum cum dixit , *te duce* &c. ſed veraciter hæc applicari poſſe Chriſto, ſi ad illum hæc verba & alia ſimilia referantur, *ſi ad ipſum referas*, quaſi dicat Auguſtinus hæc omnia quæ leguntur in quarta Virgilii Ecloga , & quæ ſumſit Vates ex Sibyllæ oraculis , vere Chriſto convenire *ſi ad ipſum illa referas ;* quod certe verum eſſe facile concedimus ; Chriſtus enim Servator noſter nos plane a peccato liberavit : ſed inde non ſequitur S. Auguſtinum exiſtimaſſe, ejuſmodi vaticinium a Sibylla prolatum , quæ intenderit prophetare de Chriſto ad id divinitus inſpirata ; neque enim hoc demonſtrari poſſet ex ullo Virgilii loco.

Oritur major difficultas ex eo quod lib. 18. cap. 23. teſtatur Auguſtinus, Sibyllam in eorum numero deputari poſſe qui ad civitatem Dei pertinent. Sed primo nec in hoc affirmate loquitur ſanctus Doctor , *Ut in eorum* , inquit , *numero deputanda videatur* , id enim indicat hic loquendi modus, *deputanda videatur* , non ait deputari debeat . 2. In hunc ſenſum veriſimiliter intellexit Sibyllam ad civitatem Dei pertinere , quod illius verba Chriſto Servatori noſtro applicari poſſunt , quodque *nihil habet in toto carmine ſuo , quod ad Deorum falſorum ſive factorum cultum pertineat , quin imo etiam contra eos & contra cultores eorum loquitur* . Non autem eo ſenſu quod e numero ſanctorum Prophetarum , e numero ſanctarum Virginum , e numero eorum qui veram colunt religionem deputanda eſſet, noverat enim Auguſtinus qui dubio procul iſthæc carmina viderat , ejuſmodi fœminas eſſe amentes, mendaces & infames.

De S. Hieronymi teſtimonio quod objicitur , nihil eſt quod plura diſputemus, neque enim docet ille Pater genuina eſſe hodiernæ collectionis Sibyllarum carmina , tum vero ex iis luculentum duci poſſe argumentum ad ſtabiliendam Chriſtianæ religionis veritatem ; immo certo conſtat nec ab eo viſa unquam fuiſſe iſthæc carmina , utpote cum præfato loco ſcribat Sibyllas fuiſſe virgines , & ſua virginitate donum prophetiæ meritas , quod aperte negat una ex illis Sibyllis , quæ quidem , ut diximus , ſcortum ſe fatetur , aut ſaltem plures habuiſſe maritos , ſi ejus propoſitionem emollire quis velit . In hoc ergo uno deceptus eſt S. Hieronymus , quod exiſtimaverit Sibyllas fuiſſe virgines , & donum propterea prophetiæ meruiſſe , quod certe ab hujus præclari Doctoris ingenio & eruditione multum abeſſe videtur , ſic vero locutus eſt nullo hujuſce rei præhabito examine , utpote cum ad fidem non attineat, nec maximi ſit momenti .

Ex his omnibus facile intelligitur, verum eſſe quod propoſitæ objectioni reſpondimus , ſcilicet paucos admodum Patres & Autores Eccleſiaſticos approbaſſe hodiernam Sibyllinorum verſuum collectionem , quaſi crediderint fatidicas illas mulieres a Deo fuiſſe inſpiratas, ut Chriſti adventum ejuſque vitam & præclara geſta prædicerent ; quandoquidem ab illa puerili opinione eximi legitime poſſint Juſtinus , Theophilus Antiochenus , Origenes , SS. Auguſtinus & Hieronymus , ut mox oſtenſum eſt .

Supereſt igitur (& hæc eſt altera reſponſionis noſtræ pars) ut dicamus alios, quorum objiciuntur teſtimonia , deceptos fuiſſe , re ſcilicet non ſatis diligenter examinata . Quod citra ullam offenſionem in illos Autores redundantem libenter con-

Digitized by Google

confitemur, quia præterquamquod nullus eſt e ſanctis Patribus qui in aliquo puncto errare non potuerit, multo minus eorum nullatenus vero religionis honori derogatur, cum in hac materia decepti dicuntur, quia non agitur niſi de aliquo facto hiſtorico quod fidem non ſpectat, ſed criticen, cui ſæpius mentem non applicuerunt, gravioribus ſcilicet negotiis intenti, eoque facilius hæc apud illos invaluit de Sibyllis opinio, quod rem tunc haberent cum Ethnicis, qui ejusmodi carmina in ſummo habebant pretio.

At vero in quibusdam capitibus vel non ſufficienter examinatis, vel nondum ab Eccleſia clare definitis, Patres diſtributive, ut ajunt, ſumptos, errare nonnunquam poſſe, perſpicuum maxime eſt, ex ipſorum Patrum confeſſione, *Scio me aliter habere Apoſtolos*, inquit S. Hieronymus Epiſt. ad Theophilum Alexandrinum, *aliter reliquos Tractatores, illos ſemper vera dicere, iſtos in quibusdam ut homines errare*. Epiſtola ad Pammachium, cum de Origenis erroribus verba feciſſet, *Erraverunt*, inquit, *alii tam Græci quam Latini, quorum non neceſſe eſt proferre nomina, ne videamur eum non ſui merito, ſed aliorum errore defendere*.

Idem docet S. Auguſtinus multis in locis, ſic v. g. Epiſt. 82. olim 19. quæ eſt ad S. Hieronymum. *Ego enim fateor caritati tuæ ſolis eis Scripturarum libris qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſime credam. Ac ſi aliquid in eis offendero litteris quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendoſum eſſe codicem, vel interpretem non aſſecutum eſſe quod dictum eſt, vel me minime intellexiſſe, non ambigam. Alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum puta quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione quod a vero non abhorreat, perſuadere potuerunt*. Et Epiſt. 148. ad Fortunatianum. *Neque enim*, inquit, *quorumlibet diſputationes, quamvis Catholicorum & laudatorum hominum, velut Scripturas canonicas habemus, ut nobis non liceat ſalva honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum ſcriptis improbare atque reſpuere ſi forte invenerimus quod aliter ſenſerint quam veritas habet: divino adjutorio vel ab aliis intellecta vel a nobis. Talis ego ſum in ſcriptis aliorum, tales volo eſſe intellectores meorum*. Quod ſi liceat de ſcriptis Autorum Eccleſiaſticorum ſic loqui & ſentire, etiam cum de rebus ad fidem pertinentibus agebant, vel quando ſacras Scripturas interpretati ſunt, quidni citra ullam offenſionis ſuſpicionem quivis dicere poterit quosdam ex laudatis Patribus deceptos, cum exiſtimarunt genuina eſſe illa Sibyllarum opera, in quibus clare & aperte prædicitur Chriſti Servatoris noſtri adventus, ab illis videlicet fœminis, quæ iſthæc vaticinia afflante Spiritu ſancto ſcripſerint; quin imo potiori jure iſtud libenter confiteri poſſumus, quia hæc controverſia de Sibyllinis verſibus, an ſint genuina vel ſuppoſititia illarum fœminarum opera, plane nullius eſt momenti, nec fidem ullatenus ſpectat.

Inſtabis: Saltem iſta reſponſio qua dicitur quoſdam e ſanctis Patribus & Autoribus Eccleſiaſticis deceptos fuiſſe circa Sibyllarum carmina, locum habere non poteſt pro allato Imperatoris Conſtantini teſtimonio.

1. Quia vim quodammodo habet decreti a Concilio generali manantis aut ſaltem certiſſimum reputari debet, quoniam oratio hæc ab Imperatore habita fuit coram Patribus magni Concilii Niceni, qui procul dubio Imperatorem monuiſſent, hæc quæ in medium producebat de Sibyllis, meras eſſe fabulas, mera Chriſtianorum figmenta, præcipue vero id præſtitiſſent multi Epiſcopi Ariani, quos illorum Sibyllinorum verſuum autoritate impugnabat Conſtantinus.

2. Hoc Imperatoris de Sibyllis teſtimonium,

bylla quam in his ſuis verſibus laudat, quaſi voluerit Deus horum vatum miniſterio uti, ad annunciandum hominibus futurum Meſſiæ adventum. Volunt plerique Virgilii ſcoliaſtæ nihil aliud intendiſſe Poetam, quam Pollionis filio omnia fauſta vovere.

Denique nullius ponderis eſt quod objicitur Imperatorem, quantum in ipſo fuit, notas ſuppoſitionis, cujus a multis accuſabantur Sibyllarum carmina, diluiſſe. Siquidem ex eo ſolum colligi poteſt ejusmodi carmina a multis habita fuiſſe tanquam ſpuria & ſuppoſititia, quod utique confitemur, nec parum noſtræ favet ſententiæ.

Objicies: Si verſus Sibyllini fuiſſent ſuppoſiti, & ab aliquo Chriſtiano recens fabricati, Ethnici qui non ignorarunt, luculentum ex illis erui argumentum pro veritate religionis Chriſtianæ, hac de re vehementer conqueſti fuiſſent, fraudemque non admodum veterem læto animo detexiſſent, Chriſtianisque objeciſſent: ſed talis querimonia non occurrit apud Ethnicos etiam in diſputationibus quas habuerunt cum SS. Patribus & Chriſtiani cultus aſſertoribus & apologiſtis: igitur.

Nego min. contrarium enim manifeſte liquet ex multis locis.

1. ex Lactantio qui lib. 4. de vera ſapientia jam citato ſic habet, poſtquam multa Sibyllarum vaticinia retulit. *His teſtimoniis quidam revicti ſolent eo confugere, ut aiant non eſſe illa carmina Sibyllina, ſed a noſtris conficta atque compoſita.*

Ex Conſtantino M. Imperatore loco mox laudato apud Euſebium, *Sed multi homines*, inquit, *non credunt idque confitentes fuiſſe Sibyllam vatem Erithræam. Suſpicantur autem quemdam noſtræ religionis non expertem poeticæ muſæ carmina compoſuiſſe, eſſe ſuppoſititia & Sibyllæ oracula dici habentia ſententias utiles ad vitam, multam voluptatum licentiam amputantes, ducenteſque ad vitam ſobriam & bene compoſitam.*

Item ex S. Auguſtino qui lib. 23. contra Fauſtum cap. 17. teſtatur Fauſtum rejeciſſe carmina Sibyllarum velut falſa & ſpuria: *Sibyllarum*, inquit, *libros homini gentili non leget Fauſtus, eos quippe ſibi incognitos falſus eſt dicens, ſane ſi ſunt aliqua, ut fama eſt, Sibyllæ de Chriſto præſagia.*

Origenis teſtimonium ſuper ea re diſertiſſimum jam adduximus, ubi nempe teſtatur Celſum id vitio vertiſſe Chriſtianis, quod in Sibyllinorum verſuum collectione multa, ut ajebat Celſus, maledica inſeruerant, ea intelligebat, quæ Chriſtum ejusque vitam & geſta deſignant, *vel Sibylla*, inquit Celſus apud Origenem lib. 7. pag. 368. *cujus autoritate nituntur quidam veſtri homines*, non dicit omnes Chriſtiani, quod obiter obſervatione digniſſimum eſt, *Dignior erat ut eam decerneretis haberi Dei filiam, nunc vero hujus carminibus temere inſeruiſtis multa maledica*. Quam accuſationem non aliter repellit Origenes quam dicendo, Celſum præ manibus non habere incorruptiora Sibyllarum exemplaria, in quibus non reperiantur hæc quæ putat a Chriſtianis inſerta & interpolata. Certe ſi ea tum fuiſſet conſtans omnium Chriſtianorum ſententia, certis autoritatibus & perpetua traditione innixa verſus Sibyllinos, de quibus loquebatur Celſus non fuiſſe ab aliquo Chriſtiano corruptos, & vera eſſe Sibyllarum ante Chriſti tempora prophetantium opera non omiſiſſet eo loci Origenes hoc pretioſum religionis monumentum prædicare, defendere & urgere adverſus Celſum, nullum enim adverſus Ethnicum quempiam luculentius ſuppetit pro ſtabilienda Religione Chriſtiana. Et hæc de Sibyllis & Tractatu noſtro de fide abunde ſufficiunt.

TRA-

concepta, *Si quis dixerit hominem ſine Spiritus ſancti gratia & ejus adjutorio poſſe credere, ſperare & diligere ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.*

Dicitur 3. virtus *Theologica*, nam illa virtus eſt Theologica, quæ Deum immediate attingit; hinc enim tres virtutes, fides, ſpes, charitas, dicuntur Theologicæ, quia circa Deum immediate verſantur: atqui Deum immediate attingit ſpes, per illam enim virtutem Deum expectamus poſſidendum, ſperamus futurum ut Deo tanquam ſummo bono fruamur.

Neque audiendus eſt Durandus qui contendit immediatum ſpei objectum, non eſſe ipſum Deum ſed Dei poſſeſſionem quæ noſtra eſt beatitudo formalis, nec Deus ipſe, cum ſit quædam actio creata. In qua obſervatione dubio procul allucinatur Durandus; quando enim dicitur nos per ſpem Chriſtianam expectare poſſeſſionem Dei tanquam noſtram beatitudinem, hoc non impedit quominus Deus non ſit immediatum ſpei hujus objectum, quin immo Dei poſſeſſio non eſt objectum beatitudinis neque mediatum neque immediatum, ſed actio per quam objecto beatitudinis fruimur, quam appellant Theologi beatitudinem formalem non objectivam: hoc fuſius mox explicabitur ſub ſequenti titulo.

Dicitur denique, *qua futuram Dei poſſeſſionem expectamus*, quibus verbis exprimitur objectum ſpei Chriſtianæ, & conſequenter differentia ſpecifica illius virtutis, habitus enim ſpecificantur a ſuis objectis.

De Objecto ſpei.

OBjectum duplex, materiale & formale. Deinde objectum materiale duplex, primarium & ſecundarium; quibus notatis,

Dico 1. objectum materiale ſpei eſſe Deum. Siquidem objectum materiale cujuſpiam habitus eſt illud circa quod verſatur ille habitus: ſed ſpes verſatur circa Deum; per ſpem enim quæ virtus eſt Theologica, Deum expectamus aliquando poſſidendum, ſpes habet pro objecto beatitudinem noſtram & vitam æternam, quæ Deus eſt ipſe, juxta illud Geneſeos 15. *Ego merces tua magna nimis.* Igitur Deus eſt objectum materiale ſpei Chriſtianæ.

Dico 2. Deum eſſe objectum materiale primarium ſpei; nam illud eſt objectum materiale primarium ſpei; quod per ſe primo attingitur a ſpe: ſed Deus primo & per ſe attingitur a ſpe? ita ut cætera, circa quæ etiam verſatur ſpes, referantur ad Deum, nec a ſpe attingantur niſi prout ad Deum poſſidendum conducunt, cujuſmodi ſunt v. g. bona opera ſeu merita, in quibus ideo ſpem noſtram collocamus, quod media ſunt ad obtinendam Dei poſſeſſionem neceſſaria: igitur Deus eſt objectum materiale primarium ſpei noſtræ.

Dico 3. multa præter Deum alia eſſe ſpei objecta, ſed ſecundaria tantum. Nam illud eſt objectum ſecundarium ſpei, quod ſperamus, expectamus propter Deum, in ordine ad poſſeſſionem Dei, qui quidem, ut mox dixi, objectum eſt ſpei primarium: ſed plurima ſunt, quæ in ordine ad futuram Dei poſſeſſionem expectamus, gratia nempe divina, per quam ſperamus futurum ut vincamus tentationes, præcepta obſervemus, & in bono finaliter perſeveremus, quo ſenſu monet ſæpius Scriptura ut in Deo confidamus, 2. ad Corint. 1. *Ut non ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo.*

Item merita etiam noſtra ſeu bona quæcunque opera, ſunt objectum ſecundarium ſpei, propter eandem rationem, quod videlicet legitur paſſim in Scripturis omnem ſalutis noſtræ ſpem collocandam in bonis operibus, Tobiæ 4. cap. *Fiducia magna erit coram Deo eleemoſina omnibus facientibus eam.* Ad Rom. 5.

cap. *Gloriamur in tribulationibus, ſcientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia vero probationem, probatio vero ſpem, ſpes autem non confundit*. Quod idem docent SS. Patres, ſic inter alios S. Auguſtinus in Pſal. 31. *Ipſa charitas*, inquit, *bene operantis dat ei ſpem bonæ conſcientiæ, ſpem enim gerit bona conſcientia. Quomodo mala conſcientia tota in deſperatione eſt, ſic bona conſcientia tota in ſpe*.

Hæc porro bona opera non ſunt objectum ſpei præciſe ut ſunt opera humana, ſed prout beneficio gratiæ divinæ facta, quod utrumque manifeſte colligitur ex Scripturis, prius quidem ex 2. ad Corint. cap. 3. *Fiduciam autem*, inquit Apoſtolus, *talem habemus per Chriſtum ad Deum, non quod ſufficientes ſimus, cogitare aliquid a nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*. Poſterius vero ex iſtis verbis Jeremiæ 17. *Maledictus homo qui confidit in homine*.

Denique cum illud omne ſit objectum ſecundarium ſpei noſtræ, in quo ſpem noſtram collocare poſſumus velut in adjutorio noſtræ ſalutis, id merito dici poteſt de iis omnibus rebus quæ nos aliquo modo conducere & adjuvare poſſunt ad vitam æternam conſequendam, cujuſmodi ſunt preces aliorum quibus adjuvamur, item intercesſio Sanctorum, ac præcipue Beatæ Mariæ Virginis, quæ quidem in publicis Eccleſiæ precibus dicitur ſpes & refugium Chriſtianorum: canit etiam Eccleſia de ſancta Cruce, *O Crux ave ſpes unica*.

Dico 4. objectum formale ſpei eſſe noſtram beatitudinem ſeu vitam æternam. Siquidem objectum formale cujuſvis habitus eſt ratio ſub qua habitus ille conſiderat ſuum objectum materiale, & quæ illum conſtituit ac diſtinguit ab omni alio: ſed talis eſt ratio beatitudinis reſpectu ſpei chriſtianæ, quæ videlicet conſiderat Deum quatenus noſtrum ſummum bonum, noſtram beatitudinem, & in quo formaliter & præciſe differt ab aliis virtutibus, juxta definitionem ſpei mox a nobis adductam: igitur objectum formale ſpei eſt ratio beatitudinis. Unde ſequitur objectum totale, ut aiunt, & adæquatum ſpei, eſſe Deum quatenus erit ſumma noſtra felicitas; objectum enim totale & adæquatum ſic dicitur quod materiale ſimul & formale complectitur.

Hinc ſequitur arduitatem non eſſe objectum formale ſpei, ut nonnulli docent, ex eo quod arduitas eſt ratio ſub qua ſpes ſuum attingit objectum, quatenus ſpes verſatur ſemper circa arduum & quod nonniſi difficile attingi poteſt. Verum falluntur iſti Theologi, quia non omnis ratio formalis ſub qua habitus conſiderat ſuum objectum materiale, cenſetur illius objectum formale, id ſolummodo verum eſt de ratione formali ſpecifica & eſſentiali per quam talis habitus differt ab omni alio: ſed arduitas non eſt ratio formalis ſpecifica ſpei, eſt aliquid contingens reſpectu ſpei, quia tametſi per ſpem nunc Deum nonniſi difficile obtinendum expectemus, tamen ejuſmodi arduitas non eſt formalis eſſentialitas ſpei.

Frivolum eſt vero quod ait Durandus, jam Deum non fore objectum immediatum ſpei, quod tamen requiritur ut ſpes legitime dicatur virtus Theologica, ſi ſpes verſetur circa Deum quatenus erit noſtra beatitudo: quia, inquit, ſi ſpes verſatur circa Deum quatenus noſtra beatitudo, jam noſtrum bonum erit id quod primario & immediate intenditur per ſpem, & Deum non propter ſe, ſed propter nos, & quia nobis eſt bonus, per ſpem ſpectamus. Quamobrem, aiunt Theologi, ſpem pertinere ad amorem concupiſcentiæ, cujus amoris Deus non poteſt eſſe objectum immediatum. Huic objectioni facile & uno verbo reſpondemus, Deum in hac hypotheſi eſſe objectum immediatum & finem etiam ultimum ſpei, tametſi per ſpem expectemus Deum ſub ratione noſtræ beatitudinis, quia videlicet non re-

fe-

ſcrimus Deum ad alterum finem *qui*, ut aiunt, ſed ad alterum finem *cui*. Manet ſemper Deum eſſe rem quæ ultimo ſperatur, objectum in quod ultimate omnia referuntur, quamquam in ejus adeptione quæramus noſtram felitatem: uno verbo in hac occaſione Deus eſt objectum ſpei, homo vero eſt tantum illius ſubjectum.

De Subjecto Spei.

SUbjectum ſpei duplex, proximum & remotum. Proximum eſt facultas in qua reſidet habitus fidei & quæ elicit actus ſpei; remotum eſt homo qui de beatitudine ſibi aliquando obventura ſpem concipit. De ſubjecto proximo nulla eſt difficultas, fatentur omnes ſpem reſidere in voluntate; quia ſpes eſt virtus Theologica per quam tendimus in Deum velut in ſummum bonum, ſed ſola voluntas eſt ea facultas quæ tendit in ſummum bonum; intellectus enim fertur in verum, unde ſpes ut paſſio dicitur a Philoſophis reſidere in appetitu ſenſitivo; igitur volountas eſt ſubjectum proximum ſpei.

De ſubjecto remoto nonnullæ proponi ſolent quæſtiones, ſcilicet ambigitur de Chriſto Domino, de beatis, de animabus detentis in Purgatorio, de damnatis, & dæmonibus, & quoad viatores ſpectat, de peccatoribus & de hæreticis, de quibus omnibus pauca ſigillatim dicemus.

Dico 1. in Chriſto non fuiſſe virtutem ſpei, quia de ratione ſpei eſt, ut per eam expectentur ſolum ea quæ nondum poſſidentur, juxta illud Roman. 8. *Spes autem quæ videtur non eſt ſpes. Nam quod videt quis; quid ſperat? Si autem quod non videmus, ſperamus, per patientiam expectamus.* Sed Chriſtus a primo ſuæ conceptionis inſtanti ſua potitus eſt beatitudine, puta viſione intuitiva divinitatis; fuit enim viator ſimul & comprehenſor, ut diximus in Tractatu de Incarnatione: igitur in Chriſto non fuit ſpes.

Nec dicas in Chriſto Domino fuiſſe omne virtutum genus, quemadmodum fuit omnis gratiæ plenitudo, *In quo*, inquit Apoſtolus ad Coloſſenſ. cap. 2. *omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ erant abſconditi.* Hoc etenim intelligitur duntaxat de iis virtutibus, quæ nullum ſecum important defectum, nec cum ſtatu beatifico incompatibiles ſunt, quapropter nec fuit in Chriſto virtus pœnitentiæ, quia malum aliquid habet adjunctum, nempe ſupponit peccata a pœnitente commiſſa.

Nec moror quod Scripturæ ſpem Chriſto tribuunt in quibuſdam locis, v. g. Hebræorum cap. 18. *Jeſum qui propoſito ſibi gaudio*, id eſt, propoſita ſibi ſpe *beatitudinis, ſuſtinuit Crucem confuſione contempta.* Ex hoc enim & aliis ſimilibus colligi ſolum poteſt aliquam in Chriſto ſpem eorum quæ nondum conſecutus erat, puta ſuæ glorificationis & impaſſibilitatis: ſed non erat ea ſpes, proprie dicta virtus Theologica quæ Deum tanquam ſummum bonum poſſidendum habere debet.

Dico 2. nec eſſe ſpem in Sanctis qui Deum vident propter rationem mox adductam, ſcilicet in eo non eſt vera ſpes beatudinis qui jam adeptus eſt beatitudinem; ſed beati qui ſunt in cœlis, beatitudinem adepti ſunt, Deum vident facie ad faciem, ut oſtendimus in Tractatu de Attributis, futuram beatitudinem non ſperant, qui illam præſentem poſſident. Unde etiam, quemadmodum diximus de Chriſto, eſt in beatis ſpes eorum quæ nondum poſſident, puta reſurrectionis & glorificationis ſuorum corporum. Quod ſi ſermo ſit de Juſtis antiqui Teſtamenti, qui mortui ſunt ante Incarnationem Verbi, ſpem illi veram habebant, quia videlicet beatitudine nondum fruebantur, unde dicitur de illis Sapientiæ 3. cap. *Spes illorum immortalitate plena eſt.*

Digitized by Google

Dico 3. ſpem proprie dictam eſſe in animabus juſtorum qui detinentur in Purgatorio. Nam in iis eſt vera ſpes qui futuram beatitudinem expectant: ſed juſti in Purgatorio detenti futuram beatitudinem, tum animæ tum corporis expectant, quamvis non amplius ſint in via, quia nondum pervenerunt ad patriam. Nec obſtat quod ſecuri ſint de ſua beatitudine; inde enim non evacuatur, ſed immo confortatur eorum ſpes.

Dico 4. nec in damnatis, nec in dæmonibus remanere ſpem; quia in iis nulla eſt ſpes qui non modo futuram beatitudinem non ſperant, ſed contra certi ſunt ſe ab illa æternum excluſos: atqui & dæmones & damnati certo ſciunt ſe a beatitudine æternum excluſos; hæc enim ipſa eſt maxima illorum pœna propter quam in deſperationem conjiciuntur, & cupiunt annihilari, quod ſui ſupplicii perpetuitatem norunt, Deo ipſis revelante quod pronunciavit Chriſtus Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum*.

Dico 5. in peccatoribus ſpem remanere; ea enim virtus eſt in peccatoribus, quam in Baptiſmo acceptam nullo contrario amiſerunt: ſed peccatores ſpem acceperunt infuſam in Baptiſmo cum fide & charitate, ut diximus initio hujuſce Tractatus, nec videtur quopoſito contrario evacuata fuerit, ſi nempe fidem ſervaverint citra ullum deſperationis actum. Deinde ſpes eſt fiducia per qua futura beatitudo expectatur; ſed in peccatoribus remanet ejuſmodi fiducia, ſperant enim futurum ut, quando pœnitentiam egerint, vita æterna fruantur: ergo in peccatoribus remanet ſpes.

Dico denique ſpem theologicam non eſſe in hæreticis; ratio eſt quia in illis ſpes non cenſetur eſſe, in quibus non eſt fides; ex Apoſtolo enim fides eſt baſis & fundamentum ſpei, Hebræorum 11. cap. *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum*: atqui non eſt fides in hæretico, ut ſupra fuſiſſime oſtenſum eſt: igitur non eſt ſpes chriſtiana, & prout eſt virtus Theologica, in hæreticis.

De Proprietatibus Spei.

DUæ potiſſimum ſunt proprietates ſpei, ſcilicet ejus neceſſitas & certitudo, de quibus ſigillatim dicemus.

De Neceſſitate Spei.

QUæritur an & quomodo ſpes Theologica Chriſtianis neceſſaria ſit ad ſalutem.

Dico 1. & eſſe & ſufficere ſpem habitualem in infantibus. Eſt quidem ſpes habitualis in infantibus; ſiquidem infantes per Baptiſmum accipiunt gratiam ſanctificantem cum cæteris virtutibus, quas inter numerantur potiſſimum fides, ſpes & charitas. Deinde ſufficit in infantibus quoad habitum, ſunt enim ullius actus exercendi plane incapaces.

Dico 2. ſpem actualem adultis neceſſariam eſſe neceſſitate præcepti; ſiquidem hujuſce virtutis exercitium ubique paſſim præcipitur in Scripturis, Pſal. 4. *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ, & ſperate in Domino*. Et ibidem, *Quoniam tu, Domine, ſingulariter in ſpe conſtituiſti me*. Sapientiæ 2. cap. impiis vitio datur, quod negantes animæ immortalitatem, *neſcierunt Sacramenta Dei, neque mercedem ſperaverunt juſtitiæ*. Item jubet Apoſtolus Timotheo, ut hoc ſpei præceptum fidelibus injungat, 1. Epiſt. cap. 6. *Divitibus hujus ſæculi*, inquit, *præcipe non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo qui præſtat nobis abunde ad fruendum*. Et ad Titum 2. cap. *Apparuit gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus erudiens nos, ut abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria, ſobrie & juſte, & pie vivamus in hoc ſæculo, expectantes.*

Digitized by Google

tes beatam ſpem & adventum gloriæ magni Dei ..... hæc loquere & exhortare & argue cum omni imperio. Quibus verbis nihil expreſſius deſideres, jubet enim Tito Apoſtolus, ut ſpem futuræ beatitudinis omnibus cum imperio præcipiat.

Præterea inſigne eſt quod ſeribit idem S. Paulus ad Hebræos cap. *Confugimus*, inquit, *ad propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam*, quatenus nimirum ad ſalutem neceſſaria eſt futuræ beatitudinis ſpes. Quod iterum affirmat cap. 11. ejuſdem Epiſtolæ his verbis: *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*. Ubi ex æquo ſp.m & fidem docet neceſſarias omni fideli ad juſtificationem & proinde ad ſalutem. Idque ſupponit Concilium Tridentinum cum definit Seſſ. 6. Can. 3. neminem ſperare poſſe ſpe videlicet chriſtiana & ad ſalutem utili ſine Dei gratia: *Si quis dixerit hominem ſine Spiritus ſancti gratia & ejus adjutorio poſſe credere, ſperare & diligere, ſicut oportet ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit*.

Nunc quæritur quando, & in qua occaſione, obliget præceptum ſpei.

Reſpondeo 1. præceptum ſpei duplex diſtinguendum, ſcilicet præceptum negativum, quod eſt præceptum nunquam deſperandi de ſua ſalute; & affirmativum, quod eſt præceptum exercendi actus ſpei; quibus poſitis.

Reſpondeo 2. præceptum negativum ſpei obligare in omni tempore & occaſione, quia nimirum nunquam licet de ſua ſalute deſperare, ut conſtat ex locis Scripturæ mox adductis, quæ ſpem & fiduciam in Deum, ut certam ſalutis noſtræ anchoram præcipiunt.

Reſpondeo 3. præceptum affirmativum ſpei non obligare in omni temporis inſtanti, quia id non eſſet poſſibile; obligat autem, tum in iis occaſionibus in quibus tenetur Chriſtianus actus aliarum virtutum exercere, ut cum v. g. elicit actus pœnitentiæ, contritionis & charitatis; hi enim actus legitime produci non poſſunt ſine actu ſpei. Tum ſi quis in peccatum deſperationis incidiſſet, non poſſet enim ab illo perverſo ſtatu reſurgere ſine actu expreſſo ſpei; tum denique ſi graves inſtarent deſperationis tentationes, in qua occaſione poſtulat hominis chriſtiani prudentia, ut per actus ſpei reiteratos a deſperatione ſe liberet.

De Certitudine Spei.

Duplex hic diſtinguitur certitudo, una quæ dicitur conditionata, altera quæ dicitur abſoluta. Certitudo conditionata eſt ea quæ fundatur in aliqua conditione a qua pendet eſſentialiter, quomodo certum eſt filium fore ſui patris hæredem, ſi nempe non fuerit a patre exhæredatus. Abſoluta vero quæ a nulla pendet conditione, quomodo certum eſt abſolute loquendo quemlibet hominem moriturum, ſeu ſit juvenis ſeu ſenex, ſeu bene ſeu male vixerit; his poſitis,

Dico 1. ſpem noſtram de futura ſcilicet beatitudine non eſſe certam certitudine abſoluta; hoc eſt, nos ſimpliciter & abſolute certos non eſſe poſſeſſione beatitudinis quam expectamus.

Probatur; quia monent nos Scripturæ neminem de ſua ſalute eſſe ſecurum, unumquemque debere ſalutem ſuam cum timore operari, Eccleſiaſtis cap. 9. *Sunt juſti atque ſapientes & opera eorum in manu Dei, & tamen neſcit homo utrum amore an odio dignus ſit. Sed omnia in futurum ſervantur incerta, eo quod univerſa æque eveniant juſto & impio, bono & malo, mundo & immundo*. Apertiſſimus eſt hic locus, qui vel unus ſufficiat ad probandam ſalutis incertitudinem. Addimus tamen nonnulla S. Pauli teſtimonia, Epiſt. ad Rom. ſic loquitur: *Tu autem fide ſtas,*

noli

noli altum ſapere, ſed time. Si enim Deus naturalibus nimis non pepercit, ne forte nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem & ſeveritatem Dei; in eos quidem qui ceciderunt ſeveritatem, in te autem bonitatem Dei; ſi permanſeris in bonitate, alioquin & tu excideris, 1. ad Corint. 10. *Itaque qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat*. 2. Epiſt. cap. 11. *Timeo ne ſicut ſerpens Evam ſeduxit aſtutia ſua, ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant a ſimplicitate quæ eſt in Chriſto*. Tritum eſt quod ſcribit idem Apoſtolus ad Philipp. cap. 2. *Cum metu & tremore*, inquit, *veſtram ſalutem operamini. Deus eſt enim qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate*.

Quibus conſentaneum maxime eſt quod legitur apud S. Auguſtinum innumeris in locis, ſic enim v. g. loquitur lib. de corrept. & grat. cap. 13. *Quis ex multitudine fidelium, quandiu in hac mortalitate vivitur, in numero prædeſtinatorum ſe eſſe præſumat? Quia id occultari opus eſt in hoc loco, ubi ſic cavenda eſt elatio, ut etiam per ſatanæ Angelum, ne extolleretur, tantus colaphizetur Apoſtolus*. Et lib. de dono perſeverantiæ cap. 8. *Deus*, inquit, *melius eſſe judicavit miſcere quoſdam non perſerveraturos certo numero Sanctorum ſuorum, ut quibus non expedit in hujus vitæ tentatione ſecuritas, non poſſint eſſe ſecuri. Multos enim a pernicioſa elatione reprimit, quod ait Apoſtolus: Qui videtur ſtare, videat ne cadat*. Quod idem docent alii Patres.

Et ratio eſt quia illud non eſt abſolute certum aut certo futurum, quod non eſt futurum niſi ſub conditionibus adjunctis, de quibus abſolute certi non ſumus: atqui vitæ æternæ poſſeſſio non eſt futura, niſi ſub conditionibus de quibus abſolute certi non ſumus; Deus enim nobis non promiſit abſolute vitam æternam, ſed ſub conditione, ut aperte colligitur ex locis mox laudatis, puta quod vigilaverimus, quod mandata ſervaverimus, quod denique in bono ad finem uſque vitæ perſeveraverimus; de quibus conditionibus nemo noſtrum abſolute ſecurus eſt, quia voluntas hominis valde mutabilis eſt, quia in hac mortali vita variis continuo tentationibus objicimur, quia donum perſeverantiæ finalis diſtribuit Deus pro ſuo beneplacito, & quia demum quotidiana probat experientia multos, qui diu vixerant in juſtitia, infeliciter lapſos in fine vitæ, & ad æternam proindè beatitudinem non perveniſſe: igitur ſpes non eſt certa certitudine abſoluta.

Dico 2. ſpem chriſtianam futuræ beatitudinis certam eſſe certitudine conditionata, quatenus videlicet certi ſumus omnes, Deo ita pollicente, nos ad æternam beatitudinem perventuros, ſi gratiæ Dei non reſiſtamus, ſi mandata Dei ſervemus, ac in bono finaliter perſeveremus.

Probatur; quia ſub iſtis conditionibus vitam æternam non ſemel promittit Deus in Scripturis, Eccleſiaſtici 2. *Qui timetis Dominum credite illi, & non evacuabitur merces veſtra. Qui timetis Dominum, ſperate in illum, & in oblectationem veniet vobis miſericordia. Qui timetis Dominum, diligite illum & illuminabuntur corda veſtra. Reſpicite filii nationes hominum, & ſcitote quia nullus ſperavit in Domino & confuſus eſt. Quis enim permanſit in mandatis ejus, & derelictus eſt?* Ubi dicitur ſpem fidelium idcirco non fore confuſam; quia ſervabunt mandata uſque in finem. Quod quidem expreſſe docuit ipſe Chriſtus, Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*. Et c. 24. *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*. Unde S. Auguſtinus in Pſal. 99. ſic loquitur: *Tam certus eſſe debes de requie, de felicitate, de æternitate, de immortalitate, ſi feceris præcepta Dei, quam certus eſſe debes de interitu, de ardore ignis æterni, de damnatione cum diabolo, ſi contempſeris præcepta ejus*.

Ex

Ex quibus colligitur quo ſenſu intelligi debeant ea Scripturæ loca in quibus ſpes noſtra dicitur certa ſine ulla appoſita conditione, ut quando legimus Pſal. 21. *In te ſperaverunt & non ſunt confuſi*. Rom. 5. *Spes non confundit*. Ad Hebræos cap. 6. *Per duas res immobiles quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habemus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus, animæ tutam ac firmam*. Hæc enim & alia ſimilia intelligi ſolum debent de certitudine conditionata, ut nimirum cum aliis mox citatis concilientur.

Spei diviſio in formatam & informem.

SPes Chriſtiana, uti & fides divina, dividi poteſt in formatam & informem. Formata, quæ reperitur in juſtis conjuncta cum charitate; informis vero, quæ reperitur in peccatoribus peccato mortali obſtrictis ſine charitate. Circa quam diviſionem quæritur utrum ſpes informis ſit vera ſpes, quæ ſit virtus Theologica & donum Dei ſupernaturale.

Dico ſpem veram eſſe in peccatoribus, licet informem & a charitate ſejunctam.

Probatur, quia nomine ſpei intelligitur virtus infuſa, per quam homo fidelis expectat futuram beatitudinem pro altera vita: ſed nihil impedit quominus dicatur peccatores charitate & gratia ſanctificante deſtitutos futuram hanc beatitudinem expectare beneficio ſpei quam acceperunt in Baptiſmo, & quæ per peccatum non extinguitur, niſi peccatum illud ſit deſperationis, quod ſolum ſpei opponitur, quemadmodum diximus fidem per ſolum infidelitatis peccatum extingui, adeoque manere in peccatoribus ſine charitate: igitur ſpes informis eſt vera eſſentialiter ſpes & Dei donum.

Dixi ſolam deſperationem proprie loquendo ſpei oppoſitam, quidni enim ſperare poteſt peccator omnium perditiſſimus, futurum ut aliquando reſipiſcat, de peccatis ſuis pœnitentiam agat, & conſequenter vitam æternam, quam Deus pœnitentibus & toto corde converſis promiſit, tandem conſequatur?

Hanc doctrinam ſatis aperte tradit Concilium Tridentinum Seſſ. 6. c. 6. ubi de peccatoribus dicitur, quod *ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore*. Supponunt enim Patres Tridentini ſpem reſidere in peccatoribus, qua videlicet confidunt Deum ſibi fore propitium.

Nec moror quod inſinuari videtur in quibuſdam Scripturæ locis ſpem eſſe charitate poſteriorem, quatenus prius eſt habere charitatem ſeu amorem Dei, quam habere ſpem, uti legitur ad Rom. cap. 7. his verbis: *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero ſpem. Spes autem non confundit, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris*. Unde S. Ambroſius in cap. 7. S. Lucæ, *Ex fide eſt charitas, ex charitate ſpes*. Nam ex his aliiſque ſimilibus tum Scripturæ tum Patrum teſtimoniis, ſequitur ſolum ſpem non eſſe ſine charitate. Si ſpes ſumatur prout eſt in eo qui recte & perfecte ſperat; tunc enim ſperat cum dilectione Dei, ſervat Dei mandata & perſeverare conatur, quo ſenſu dicit Apoſtolus loco citato ſpem non confundere. Sed inde non ſequitur in peccatoribus gratia deſtitutis, non remanere ſpem ſaltem informem & imperfectam.

Nec obſtat quod legitur Proverb. 24. *Non habent futurorum ſpem mali*. Ibi enim ſermo eſt de Atheis, apud quos fatemur nullam eſſe ſpem, qui nec Deum nec in alteram vitam credunt.

De

De peccatis in Spem pugnantibus.

UT virtus inter duo extrema conſiſtere ſolet in medio, Spes Chriſtiana duobus opponitur peccatis quæ in illam pugnant, unum per defectum, alterum per exceſſum; ſcilicet deſperatio per defectum, & præſumptio per exceſſum.

Deſperatio in eo poſita eſt, quod quis deſperet ſe unquam conſecuturum vitam æternam, ſeu putet graviora eſſe ſua peccata quam ut remitti poſſint, ſeu de miſericordia Dei male judicet. Peccatum eſt graviſſimum, quoniam actus eſt contrarius præcepto ſpei, quod toties legitur in Scripturis, ut ſupra retulimus, præterquamquod & ipſa etiam deſperatio mala & communis omnium delictorum cauſa expreſse declaratur, ad Epheſ. 4. cap. *Qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam, vos autem non ita didiciſtis Chriſtum.*

Præſumptio in eo conſiſtit quod quis certus & ſecurus ſit de ſua ſalute ſine ullo timore, nec idcirco ſollicitus ſit de mediis ad iſtum finem obtinendum neceſſariis quærendis. Grave peccatum eſt & maxime periculoſum, grave quidem, quia ut deſperatio miſericordiam Dei, ita juſtitiam ejus inſigniter lædit præſumptio; & inſuper quia actus eſt contrarius præcepto timoris, quod ſæpius inculcatur in Scripturis, ac præſertim in hoc ſupra laudato S. Pauli teſtimonio ad Philippenſes cap. 2. *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini.*

Dehinc omittimus hic fuſius expendere, utrum deſperatio & præſumptio ſint cum infidelitate neceſſario conjunctæ, an utraque peccatum ſit in Spiritum ſanctum, an poſſet quis ſine peccato deſperare, cui Deus ſuam damnationem revelaſſet. Hæ enim & quædam aliæ ſimiles quæſtiones magni momenti non ſunt. Conſuli poteſt S. Thomas 2. 2. quæſt. 20. & 21. Quoniam vero non modo ſpei ſed etiam timori opponitur præſumptio, de dono timoris eamobrem nonnihil diſſeremus

De Timore.

NOn agimus impræſentiarum de timore ſumpto pro ea fuga cujuſcunque mali futuri, quæ in appetitu ſenſitivo reſidet, & inter paſſiones numeratur a Philoſophis. Sed de hoc ſolummodo timore diſſerimus, qui peculiarem habet reſpectum ad ſalutem, quo vel timetur Deus, vel pœnæ pravis hominibus infligi ſolitæ; ejuſmodi enim timor cum ſpe chriſtiana quodam modo conjunctus eſt.

Triplex diſtinguitur a Theologis timor, ſcilicet filialis, ſervilis, & mundanus.

Timor filialis eſt ille quo quis timor offenſam Dei propter ipſum Deum, quia præciſe offenſa Dei eſt; dicitur autem filialis, quia per illum homo ſe habet ad Deum, veluti filius ad patrem. Et ſicut filius amore ductus timet ne patrem offendat, ita per illum timorem qui naſcitur ex amore Dei, homo timet ne Deum lædat nulla habita ratione pœnarum quæ inde conſequi poſſent, ſed ſola ratione offenſæ Dei conſiderata.

Timor ſervilis eſt ille quo quis timet pœnas peccatoribus infligi ſolitas, eatenus autem abſtinet a peccato. Non oritur timor ille ex amore Dei, ſed ex proprii commodi motivo; quia tunc homo abſtinet a peccato, ut pœnas effugiat. Dicitur ſervilis, quia hæc eſt ſervorum indoles & conſuetudo, ut dominis ſerviant non illorum amore ducti, ſed ſolum ut quas timent pœnas, effugiant.

Timor mundanus eſt ille quo quis ita timet aliquod malum temporale, ut minus timeat aliud malum ſpiritale, adeoque creaturam Deo anteponat, qui

qui

Digitized by Google

quidem timor pulchre deſcribitur in his Chriſti verbis Matth. 10. cap. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere, ſed potius timete eum qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam*. Scilicet timor ille mundanus dicitur, quo quis mortem temporalem magis timet quam æternam. His poſitis, quæritur an timor ſit bonus.

Certum eſt primo timorem filialem per ſe bonum eſſe; quia actus ille eſt bonus qui habet objectum bonum, finem bonum & debitas rectitudinis circunſtantias: ſed timor filialis eſt ejuſmodi, habet enim pro objecto Deum, quem fidelis timet offendere, vel fugam peccati prout eſt offenſa Dei; & homo hac in parte agit propter ipſum Deum & ex amore Dei: igitur timor filialis per ſe bonus eſt.

Certum eſt 2. timorem mundanum de ſe malum eſſe, quia actus ille de ſe malus eſt, per quem homo a recta ratione manifeſte deviat: ſed per timorem mundanum homo deviat a recta ratione; quatenus videlicet per illum magis timet malum temporale quam ſpiritale ſeu peccatum; quodque perverſum maxime eſt, tollitur a Deo ratio finis ultimi, in quantum bonum temporale, & creatum bono ſpiritali Deoque ipſi anteponitur. Igitur timor mundanus de ſe malus eſt.

Sed difficultas eſt de timore ſervili, quia docuit Lutherus omnem timorem ſervilem, quo pœnæ a Deo conſtitutæ, quales ſunt pœnæ inferni, ab aliquo Chriſtiano refugiuntur, malum eſſe, non donum Spiritus ſancti, ſed hominem contra reddere magis hypocritam. In quem errorem ſit

CONCLUSIO.

Dicimus contra hunc Novatorem certam & indubitatam eſſe Eccleſiæ Catholicæ doctrinam, timorem ſervilem de ſe bonum eſſe.

Probatur 1. ex Scripturis quæ timorem veluti bonum & ſalutarem ubique commendant. Pſal. 110. *Initium ſapientiæ timor Domini*. Quo revocari poſſunt innumeræ comminationes quibus utitur perſæpe Deus ad ejuſmodi timorem ſeu terrorem incutiendum peccatoribus, timorem inquam mortis, judicii ultimi, gehennæ ignis, ut convertantur & pœnitentiam agant: ſed medio non uteretur Deus niſi de ſe bonus eſſet. Eccleſiaſtici cap. 1. *Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis ſuæ benedicetur ... timor Domini, ſcientiæ religioſitas ... Plenitudo ſapientiæ eſt timere Deum ... corona ſapientiæ, timor Domini ... Radix ſapientiæ eſt timere Dominum*. Et ne quis putet non alium laudari in Scripturis timorem quam filialem, quo præciſe timetur offenſa Dei propter ipſum Deum, timorem pœnæ commendat ipſe Dominus, Matth. 10. his verbis: *Timete eum qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam*.

Probatur 2. ex ſanctis Patribus, qui ſimiliter huncce timorem ſervilem ut bonum & ſaluti utilem prædicant; ſic v. g. loquitur S. Cyprian. l. de lapſis: *Quid non perpeti tales pro peccatis ejuſmodi meremur, cum jampridem præmonuerit ac dixerit cenſura divina: Si dereliquerint legem meam, & in judiciis meis non ambulaverint, ſi juſtificationes meas profanaverint, & præcepta mea non obſervaverint, viſitabo in virga facinora eorum & in flagellis delicta eorum. Prænunciata ſunt iſta nobis & ante prædicta, ſed nos datæ legis & obſervationis immemores id egimus per noſtra peccata, ut dum Domini mandata contempſimus, ad correctionem delicti, & probationem fidei remediis ſeverioribus veniremus. Nec ſaltem ſero converſi ad Domini timorem ſumus, ut hanc correptionem noſtram probationemque divinam patienter & fortiter ſubiremus*. Eo loci Sanctus Cyprianus timorem appellat timorem Domini, quo nempe Deus homines viſitat,

Digitized by Google

corripit, & ad probationem fidei perducit.

Item S. Baſilius homil. in Pſal. 32. *Jam*, inquit, *quando timor Domini initium eſt ſapientiæ, qui terrena ſapiunt, per timorem erudiantur. Timor enim quaſi quidam introductorius neceſſario ad pietatem condiſcendam aſſumitur*. Et in Pſal. 33. *Timor vero ſalutaris & qui ſanctitatis operatorius eſt, timor item qui ſtudio acquiritur, non qui per affectionem imprimitur animæ, vis enarrem qualis ſit? Si quando te ſenſeris ad unum aliquod cieri ac proſilire peccatum, nihil ad mentem revoca formidabile illud nec ulli mortalium tolerabile Chriſti judicium, in quo quidem præſidet Judex in alto & ſublimi throno. Aſtat porro creatura omnis pratrepida & intremiſcens .... Subinde conſpicient barathrum in imum patens, tenebras impermeabiles quidem illas, ignemque obſcurum .... poſtremo omnium duriſſimam pœnam. Hæc tu time & ejuſmodi timore eruditus, quaſi fræno quopiam abarce animam & inhibe ad vitioſam concupiſcentiam propendentem. Hunc itaque timorem Domini nos pater ille ſe recepit eſſe docturum*.

S. Gregorius Nazianz. orat. in ſancta lumina; *Neque enim*, inquit, *ea ratio nobis ineunda eſt, ut a contemplatione auſpicantes in timorem deſinamus, (effrænis enim contemplatio in præcipitia quoque fortaſſis nos impulerit) verum ut timoris rudimentis imbuti & purgati, atque, ut verbo hoc utar, extenuati in altum feramur*.

S. Hieronymus Epiſt. ad Fabiolam: *Timor*, inquit, *virtutum cuſtos eſt, ſecuritas ad lapſum facilis. Unde & quodam Pſalmo poſtquam Propheta dixerat, Dominus regit me & nihil mihi deerit, in loco paſcua ibi me collocavit; jungit timorem qui cuſtos eſt beatitudinis, & infert; Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt; & eſt ſenſus, dum tormenta formido, ſervavi gratiam quam acceperam*.

Similia ſcribit S. Auguſtinus multis in locis lib. de ſancta Virginitate cap. 38. docet timorem divini judicii eſſe bonum: *Timor quidem*, inquit, *non eſt in caritate; ſed perfecta, ſicut ſcriptum eſt, caritas foras mittit timorem, ſed timorem hominum, non Dei; timorem temporalium malorum, non divini in fine judicii. Noli altum ſapere, ſed time; ama Dei bonitatem, time ſeveritatem*. Deinde lib. de diverſis quæſtionibus 83. qu. 77. definit timorem non eſſe peccatum. *Omnis autem paſſio*, inquit, *in quantum ipſa paſſione patimur, non eſt peccatum; ſed & ſi patimur timorem, non eſt peccatum*. Et lib. de catechiſandis rudibus cap. 5. *De ipſa ſeveritate Dei*, inquit, *qua corda mortalium ſaluberrimo terrore quatiuntur, charitas ædificanda eſt, ut ab eo quem timet, amari ſe gaudens, eum redamare audeat*. Hæc abunde ſufficiunt in re omnibus obvia.

Probatur demum ex Concilio Tridentino, quod iſtum Lutheri errorem expreſſe damnavit ſeſſ. 6. can. 8. his verbis: *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccato abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores pejores facere, anathema ſit*. Item Patres Tridentini declarant adverſus eundem Hæreticum contritionem imperfectam ex pœnarum metu conceptam, donum Dei eſſe, ſeſſ. 14. cap. 4. *Illam vero contritionem imperfectam*, inquiunt, *quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ, declarat non ſolum non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, verum etiam donum Dei eſſe, & Spiritus ſancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat*.

Objicies 1. Epiſt. Jo. c. 3. *Timor non eſt in charitate*; igitur timor de te malus,

lus, eſt, poteſt enim cum charitate conjungi quidquid malum non eſt.

Diſt. ant. In charitate perfecta, C. imperfecta, N. Fatemur timorem non eſſe ſemper in charitate perfecta, quia timor etiam ille ſervilis, de quo nunc habetur quæſtio, reperitur in peccatoribus nondum juſtificatis, juxta tritum illud Pſalmiſtæ teſtimonium, *Initium ſapientiæ timor Domini*. Nec niſi de charitate perfecta loquitur S. Joannes, ut manifeſtum eſt ex verbis ſequentibus; ſic enim loquitur iſte Apoſtolus: *Timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem, quoniam timor pœnas habet: qui autem timet, non eſt perfectus in charitate*. Sed quamvis timor non ſit ſemper conjunctus cum charitate perfecta, tamen conjungitur ſemper, ſi aliunde rectus eſt, cum charitate imperfecta, hoc eſt, cum amore inchoato; qui enim pulſatus metu judiciorum Dei & æternæ damnationis quærit Deum, bono affectu movetur, qui quidem non eſt donum Spiritus ſancti inhabitantis ſed moventis, ut ait Concilium Tridentinum loco mox allato.

Digitized by Google

TRACTATUS DE CHARITATE.

EXplicabimus in hocce Tractatu : 1. quid ſit Charitas : 2. quodnam ſit ejus objectum, tum materiale, tum formale. 3. quodnam ſit ejus ſubjectum. 4. quænam ſint ejus proprietates : 5. denique dicemus de Actibus Charitatis, ubi recentiorum Quietiſtarum nugas & errores diſcutiemus.

Quid ſit Charitas.

NOmen Charitatis generatim ſumitur pro quovis amore honeſto, unde etiam apud Ciceronem ſignificat amicitiam quæ eſt inter parentes & liberos. Ait enim lib. de Amicitia : *Charitatem quæ eſt inter parentes & liberos, dirimi niſi deteſtabili ſcelere non poſſe.* Sumitur etiam quandoque in Scripturis pro eo amore quo Deus diligit homines. Ad Epheſ. 2. *Deus propter nimiam charitatem qua dilexit nos.* Quin & in ſenſu metaphorico, 1. Epiſt. S. Joann. cap. 4. Deus appellatur Charitas.

Item obſervamus nequaquam confundendas eſſe tres iſtas voces, amorem, dilectionem & charitatem, nimirum amor latius patet quam dilectio, & dilectio quam charitas. Amor tam ſenſitivam & vitioſam quam ſpiritalem & licitam affectionem ſignificat, juxta illud S. Auguſtini in Pſalm. 9. *Amor, ſi pravus eſt, dicitur cupiditas ; ſi rectus, charitas.* Dilectio vero in bona tantum parte accipitur, & prout ad appetitum rationalem pertinet. Differt autem a charitate, in quantum dilectio etiam Dei reperitur in catechumeno & in pœnitente qui Deum amare incipiunt, & nondum habent charitatem in ſuis cordibus diffuſam. Charitas vero proprie loquendo non eſt niſi in hominibus juſtificatis, qui habet manentem in ſe Spiritum ſanctum.

Hoc prius quod dicimus de dilectione Dei, colligitur ex Scripturis quæ tradunt quandam eſſe dilectionem Dei, quæ remiſſionem peccatorum antecedit, Lucæ 7. dicit Chriſtus de peccatrice, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* In quem locum S. Ambroſius ſcribit, *Et tu plurimum dilige, ut tibi remittatur plurimum.* Unde Concil. Tridentinum ſeſſ. 6. can. 3. anathema pronunciat in eum, *qui dixerit hominem ſine præveniente Spiritus ſancti inſpiratione diligere Deum poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur.* Unde ſequitur ante juſtificationem Deum diligi a pœnitentibus ſicut oportet. Et quoad ſpectat catechumenos, Concilium Arauſicanum II. cap. ultimo ſic habet : *Deus nullis præcedentibus meritis & fidem & amorem ſui prius inſpirat, ut Baptiſmi Sacramentum fideliter requiramus.*

Poſterius vero, ſcilicet aliam eſſe Dei dilectionem, quæ proprio nomine charitas dicitur, quæ reperitur in ſolis hominibus juſtificatis, patet etiam ex Scripturis, Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Sed in ſolis juſtificatis manet Spiritus ſanctus, Galat. 4. *Quoniam eſtis filii, miſit Deus Spiritum filii ſui in corda veſtra clamantem, Abba Pater : itaque jam non eſt ſervus, ſed filius ; quod ſi filius, & hæres per Deum* 1. Joan. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & ſimus.* Et hæc eſt charitas, quæ una

eſt

Digitized by Google

eſt è tribus virtutibus Theologicis, de qua nunc diſſerimus.

Definitur accurate virtus infuſa Theologica, qua Deum, ut ſummum bonum, in ſe & propter ſe diligimus.

Dicitur primo *virtus*. Nam habitus rectus inclinans de ſe ad actus bonos, eſt vera virtus: ſed charitas eſt habitus rectus inclinans de ſe ad actus bonos. Eſt quidem habitus, quia 1. ad Corint. c. 13. *Charitas nunquam excidit, ſive prophetiæ evacuabuntur, ſive linguæ ceſſabunt, ſive ſcientia deſtruetur*. Quod quidem de actu quopiam intelligi non poteſt; actus enim, ut momentaneus, illico excidit; unde addit poſtea Apoſtolus, *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc, major autem horum eſt charitas*. Deinde charitas de ſe & ex natura ſua inclinat ad actus bonos, puta ad dilectionem Dei ſuper omnia; igitur eſt virtus.

Dicitur ſecundo, virtus *infuſa*, quod aperte colligitur ex S. Pauli teſtimonio ad Rom. cap. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis*. Tum vero ex iis omnibus momentis quibus ad initium hujus voluminis oſtendimus dari habitus infuſos & ſupernaturales.

Dicitur tertio, *Theologica*, quia Deum habet pro immediato objecto, in quo quidem conſtituitur in ratione virtutis Theologicæ, & differt a cæteris virtutibus moralibus.

Dicitur quarto, *qua Deum ut ſummum bonum propter ſe diligimus*. Quæ verba tenent locum differentiæ, & formaliter ſpecificant charitatem in ordine ad ſpem quæ virtus eſt etiam Theologica: ſpes enim verum conſiderat prout eſt ſummum bonum noſtrum, prout eſt noſtra beatitudo; charitas autem Deum conſiderat, prout in ſe perfectum & amabilem.

Porro abſurda omnino eſt, & Scripturis ac definitionibus Eccleſiæ contraria hæc Petri Lombardi ſententia, qua docet charitatem qua Deum diligimus, non eſſe creatum quid, ſed ipſum ſubſtantialiter Spiritum ſanctum.

Ac primo quidem Scripturis adverſatur; Rom. 5. legitur charitatem ineſſe nobis per Spiritum ſanctum. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis*. 1. Joan. 4. *Diligamus nos invicem, quia charitas ex Deo eſt*. Si autem nobis datur Chriſtus per Spiritum ſanctum, ſi ex Spiritu ſancto eſt, dubio procul non eſt ipſe Spiritus ſanctus. Unde S. Auguſtinus lib. de ſpiritu & littera cap. 31. *Charitas Dei dicta eſt diffundi in cordibus noſtris, non qua nos ipſe diligit, ſed qua nos facit dilectores ſuos, ſicut juſtitia Dei qua juſti ejus munere ſimus & Domini ſalus*. Quibus accedit, multa paſſim in Scripturis & ſanctis Patribus prædicari de charitate, quæ manifeſte oſtendunt eam eſſe virtutem & habitum creatum in anima & voluntate hominis, nequaquam vero ipſum perſonaliter Spiritum ſanctum; dicitur enim creſcere & minui, dicitur major vel minor, dicitur per peccatum amitti, per pœnitentiam recuperari &c. Ad Philip. 1. *Hoc oro ut charitas veſtra magis ac magis abundet*. 1. Joan. 2. *Qui ſervat verbum ejus, vere in hoc charitas Dei perfecta eſt*. Quæ quidem non competunt Spiritui ſancto, ſed virtuti creatæ & per Spiritum ſanctum infuſæ.

Conſtat eadem aſſertio ex variis Eccleſiæ definitionibus, nam Concilium Arauſicanum II. ſic loquitur can. 26. *Prorſus donum Dei eſt diligere Deum, diffundit enim charitatem in cordibus noſtris Spiritus, Patris & Filii, quem cum Patre amamus & Filio*. Item cum de habitibus in genere diſſeruimus, attulimus autoritatem Concilii Viennenſis, quod eorum ſententiam approbat qui dicunt gratiam ſanctificantem & virtutes e quarum numero eſt charitas, infundi etiam parvulis in Baptiſmo. Ac demum eadem doctrina aperte definitur in Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 11. his verbis: *Si quis dixerit homines juſtificari vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa*

gra-

gratia & charitate quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum diffundatur, quæ illis inhæreat, aut etiam gratiam qua juſtificamur, eſſe tantum favorem Dei, anathema ſit. Quæ verba explicatione non egent, manifeſtum eſt enim Spiritum ſanctum non inhærere.

Neque vero in contrarium objici debet illud 1. Joan. 4. cap. *Deus charitas eſt*. Vel enim iſte locus accipi debet metaphorice, eo nimirum ſenſu, quod Deus qui totus eſt bonus ſit plenus charitatis, vel id intelligi debet de ea dilectione qua ſeipſum vel nos diligit Deus; non autem de ea dilectione qua nos Deum diligimus, ut interpretatur S. Auguſtinus lib. 15. de Trinitate cap. 17. *Cum Dei*, inquit, *dilectionem commemoraſſet*, Joannes, *non qua nos eum, ſed qua ipſe dilexit nos*.

De Objecto Charitatis.

Objectum charitatis, uti & cujusvis alterius habitus, duplex diſtinguitur, materiale & formale.

Objectum materiale charitatis eſt Deus. Nam objectum materiale charitatis eſt illud circa quod verſatur charitas, eſt illud quod præcipue diligimus per charitatem: ſed Deus eſt illud circa quod verſatur charitas, Deum per charitatem primario diligimus, nec niſi ſecundario & propter Deum diligimus proximum & nos ipſos: unde charitas cenſetur ab omnibus Theologis virtus Theologica, quia nempe habet pro objecto proximo & mediato Deum: igitur.

Objectum formale charitatis eſt bonitas Dei, ſeu ſumma ejus perfectio. Nam objectum formale charitatis, eſt ratio, ſub qua charitas conſiderat objectum ſuum materiale: ſed bonitas Dei eſt ratio formalis, ſub qua charitas conſiderat objectum ſuum materiale, nempe Deum; charitas enim definitur virtus infuſa, per quam Deus diligitur quatenus bonus in ſe, ſeu perfectus: igitur bonitas Dei eſt objectum formale charitatis.

Porro bonitas illa divina quam aſſignavit pro objecto formali charitatis, non eſt ea bonitas quæ peculiare eſt Dei attributum, ſed ſumitur pro ſumma Dei perfectione; per charitatem enim diligimus Deum quatenus eſt ens ſumme perfectum, adeoque ſumme bonum & amabile. Quanquam, ut jam diximus, putenr nonnulli Theologi, objectum formale charitatis, eſſe bonitatem Dei relativam ad nos videlicet prout eſt objectum noſtræ beatitudinis, cæteris communiter aſfirmantibus proprium ſpei eſſe quod conſideret Deum prout eſt hominis beatitudo, adeoque charitatem verſari circa Deum, ut in ſe bonus & perfectus eſt.

Quæres utrum præter Deum alius quis ſit per charitatem diligendus.

Reſpondeo alios præter Deum vera charitate diligendos.

Ac 1. debet unuſquiſque ſemetipſum diligere, ut expreſſe præcipit Chriſtus Dominus: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*. Quia per charitatem diligimus id omne quod eſt bonum bonitate ſupernaturali, & quod capax eſt beatitudinis ſupernaturalis.

2. Tenemur diligere per charitatem proximum noſtrum, ut aperte indicatur in præfato præcepto. Proximus autem cenſetur quivis homo, ut docet S. Auguſtinus lib. 1. de doctrina chriſtiana cap. 30. ac proinde etiam peccatores, non ſub ea ratione qua peccatores ſunt, ſed prout homines beatitudinis capaces. Tum vero & inimicos ſuos diligere quivis tenetur, ut perſpicuum eſt ex hoc Chriſti Domini præcepto, Matth. 5. *Audiſtis quia dictum eſt antiquis, Diliges Amicum tuum, & odio habebis inimicum: ego autem dico vobis, Diligite inimicos veſtros, & benefacite iis qui oderunt vos, ut ſitis filii Patris veſtri*.

3. Inter objecta Charitatis Angelos numerant S. Auguſtinus loco mox citato, & S. Thomas 2. 2. qu. 25. art. 10. Et ratio eſt quia Angeli ſunt capaces beatitudinis, Matth. 22. *Erunt ſicut Angeli Dei*. Unde propter rationem oppoſitam dæmones non ſunt charitate diligen-

ligendi, quia non ſunt amplius capaces beatitudinis.

De Subjecto Charitatis.

Subjectum Charitatis duplex, remotum & proximum. Remotum, eſt homo in quo eſt charitas, Rom. 5. *Charitas diffuſa eſt in cordibus noſtris*. Et non ſolum in iſta, ſed & in altera vita, 1. ad Corint. 3. *Evacuabitur quod ex parte eſt, quando venerit quod perfectum eſt. Charitas vero nunquam excidit*.

Subjectum proximum Charitatis eſt voluntas: nam ſubjectum proximum alicujus habitus eſt ea facultas quæ actus illi proprios elicit: ſed voluntas elicit actus proprios charitatis: igitur.

De Proprietatibus Charitatis.

Ut intelligatur quænam ſint proprietates Charitatis, examinandum eſt: 1. an ſit amicitia: 2. an poſſit augeri & minui: 3. an poſſit amitti: 4. an ſit neceſſaria & quomodo: 5. denique, unde repetenda ſit Charitatis perfectio; de quibus ſigillatim & paucis dicendum.

Utrum Charitas ſit Amicitia.

Hujus difficultatis reſolutio pendet ex iis conditionibus, quæ pertinere cenſeantur ad illum amorem qui ſit vera amicitia; quidam enim contendunt amorem quo Deus diligit nos & nos diligimus Deum, ſtricte loquendo non eſſe amicitiam, quia docent Philoſophi ad veram amicitiam requiri æqualitatem inter amicos, & inſuper communicationem aliquam bonorum, quæ ſibi invicem impertiant amici; quæ quidem non reperiuntur Deum inter & hominem.

Dicimus tamen cum ſancto Thoma & aliis vulgo Theologis, veram eſſe amicitiam Deum inter & hominem.

Probatur, quia Scriptura ſacra, cujus verba & loquendi modum, quantum fieri poteſt, litteraliter accipere debemus, expreſſe docet juſtos eſſe Dei amicos. Pſal. 138. *Mihi autem nimis honorati ſunt amici tui Deus*. Sapientiæ 7. cap. *Infinitus theſaurus eſt hominibus, quo qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei*. Lucæ 12. Chriſtus ait ſuis diſcipulis: *Dico autem vobis amicis meis*. Et Joann. 15. *Jam non dicam vos ſervos, quia ſervus neſcit quid faciat dominus ejus. Vos autem dixit amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis*. Jacobi 2. cap. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam, & amicus Dei appellatus eſt*. Si autem homines ſunt amici Dei, nihil vetat quominus dicatur eſſe amicitiam Deum inter & homines.

Neque vero ſtricte ſumi debet, quod vulgo dicitur amicitiam non eſſe niſi inter æquales; ſatis eſt enim ſi aliqua ſecundum quid ſit æqualitas inter amicos, præterquamquod amor Dei ad peculiarem quandam dignitatem evehit juſtos, juxta illud 2. Petri 1. *Magna & pretioſa nobis donavit, ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ*.

Non eſt etiam quod objiciatur, non reperiri mutuam bonorum communicationem Deum inter & homines: exiſtimo enim talem mutuam largitionem bonorum minime requiri ad veram amicitiam, ſatis ſit ſi amicus cordis ſui affectus præbeat amico, unde & aliquid Deo offerre poterunt homines, videlicet obſequium & amorem.

Utrum Charitas augeri poſſit & minui.

Charitatem augeri poſſe & revera interdum actu augeri in juſtis colligitur 1. ex Scripturis. Legitur enim ad Epheſ. 4. *In charitate creſcamus in illo*. Et ad Philip. 1. *Hoc oro ut charitas veſtra magis abundet*. Dixerat David Pſ. 83. *Ibunt de virtute in virtutem*. Quæ præcipua ratio eſt augmenti in charitate. 2. Ex Conciliis, nam Concil. Viennenſe damnat Beguardos & Beguinas, eo quod affir-

firmabant hominem in hac vita ultimum perfectionis gradum attingere, ita ut de nullis amplius bonis operibus faciendis ſollicitus eſſe debeat, ut patet ex Clementina *ad noſtrum*. Deinde Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 10. ſic loquitur: *Sic ergo juſtificati, & amici Dei ac domeſtici facti, euntes de virtute in virtutem renovantur, ut Apoſtolus inquit, de die in diem, hoc eſt mortificando membra carnis ſuæ, & exhibendo ea arma juſtitiæ in ſanctificationem per obſervationem mandatorum Dei & Eccleſiæ in ipſa juſtitia, per Chriſti gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, creſcunt atque magis juſtificantur, ſicut ſcriptum eſt, Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc*. Et iterum, *Ne verearis uſque ad mortem juſtificari*. Et rurſus, *Videtis quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantum. Hoc vero juſtitiæ incrementum petit ſancta Eccleſia, cum orat, Da nobis, Domine, fidei, ſpei & charitatis augmentum;* Dominica nempe 13. poſt Pent. Et ratio eſt quia nihil impedit quominus charitas dicatur ſemper magis ac magis augeri, cum charitas ex ſe non habeat definitam menſuram, nec definitum terminum.

Si quæratur quomodo fiat iſtud charitatis augmentum, an ſecundum ſuam eſſentiam, vel aliquem fervorem, an ſecundum additionem graduum vel entitatis ſupra entitatem, quæſtiones ſunt nullius momenti; ſatis eſt ſi ad præfatam Concilii Tridentini definitionem reſpiciamus, nimirum hoc ſolum inculcant Patres Tridentini, charitatem augeri per bona opera, per obſervationem mandatorum, & cum juſti eunt de virtute in virtutem; ita tamen ut juſti per ſua bona opera & ſuos charitatis actus concurrant ſolum meritorie ad charitatis augmentum, Deus vero ſolus effective, quia charitas eſt eſſentialiter virtus infuſa. Creſcit autem charitas in ſe conſiderata, non ſolum quia fortior eſt & ardentior, qualis erat amor Dei in Magdalena quæ *dilexit multum*, Lucæ 7. ſed etiam quia intenſior.

Item quæritur etiam an charitas minui poſſit, & quomodo.

Certum eſt primum charitatem totaliter amitti poſſe, ut articulo ſequenti dicemus, adeoque minui hoc ſenſu. Sed difficultas eſt utrum manens in juſtis quandoque imminuatur, vel per bonos actus remiſſiores, vel per peccata venialia.

Dicimus charitatem non imminui per actus bonos remiſſiores, quia tametſi actus boni ſint aliis remiſſiores, tamen non ſunt demeritorii apud Deum. Nec per peccata venialia imminuitur charitas; tum quia, ut ait S. Thomas, qui peccat venialiter, non avertitur a Deo velut ab ultimo fine, unde ea pœna dignus non eſt, qua dono charitatis privetur. Tum quia per peccatum veniale minuitur quidem fervor charitatis, in quo non conſiſtit eſſentia charitatis habitualis; ſed non minuitur entitas, ut ita dicam, ipſius charitatis.

Utrum Charitas totaliter amitti poſſit.

Dicimus charitatem jam habitam, totaliter amitti poſſe, quod utique fit cum homines juſti aliquod peccatum mortale committunt. Hoc ipſum in Tractatu noſtro de juſtificatione jam declaratum, paucis oſtendemus.

1. Ex Scripturis, Ezechielis cap. 18. *Cum averterit ſe juſtus a juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem morietur in ea*. 1. ad Corint. 10. ait Apoſtolus, *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat*. Et Apocalypſ. 2. *Habeo adverſus te pauca, quia primam charitatem reliquiſti. Memento igitur unde excideris &c.*

2. Ex Concilio Tridentino rem ita definiente ſeſſ. 6. can. 23. *Si quis dixerit hominem ſemel juſtificatum amplius peccare non poſſe: atque ideo eum qui labitur & peccat, nunquam fuiſſe vere juſtificatum, anathema ſit.*

3. Ratione, quia nempe cum homo juſtificatus, maneat liber & indifferens ad bonum & malum, capax meriti & demeriti, laudis & vituperii, quandiu vivit

Digitized by Google

vivit in terris, ſequitur manifeſte illum committere poſſe peccata mortalia & quidem graviſſima, quæ ſimul in eodem homine conſociari non poſſunt cum charitate: nemo enim ſimul eſſe poteſt Dei amicus & inimicus, nulla Chriſti cum Belial conventio. Unde Scripturæ multa ſuppeditant exempla juſtorum qui gratiam ſanctificantem & charitatem amiſerunt, cujuſmodi ſunt David, Salomon & Judas Iſcariotes.

Objicies: 1. Corint. 13. *Charitas nunquam excidit*: igitur charitas ſemel habita non poteſt amitti.

Reſpondeo his verbis ſignificare Apoſtolum, charitatem amiſſum non iri in altera vita, ſed in juſtis fore manſuram cum viſione intuitiva Dei, in quo differt charitas a fide & ſpe, quæ tunc evacuabuntur, *Cum venerit quod perfectum eſt*, ut loquitur ibidem S. Paulus.

Objicies: 1. Joan. 3. *Omnis qui natus eſt ex Deo peccatum non facit, quia ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare*: igitur charitas amitti non poteſt:

Jam reſpondimus loco mox laudato, eum qui natus eſt ex Deo peccare non poſſe forma aliter, quatenus ex Deo eſt, quatenus manet in Deo, licet poſſit virtute libertatis ſuæ peccare, atque adeo a charitate excidere.

Utrum Charitas ſit neceſſaria & quomodo.

AGitur de actu charitatis ſeu dilectionis Dei, & quæritur utrum neceſſe ſit Deum diligere.

Dicimus neceſſariam eſſe charitatem ſeu dilectionem Dei. Siquidem illud neceſſarium merito dicitur quod expreſſe fuit a Deo præceptum, juxta illud Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata*. Sed actus amoris Dei fuit a Deo præceptus. Deuteron. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, &c.* Cap. 10. *Nunc Iſrael quid Dominus Deus tuus petit a te, niſi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, & diligas eum*. Unde Chriſtus ait Matth. 22. *Hoc eſt primum & maximum mandatum*. Igitur neceſſe eſt Deum diligere.

Dehinc cum quæritur quomodo diligendus ſit Deus.

Reſpondetur Deum diligendum eſſe ſuper omnia, appretiative ſcilicet, ut aiunt, quatenus cæteris omnibus anteponi debet tanquam finis ultimus, ad quem cætera referri debent, uti aperte ſignificant verba Scripturæ, Deuteron. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* Et ſimiliter apud Evangeliſtas: *Ex toto corde tuo, ex tota anima tua, &c.* Inde enim aperte conficitur Deum eſſe ſumme diligendum, ſi non ſumme intenſive, ſaltem ſumme appretiative: *Cauſa diligendi Deum, Deus eſt, modus ſine modo diligere*, inquit S. Bernardus lib. de diligendo Deo ad initium.

Demum quæritur quonam præciſe tempore Deus ſit actu diligendus.

Reſpondeo plures potiſſimum caſus aſſignari a Theologis, in quibus tenemur actu Deum diligere, nimirum quando accedimus ad Sacramenta, quando volumus actum contritionis elicere, quando conamur alicui graviſſimæ tentationi reſiſtere, ac demum in articulo mortis, cum maxime opus eſt, ut ad Deum recurramus.

Unde repetenda ſit Charitatis perfectio.

CUM ſummam charitatis perfectionem nonnulli ſæculo proxime elapſo repoſuerint in certo quodam amore puro, quo Deus diligitur ab hominibus perfectis, de ejuſmodi amore puro paulo fuſius diſputandum eſt.

APPENDIX

De Amore puro.

Circa amorem purum tot ac tantæ non ita pridem excitatæ ſunt in Eccleſia altercationes, ut ab iſtius quæſtionis examine nefas ſit abſtinere; præterquamquod poſtulat præſentis inſtituti ratio, ut quæ maxime ad eſſentiam charitatis pertinent, ſolita noſtra methodo pertractemus.

Peſſime his poſtremis temporibus de amore Dei, quem appellant purum, ſenſit Michael Molinos Presbyter Hiſpanus: qui cum Romæ commoraretur magnus, ut aiunt, animarum Director, ſub ementita devotionis ſpecie præclarum ſibi comparavit nomen, fucum faciens non plebi modo, ſed & pleriſque Cardinalibus ipſique ſummo Pontifici Innocentio XI. qui tandem detecta fraude multas propoſitiones ejuſdem Molinoſi tanquam hæreticas & ſcandaloſas anathemate confixit.

Ex his propoſitionibus, quæ numero 68. extant in Bulla ſummi Pontificis mox referenda, quantumvis fere omnes in id tendant, ut infame & portentoſum Quietiſmi ſyſtema introducant, quædam tamen hanc etiam continent doctrinam de amore puro, quam mox refutabimus, cujuſmodi eſt ſeptima: *Non debet anima cogitare, nec de præmio, nec de punitione, nec de paradiſo, nec de inferno, nec de morte, nec de æternitate*. Et trigeſima quinta, *Non convenit animabus hujus vitæ internæ, quod faciant operationes etiam virtuoſas ex propria electione & activitate, alias non eſſent mortuæ, nec debent elicere actus amoris erga B. Virginem, Sanctos aut humanitatem Chriſti, quia cum iſta ſenſibilia ſint objecta, talis eſt amor erga illa*.

Tametſi vero poſt condemnationem Molinoſi errorum, nonnulli Galliarum Epiſcopi quædam proſcripſiſſent ſcripta, in quibus continebatur ſimilis doctrina de amore puro & quietis oratione; nihilominus tamen D. de Fenelon, Cameracenſis Archiepiſcopus, vir polite ſatis & eleganter ſcribens in lingua vernacula, ſed in rebus Theologicis parum verſatus, eoſdem errores fovere conatus eſt, eadem deliria multis in opuſculis ac potiſſimum in libro gallice edito, cui titulus eſt, *Explication des maximes des Saints ſur la vie interieure*: ex quo excerptæ fuerunt multæ propoſitiones, quæ fanaticum amorem Dei purum extollunt ut ſolam vitæ interioris perfectionem. In hoc ſyſtema merito inſurrexerunt nonnulli Præſules Gallicani, ac potiſſimum illuſtriſſimus Boſſuetus Meldenſium Epiſcopus, vir in omni eruditionis genere præſtantiſſimus; perlato autem ad ſanctam Sedem Apoſtolicam negotio, Innocentius XII. Conſtitutionem edidit, per quam proſcriptæ fuerunt viginti tres propoſitiones, ut videre eſt ad calcem hujus tomi, ubi illam integram referimus. Fuit hæc Bulla ſolemniter publicata in regno, & ab omnibus Epiſcopis adoptata, cui & humillime ſe ſubmiſit memoratus Archipiſcopus.

Jam vero quæſtio hic non eſt, utrum detur amor purus ſumptus pro actu quopiam tranſitorio quo Deus diligatur ſuper omnia propter ſe & ſine ullo reſpectu ad nos; fatemur enim ejuſmodi actum maxime poſſibilem eſſe, immo conſtat actum charitatis, juxta communem Theologorum ſententiam, eſſe amorem Dei propter ipſum independenter a motivo beatitudinis. Sed quæſtio eſt de amore puro habituali, utrum videlicet detur ſtatus habitualis juſtorum qui Deum ament nullo unquam admixto proprii commodi vel etiam æternæ beatitudinis motivo.

In

In illo ſyſtemate ejuſmodi amor purus ipſe ſolus conſtituit totam vitam interiorem. Nec timor pœnarum nec deſiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter felicitatem in eo amando inveniendam. Vivit homo in ſtatu quodam ſanctæ indifferentiæ, in quo non amplius vult ſalutem ut ſalutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem noſtrorum meritorum, ſed eam vult ut gloriam & beneplacitum Dei. Adverſus quam doctrinam ſit

Conclusio.

Præfatum de amore puro ſyſtema rejici debet tanquam erroneum & in praxi pernicioſum.

Probatur 1. quia illud ſyſtema eſt fictitium & erroneum, quod introducit in cultu Dei genus quoddam perfectionis plane inauditum; & Scripturis ac SS. Patrum doctrinæ aperte contrarium: ſed iſtud ſyſtema de amore puro introducit in ordinario Dei cultu pro perfectis in vita interiore genus quoddam perfectionis huc uſque incognitum, tum vero Scripturis & Patrum doctrinæ contrarium. Incognitum quidem ad hanc uſque ætatem, niſi dicatur hanc eandem fuiſſe Beguardorum & Beguinarum doctrinam: ex eo maxime conſtat, quod ejuſmodi amor purus nullo in loco Scripturæ, nec ſanctorum Patrum ſcriptis deſignatur, unde fatentur hujus ſyſtematis aſſertores, antiquos Paſtores non propoſuiſſe paſſim multitudini juſtorum niſi exercitia amoris intereſſati eorum gratiæ proportionata. Sed dicimus inſuper Scripturis ſacris manifeſte adverſari perfectionem quam pro juſtis introducit illud ſyſtema.

Primo enim docent paſſim Scripturæ ſacræ & ſæpius inculcant Chriſtianorum perfectionem in exercitio virtutum poſitam, prout quemlibet decet in ſuo ſtatu & miniſterio, audiatur Apoſtolus, 12. cap. *Habentes*, inquit, *donationem ſecundum gratiam quæ data eſt nobis, differentes, ſive prophetiam ſecundum rationem fidei, ſive miniſterium in miniſtrando, ſive qui docet in doctrina. Qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in ſimplicitate, qui præeſt in ſollicitudine, qui miſeretur in hilaritate. Dilectio ſine ſimulatione, odientes bonum, adhærentes malo. Caritate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem prævenientes. Sollicitudine non pigri, ſpiritu ferventes, Domino ſervientes, ſpe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi inſtantes; neceſſitatibus Sanctorum communicantes, hoſpitalitatem ſectantes, &c.* Eo loci alloquitur Apoſtolus omnes fideles, adeoque & perfectos & qui tendunt ac tendere debent ad perfectionem: *Dico enim*, inquit, *per gratiam quæ data eſt mihi omnibus qui ſunt inter vos*. Et quaſi ſermonem dirigeret ad miſticos recentiores qui neſcio quam peculiarem puri amoris perfectionem extollunt & ambiunt, monet eos non plus ſapiendum quam oporret: *Non plus ſapere*, inquit, verbis immediate ſequentibus, *quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem*. Quo nimirum modo id præſcribit loco ſupra adducto per frequens virtutum exercitium.

Præclarum eſt & rei maxime accommodatum, quod ſcribit S. Petrus 2. Epiſt. cap. 1. *Quapropter*, inquit, *fratres magis ſatagite ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis, hæc enim facientes non peccabitis aliquando, ſic enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini noſtri & Salvatoris Jeſu Chriſti*. Et paulo poſt antea dixerat ibidem: *Curam omnem ſubinferentes miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam, in ſcientia autem abſtinentiam, in abſtinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem. in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem*. Certe innumera ſunt ejuſmodi loca in textu ſacro, quibus monentur fide in perfectionem in hac vita, & in altera

gloriam æternam nonniſi per bona opera. & frequens virtutis exercitium comparari ; nuſpiam vero ibidem legitur ſummam perfectionis poſitam in amore puro ab illis hominibus exercito , qui nullum ſpei , timoris, aliarumque virtutum actum eliciant .

Secundo legimus in Scripturis ſanctificationem noſtram in voluntate Dei conſiſtere 1. ad Theſſal. cap. 4. *Hæc eſt enim voluntas Dei ſanctificatio veſtra* . Sed voluntas Dei eſt ut omni ex parte legem adimpleamus, Pſalm. 1. *In lege Domini voluntas ejus*. 1. Joan. 5. *Hæc eſt charitas Dei , ut mandata ejus cuſtodiamus , & mandata ejus gravia non ſunt* . Unde manifeſte ſequitur id maxime neceſſarium eſſe etiam perfectis ut per totam vitam ſervent mandata Dei , quod non fit niſi per bona opera , atque excitamur per deſiderium ſalutis , immo & per timorem , ut ait Apoſtolus , 2. ad Corint. cap. 7. *Perficientes ſanctificationem in timore Dei ;* non autem per quaſdam ſteriles divinitatis ſpeculationes .

Tertio , teſtantur Scripturæ maximam Chriſtianorum perfectionem ſitam eſſe in Imitatione Chriſti , Joann. 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus , & gratiam pro gratia* . Cap. 14. Dominus ipſe ait : *Ego ſum via , & veritas , & vita , nemo venit ad Patrem niſi per me* . Nimirum vita Chriſti Domini eſt regula motuum noſtrorum, & omnis perfectionis exemplar . At in hoc Syſtemate quod impugnamus, perfecti nunquam cogitant de Jeſu Chriſto , toti ſunt abſorpti in ſola divinitate , quod maxime oſtendit illud eſſe fictitium & morali Chriſtianæ penitus adverſum . Idem docet Apoſtolus in ſingulis fere paginis , Epiſt. ad Coloſſ. cap. 1. *In quo* Chriſto , *habemus , redemptionem per ſanguinem ejus , remiſſionem peccatorum ..... quem nos annunciamus corripientes omnem hominem , & docentes omnem hominem in omni ſapientia , ut exibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto Jeſu* . Cap. ſequen. *Inſtructi in charitate & in omnes divitias plenitudinis intellectus in agnitionem myſterii Dei Patris & Chriſti Jeſu : In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi . Hoc autem dico , ut nemo decipiat vos in ſublimitate ſermonum* . Quomodo & commoneri debent fideles , ut ſcilicet pro certo habeant perfectionem Chriſtianiſmi poſitam eſſe in fide , charitate , & bonis operibus , caveantque ne per ſublimitatem doctrinæ Myſticorum recentiorum decipiantur . Uno verbo tota religio noſtra continetur in Chriſto , & per Chriſtum vivere & agere debemus . *Ex ipſo* , inquit S. Paulus 1. Corint. 1. *vos eſtis in Chriſto Jeſu qui factus eſt nobis ſapientia a Deo , & juſtitia & ſanctificatio , & redemptio* . Quod profecto eas gratias fidelibus impertit eaque dona , quibus ad eminentiſſimam juſtorum perfectionem aſcendere poſſint ; unde ſequitur nullam fore ſanctitatem in iis qui habitualiter verſantur in eo ſtatu in quo nec de Chriſto nec de ejus myſteriis cogitant ; qualis eſt ille ſtatus perfectorum quem excogitarunt recentiores myſtici .

Quarto , docent Scripturæ ſummam charitatis perfectionem , ſupremum amoris Dei gradum reperiri in Martyribus , in Joann. 25. *Majorem hac dilectionem nemo habet , ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis* . Sed non apparet martyribus plurimum familiare fuiſſe varios identidem elicere actus puri amoris qualis commendatur in hoc Syſtemate , contemplando divinitatem in ſeipſa & diligendo Deum ut in ſe perfectus eſt , non ut nobis bonus , non ut beatificus , non ut Salvator , immo Chriſti Salvatoris exemplum ut maximum ſui martyrii incentivum ſpectabant , excitabantur ardentiſſima conſequendæ beatitudinis ſpe , dimicabant ut confiterentur Chriſti Domini nomen & ad gloriam æternam pervenirent , dicentes cum Apoſtolo :

Digitized by Google

ſtolo: *Cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto*. Hi fuerunt affectus S. Ignatii ad martyrium feſtinantis, ut patet ex Epiſtol. ad Romanos: *Utinam*, inquit, *fruar beſtiis mihi paratis*...... *nunc incipio diſcipulus eſſe, viſibilium & inviſibilium nihil expetam, ut Jeſum Chriſtum aſſequar*........ *illum quæro qui pro nobis mortuus eſt, illum volo qui propter nos reſurrexit, ille lucrum mihi adjacet*.... *non gaudeo corruptibili nutrimento, nec voluptatibus ejus vitæ, panem Dei volo qui eſt caro Jeſu Chriſti, & potum volo ſanguinem illius qui eſt caritas incorruptibilis*. Unde nemo non videt quam illuſoria ſit Myſticorum doctrina qui amorem purum ſeu actum charitatis perfectiſſimum collocant in eo actu quo diligitur Deus propter ſe, ita ut nec de Chriſto cogitetur nec de gloria æterna quam diligentibus ſe promiſit.

Probatur 2. quia illud Syſtema rejici debet, ex quo manifeſte ſequuntur multa damnoſa, erronea, & Catholico dogmati plane contraria: ſed tale eſt Syſtema de amore puro quod nunc impugnamus.

Prima conſequentia quæ ſtatim & facile eruitur ex iſto pernicioſo Syſtemate, eſt, pro juſtis & perfectis inutilem eſſe ſpem quæ ſecunda eſt virtus Theologica, ajunt enim perfectos in illo ſtatu habituali amoris puri, Deum conſiderare prout eſt in ſe, eumque diligere ſine ullo reſpectu ad ſe ipſos diligentes; ita ut ſi anima tunc Deum conſideraret ut ſuum bonum, & ut beatificantem, jam actus ille non foret perfectus, ſed, ut ajunt, intereſſatus. Unde aperte ſequitur jam nullam remanere ſpem in perfectis, quandoquidem illorum perfectioni plurimum obeſſet, ſi quodam beatitudinum motivo excitarentur ad Deum amandum hoc amore puro. Sed illud profecto falſum & maxime erroneum eſt, quod videlicet Scripturis, Concilio Tridentino, & communi Theologorum doctrinæ evidenter adverſatur.

Scripturis quidem quæ paſſim inculcant ſpem eſſe neceſſariam perfectis uti & imperfectis, Deum eſſe diligendum, non modo ut ens quoddam ſumme perfectum, ſed etiam ut ſummum hominis bonum, ut beatificum, ut remuneratorem, ut Salvatorem; adeo ut ejuſmodi motiva ne dum imminuant charitatis perfectionem, ſed illam contra plurimum augeant.

Chriſtus vera charitate diligendus proponitur, ut Amator hominum & Salvator, ex quo neceſſe eſt ut motivum gratitudinis charitatem perficiat, Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret*. Et Sanct. Paulus 2. ad Cor. cap. 5. *Charitas Chriſti urget vos, æſtimantes hoc quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt*.

Deinde motivum beatitudinis proponitur paſſim juſtis vel perfectis, quo fortius excitentur ad actus amoris eliciendos. Deus in veteri Teſtamento, Geneſ. 15. dicit Abrahamo: *Ero merces tua magna nimis*. Exodi 33. ait Moyſi, *Oſtendam tibi omne bonum*. Sic appellat viſionem intuitivam ipſius divinitatis, in qua ſita eſt hominis beatitudo. Notatu dignum eſt, quod cum Deus magnum charitatis præceptum tradit, ibidem hoc proponit beatitudinis motivum, Deuteron. 6. *Audi Iſrael & obſerva ut facias quæ præcepit tibi Dominus, & bene ſit tibi*. Et Chriſtus ipſe Apoſtolos excitat ſpe mercedis in altera vita præparatæ, Matth. 5. *Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis*. Et Lucæ 10. *Gaudete quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis*. Alloquitur ibi Apoſtolos ſeu perfectos qui poteſtatem acceperant patrandi miracula. Hoc ipſum eſt quod præcipit Chriſtus ut petamus ſingulis diebus in Oratione Dominica his verbis: *Adveniat regnum tuum*. Quis dixerit

ejuſ-

Digitized by Google

ejuſmodi precationem nonniſi pro imperfectis fuiſſe inſtitutam? Appoſita maxime ſunt ad rem quæ ſcribit S. Joannes 1. Epiſt. cap. 4. *In hoc perfecta eſt*, inquit, *charitas Dei nobiſcum, ut fiduciam habeamus in die judicii*. Spes igitur futuræ beatitudinis quæ dabitur in die judicii, perficit charitatem.

Idem in ſingulis fere paginis ſcribit S. Paulus. Sic Roman. 8. *Scimus enim quod omnis creatura ingemiſcit & parturit uſque adhuc, non ſolum autem illa, ſed nos ipſi primitias ſpiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionem corporis noſtri, ſpe enim ſalvi facti ſumus*. Ea nimirum qua ſperare debent Chriſtiani omnes fore ut cum Chriſto aliquando regnent, ait enim paulo poſt Apoſtolus: *Neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare a charitate Dei quæ eſt in Chriſto Jeſu Domina*. Ad Titum cap. 2. *Apparuit gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos ut abnegantes impietatem & ſecularia deſideria, ſobrie, & juſte, & pie vivamus in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti*. Ad Philippenſes cap. 3. *Veruntamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Jeſu Chriſti Domini mei ...... ad cognoſcendum illum, & virtutem Reſurrectionis ejus & ſocietatem Paſſionum illius configuratus morti ejus ...... ad deſtinatum perſequor, ad bravium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Jeſu*. Ne quis autem dicat cum recentioribus myſticis, id non ſpectare niſi imperfectos ut ex motivo beatitudinis & mercedis agant, vetant maxime verba ſequentia S. Pauli: *Quicunque ergo*, inquit, *perfecti ſumus, hoc ſentiamus*. Et poſtea, *imitatores mei eſtote fratres, & obſervate eos qui ita ambulant .... noſtra autem converſatio in cælis eſt, unde etiam Salvatorem expectamus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*. Unde & proprios affectus exprimens ſincere Apoſtolus dixerat, cap. 1. ejuſdem Epiſtolæ: *Deſiderium habeo diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*. Ex quibus manifeſte ſequitur motivum beatitudinis in mente S. Pauli aptiſſimum eſſe ad excitandam, augendam & perficiendam charitatem, etiam in viris ſpiritalibus, & in pietate perfectiſſimis.

Favet etiam aperte Concilium Tridentinum doctrinæ quam hic propugnamus. Docet enim ſeſſ. 6. c. 11. juſtos excitari potiſſimum per æternam mercedem ad Deum magis glorificandum: *Atque etiam eos qui ſtatuunt in omnibus operibus juſtos peccare, ſi in illis ſuam ipſorum ſocordiam excitando, & ſe ſe ad currendum ſtadio cohortando, cum hoc ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam, cum ſcriptum ſit, Inclina cor meum ad faciendas juſtificationes tuas propter retributionem*. Et cap. 16. expreſſis verbis declarat Synodus juſtis proponendam eſſe beatitudinem tanquam mercedem, ut inde accendantur ad perſeverandum: *Hac igitur ratione juſtificatis hominibus, ſive acceptam gratiam perpetuo conſervaverint, ſive amiſſam recuperaverint, proponenda ſunt Apoſtoli verba: Abundate in omni opere bono, ſcientes quod labor veſter non eſt inanis in Domino. Non enim injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis quam oſtendiſtie in nomine ipſius. Et nolite amitters confidentiam veſtram quæ magnam habet remunerationem. Atque ideo bene operantibus uſque in finem, & in Deo ſperantibus proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Chriſtum Jeſum miſericorditer promiſſa, & tanquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus & meritis fideliter reddenda*. Unde ſequitur charitatis perfectionem non imminui ex eo quod qui Deum diligunt, de beatitudine & mercede ſibi promiſſa cogitant, ſed

immo,

immo creſcere & maxime augeri hoc motivo, quandoquidem præcipiunt Patres Tridentini juſtis proponendam eſſe vitam æternam ſibi aliquando a Deo remuneratore rependendam, ut inde ad perſeverandum, adeoque Deum ſuper omnia diligendum excitentur.

His addimus autoritatem Theologorum, qui licet plerumque doceant objectum ſpecificativum charitatis eſſe Deum in ſe conſideratum, dicunt tamen omnes unanimi conſenſu Deum quatenus beatificum, ſeu noſtrum bonum & noſtram beatitudinem ſpectari ab eadem charitate, aut aliter charitatem tendere in Deum quatenus nobis bonum & beatitudinis noſtræ objectum ſaltem ſecundarium, docet S. Thomas 1. 2. quæſt. 65. art. 5. charitatem eſſe non poſſe ſine ſpe, reſponſione autem ad primum ſic loquitur: *Ad primum dicendum, quod charitas non eſt qualiſcunque amor Dei, ſed amor Dei quo diligitur ut beatitudinis objectum ad quod ordinamur per fidem & ſpem*. 2. 2. quæſt. 23. art. 1. his verbis probat charitatem eſſe vero nomine amicitiam, quia mutua eſt benevolentia. *Talis autem mutua benevolentia*, inquit, *fundatur ſuper aliqua communicatione. Cum ergo ſit aliqua communicatio homini ad Deum, ſecundum quod nobis ſuam beatitudinem communicat, ſuper hanc communicationem oportet aliquam amicitiam fundari*. Art. 4. ſic loquitur in concluſione: *Cum bonum divinum, ut objectum beatitudinis ſit charitatis objectum, charitas aliis neceſſario annumeratur virtutibus*. Et in probatione hujus concluſionis: *Reſpondeo dicendum, quod actus & habitus teſtificantur per objecta, proprium autem objectum amoris eſt bonum, & ideo ubi eſt ſpecialis ratio boni, ibi eſt ratio ſpecialis amoris. Bonum autem divinum, in quantum eſt beatitudinis objectum habet ſpecialem rationem boni. Et ideo amor charitatis qui eſt amor hujus boni eſt ſpecialis amor*. Quæſt. 26. art. 1. diſſerens utrum in charitate ſit ordo, rem ſic definit: *Concluſio, charitatis oportet aliquem ordinem eſſe, cum ea extendat in Deum tanquam beatitudinis principium, in cujus communicatione charitatis amicitia fundatur*. Et in probatione concluſionis: *Dictum eſt ſupra*, nimirum q. 25. art. 17. & q. 23. art. 1. *quod dilectio charitatis tendit in Deum ſicut in principium beatitudinis, cujus communicatione amicitia charitatis fundatur*. Plura eaque prope innumera ex eodem ſancto Doctore poſſem exſcribere, ſed iſta abunde ſufficiunt ut oſtendatur eum pro certo habuiſſe, Deum per charitatem diligi ut noſtrum bonum, ut noſtram beatitudinem.

Idem docet S. Bonaventura in 3. diſt. 27. q. 2. art. 2. ubi examinans, an motus charitatis poſſit eſſe mercenarius, cum diſtinxiſſet duplicem mercedem, temporalem & æternam, conſequenter duplicem mercenarium videlicet bonum & malum, ſic loquitur: *De prima mercimonia non eſt dubium quod motus charitatis non poteſt eſſe mercenarius: de ſecunda mercimonia quidam voluerunt dicere quod non eſt a charitate, ſed ab affectu quodam naturæ charitatem concomitante; aliis autem videtur quod talis affectus mercenarius poſſit eſſe a charitate, deſiderium enim habendi æternam mercedem & fruendi æterno bono, eſt deſiderium gratiæ, nec eſt amoris naturalis aut acquiſiti, ſed gratuiti*: Ac poſtea in eam inclinat ſententiam quæ aſſerit: *Quod motus charitatis poſſit eſſe mercenarius ſecundum quod conſtituit mercedem ſuam circa bonum increatum ad quod tendit ſicut finale præmium*. Unde ſic reſpondet ad quartum: *Quod objicitur de timore, quod ille qui principaliter habet oculum ad pœnam, non poteſt Deo eſſe acceptus, dicendum quod non eſt ſimile, nam cum pœna nec ſit Deus nec aliquid Dei, qui principaliter aſpicit pœnam tanquam finem ultimum, non eſt recte ordinatus, cum principaliorem habeat* in-

intuitum ad aliud quam ad Deum, ſed merces & beatitudo ſumma eſt ipſe Deus, ideo ipſam principaliter poteſt quis aſpicere, & tamen in finem recte ordinatus eſſe. Et ſic patet quod nullum inconveniens dicere, quod motus charitatis poſſit eſſe mercenarius, ſi dicatur mercenarius ex intuitu mercedis æternæ & increatæ.

Richardus a S. Victore part. 2. in Cantica Canticorum cap. 38. ſermonem habens de charitate omnium excellentiſſima, qualis eſt in martyribus, eam appellat dilectionem ſummi boni: *Magnus*, inquit, *in eis ardebat ignis amoris quos ſic ad tormenta inflammabat. Magna intus dulcedo quæ mortem amariſſimam dulcorabat. Hæc eſt charitas, dilectio ſcilicet Dei, dilectio ſummi boni, fortis ut mors, imo fortior morte.*

Item Hugo a S. Victore ſic amorem deſcribit, lib. 2. de anima cap. 30. *Amor eſt delectatio cordis alicujus ad aliquid propter aliquid per deſiderium currens, atque per gaudium requieſcens; per deſiderium in appetendo, & per gaudium in perfruendo.* Et lib. 4. c. 9. *Deus Pater charitas eſt, Deus Filius charitas eſt, Spiritus ſanctus amor Patris & Filii eſt hæc charitas, & hæc charitas aliquid ſimile requirit in nobis ſcilicet charitatem, qua velut quadam affinitate conſanguinitatis ei ſociemur & conjungamur... qui diligit, oculos ſuos ſemper habet ad Deum quem diligit, quem deſiderat, in quo meditatur, in quo delectatur, in quo paſcitur ... Magna res eſt amor, quo anima per ſemetipſam fiducialiter ad Deum, Deo conſtanter inhæret .... anima amans fertur votis, trahitur deſideriis ... ut Deo fruatur ad jucunditatem.* In mente illorum Theologorum amor Dei etiam purus & perfectorum conjungitur cum ſpe, cum deſiderio beatitudinis, qui ſic Deum diligunt & Deo frui volunt.

Neque vero alia eſt doctrina recentiorum Scolaſticorum, ſic loquitur Suarez Tractatu 3. de fide, ſpe, & charitate diſp. 1. ſect. 2. num. 3. ad 2. *Reſpondetur hunc actum (amandi Deum propter beneficia nobis collata) regulariter eſſe imperatum a gratitudine, tamen eſt elicitive a charitate.* Et poſtea: *Cum Deus perfecte amatur propter beneficium, potius amatur quia nos amat, hoc autem charitatis eſt & amicitiæ, neque actus hujus ratio objectiva eſt extra divinam bonitatem, nam amor quo Deus nos amat ipſe Deus eſt, & ſumma quædam perfectio ejus; item ipſe nos amat quia bonus eſt, unde quia amamur eo quod amat, amatur etiam quia bonus eſt.*

Ex Valentia quæſt. 1. de charitate puncto 1. §. 1. *Theologi nomen charitatis accipiunt pro amore honeſto & gratuito, quo Deum non quocunque conſideratum, ſed etiam ut eſt Autor donorum ſupernaturalium gratiæ & objectum futuræ beatitudinis ſupernaturaliter diligimus & conſequenter proximum etiam propter Deum.* Et §. 4. probat ille Theologus charitatem eſſe virtutem Theologicam *ex eo quod*, inquit, *tendit in Deum, quatenus is eſt in ſe ſummum illud bonum, quod eſt objectum ſupernaturalis beatitudinis, atque adeo quatenus eſt bonum ſupernaturale, quod ſcilicet naturaliter non poſſumus conſequi, ut eo perfecte fruamur.*

Eſtius in 3. Sent. diſt. 27. art. 4. expendens quid ſit charitas, nonnullas affert charitatis definitiones quas approbat, unam quæ eſt S. Auguſtini e lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 9. his verbis conceptam: *Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipſum, & ſe atque proximo propter Deum.* Deinde vero, inquit Eſtius, *S. Thomas 1. 2. q. 65. art. 5. dicit charitatem eſſe amicitiam hominis cum Deo, quæ ſuper amorem addat mutuam redamantiam, & 2. 2. q. 23. art. 1. & 24. art. 2. definit charitatem eſſe amicitiam quandam hominis ad Deum, fundatam ſuper communicatione beatitudinis æternæ, cum qua S. Thomæ doctrina conſentiunt qui charita-*

ritatem definiunt virtutem qua pia fiducia ſperantes nos in Dei filios eſſe adoptatos, amamus, amplectimur, & invocamus eum ut Patrem noſtrum, dicentes, Abba Pater. Omitto plura aliorum Theologorum teſtimonia referre, in re ſcilicet minime neceſſaria, in id enim conſentiunt omnes, ut doceant actum charitatis perfectæ non excludere motivum beatitudinis æternæ.

Altera conſequentia quæ & longe damnoſior mihi videtur, & tamen indivulſe conjuncta eſt cum ſyſtemate recentiorum Myſticorum de amore puro eſt, perfectos vivere poſſe in indifferentia, ut aiunt, ſancta ſuæ ſalutis, ita ut in ejuſmodi ſtatu habituali non amplius velint propriam ſalutem. Id expreſſe legitur in duodecima propoſitione Molinoſi his verbis: *Qui ſuum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de inferno, nec de Paradiſo, nec debet deſiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ ſanctitatis, nec propriæ ſalutis, cujus ſpem purgare debet*. Quod quidem non unum duntaxat, ſed multos capitales & graviſſimos errores continet. Nimirum error graviſſimus eſt, quod Chriſtianus de ſua ſalute deſperet, cum actus ſpei Chriſtianæ toties præcipiantur in Scripturis, ut oſtendimus in præcedenti Tractatu de Spe: ſed in iſto Syſtemate anima perfectorum, qui per amorem purum Deo adhærent, ejuſque ſupremæ voluntati mancipantur, de ſua ſalute manifeſte deſperat, quandoquidem re bene perſuaſum habere poteſt reflexa ſe juſte reprobatam eſſe a Deo, nec ullum in illo ſtatu habituali habet ſuæ ſalutis deſiderium, ſed ſimpliciter acquieſcit jacturæ ſuæ beatitudinis. Item error eſt graviſſimus quod quis putet Deum abſoluto ſuæ voluntatis decreto poſſit aliquem juſtum pœnis devovere æternis & a regno cœlorum excludere; ejuſmodi enim ſententia aperte pugnat innumera Scripturarum loca, ubi juſtis bene operantibus & in finem uſque perſeverantibus promittitur vita æterna: ſed in hoc Myſticorum Syſtemate perfecti in puro amore abſorpti putant Deum poſſe quem voluerit tametſi perfectum & omnis peccati expertem pro ſuo abſoluto Domino æternis damnare ſuppliciis. Error demum graviſſimus, quod perfecti nullum habeant ſuæ perfectionis & ſanctitatis deſiderium, de nulla re curam habeant, quod Evangelio manifeſte adverſatur; Chriſtus enim ubique præcipit ut indeſinenter oremus, vigilemus, & de noſtra ſalute ſolliciti ſimus: jure ergo proſcripta eſt hæc Quietiſtarum indifferentia pro ſalute.

Tertia conſequentia quæ in hoc Myſticorum Syſtemate involvitur, eſt perfectos in illo ſtatu habitualiter permanentes, nunquam cogitare de Chriſto Salvatore nec de ejus myſteriis, talis cogitatio Chriſti, ejus Mortis & Paſſionis, non ſpectat, inquiunt, niſi imperfectos, qui nondum ad primos vitæ interioris gradus aſcenderunt. Sed dubio procul hæc doctrina Scripturis ſacris eſt omnino contraria: in illis quippe legitur paſſim vitam & ſalutem Chriſtianorum poſitam eſſe in Chriſto Salvatore: *Si quis*, ait Apoſtolus 1. ad Corint. 16. *non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit anathema*. Dixerat cap. 1. *Ex ipſo vos eſtis in Chriſto Jeſu, qui factus eſt nobis ſapientia a Deo, & juſtitia, & ſanctificatio & redemptio*. Vanum eſt autem reſpondere perfectos, tametſi nunquam de Chriſto cogitent, aliunde tamen divinitati ipſi quam contemplantur intime unitos, quod longe altius atque excellentius videtur, nam ejuſmodi perfectio Apoſtolis fuit omnino incognita, qui contra neminem Chriſtianum volunt immunem a fide & fiducia in Chriſtum, Rom. 5. *Juſtificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, per quem & habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam, in qua ſtamus & glo-*

ria-

riamur in ſpe gloriæ filiorum Dei ..... commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus ſecundum tempus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt, multo igitur magis nunc juſtificati in ſanguine ipſius, ſalvi erimus ab ira per ipſum. Ex his locis & aliis ſimilibus, quæ numero infinita leguntur in ſacris litteris, patet ſic a Chriſto pendere ſanctificationem noſtram, ut acceſſum habere non poſſimus ad divinitatem niſi per ipſum qui teſtatus eſt expreſſis verbis ſe eſſe viam, veritatem & vitam; adeoque fictitium eſſe illum perfectionis gradum, quo quis juſtus & perfectus totus in divinis attributis abſorptus eſſet de Chriſto ejuſque Cruce & Morte nunquam cogitaret. In hunc errorem expreſſe invehitur S. Paulus ad Galatas cap. 3. *O inſenſati Galatæ*, inquit, *quis vos faſcinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Jeſus Chriſtus præſcriptus eſt, in vobis crucifixus*.

Omitto plura alia urgere & graviſſima quidem errata quæ manifeſte ſequuntur aut involvuntur in illo Syſtemate: ſequitur exempli gratia ad perfectionem juſtorum & amoris puri augendam plane inutile eſſe virtutum exercitium; ſequitur fidem etiam valde imminui in perfectis, quo quis enim eſt perfectior, inquiunt iſti recentiores Myſtici, eo obſcurius videt fidei noſtræ objecta &c. Sed iſta hæc omnia prætermitto; quæ huc uſque adducta ſunt, abunde ut puto ſufficiunt.

Solvuntur Objectiones.

OBjicies poſſe quandoque perfectos per ſanctam quandam indifferentiam, propriæ ſalutis abnegationem facere, duo manifeſte oſtendunt inſignia Scripturæ exempla, unum ex Moyſe, alterum ex S. Paulo ductum. Exod. 33. Moyſes ait ad Dominum: *Obſecro, peccavit populus iſte peccatum maximum, feceruntque ſibi deos aureos, aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti*. Et S. Paulus ad Romanos 9. cap. *Optabam enim ego ipſe anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis qui ſunt cognati mei ſecundum carnem*. Igitur.

Reſpondeo ex neutro hoc Scripturæ teſtimonio colligendum licitam eſſe cuivis propriæ ſalutis æternæ abnegationem, quia nec Moyſes nec S. Paulus loquuntur de morte ſua pro futuro ſæculo, ſed ſolum de morte temporali, quæ eſt corporis. Egregie hoc explicat S. Hieronymus Epiſt. ad Algaſiam cap. 9. ubi primum obſervat eodem modo exponendum eſſe utrumque Moyſis, & S. Pauli affectum: *Si conſideremus*, inquit, *Moyſis vocem rogantis Deum pro populo Judæorum, atque dicentis: Si dimittis eis peccatum ſuum, dimitte; ſi autem non vis, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti: perſpiciemus eundem & Moyſis & Pauli erga creditum ſibi gregem affectum*. Et poſtea propoſitam difficultatem ſic ſolvit: *Cerne Apoſtolum quanta charitatis in Chriſtum ſit, ut pro illo cupiat mori & ſolus perire, dummodo omne in illum credat hominum genus. Perire autem non in perpetuum, ſed impræſentiarum. Qui enim perdiderit animam ſuam pro Chriſto, ſalvam eam facit. Vult ergo Apoſtolus perire in carne, ut alii ſalventur in ſpiritu; ſuum ſanguinem fundere, ut multorum animæ conſerventur. Quod autem anathema interdum occiſionem ſonet, multis veteris inſtrumenti teſtimoniis probari poteſt*. Quod idem eodem ſenſu interpretatur Comment. in Zachariæ cap. 14. his verbis: *Et pro fratrum ſalute anathema eſſe cupit* Apoſtolus, *imitari volens Dominum ſuum, qui & ipſe, quum non eſſet maledictio, pro nobis factus eſt maledictio*. Ubi S. Hieronymus docet anathema in iſtis uti & aliis ſimilibus Scripturæ locis ſumendum pro morte temporali, nequaquam vero de pœnis æternis, de æter-

na

na damnatione; quatenus nempe teſtabantur Moyſes & S. Paulus paratos ſe vitam ſuam pro ſratrum ſalute profundere, [vel etiam ad exemplum ipſius Chriſti Domini, qui cum non eſſet maledictio, lubenter tamen videri voluit maledictio in Cruce pro ſalute omnium hominum.

S. Gregorius Nazianzenus eodem modo explicat hoc divi Pauli effatum orat. 1. pag. 24. *Quin etiam*, inquit, *majus aliquid pro ſuis ſecundum carnem fratribus auſus eſt*. S. Paulus, *eos ad Chriſtum loco ſuo introduci pro ſua charitate optat. O ingentem animi præſtantiam! O ingentem ſpiritus fervorem, Chriſtum qui noſtra cauſa maledictum factus eſt, qui infirmitates noſtras ſuſcepit, & morbos portavit, imitatur; aut, ut moderatius dicam, primus poſt Chriſtum eorum cauſa, etiam tanquam impius aliquid perpeti non recuſat, modo ipſi ſalutem conſequantur*. Non ait Gregorius, perire in æternum non recuſat, ſed aliquid perpeti, tum vero ad inſtar Chriſti Domini qui cauſa noſtra maledictum factus eſt.

Item Caſſianus, collatione nona, cap. 18. *Denique vas electionis*, inquit, *hoc repletus affectu, etiam anathema fieri optat a Chriſto, dummodo ei familia multiplex acquiratur, & ad gloriam ſui Patris ſalus totius Iſraeliticæ plebis accreſcat. Securus enim optat interire pro Chriſto, qui novit neminem mori poſſe pro vita*. Ubi & laudat poſtea Caſſianus exemplum Micheæ Prophetæ qui volebat mendacem ſe fieri & haberi, dummodo Captivitatis exitia quæ prædixerat, plebs Judaicæ nationis evaderet. Tum vero exemplum Moyſis: *Ut prætermittamus*, inquit, *illum legiſlatoris affectum, qui cum fratribus ſuis perituris non renuit interire*.

Deinde ſatis communis eſt Theologorum reſponſio conſentanee ad SS. Patrum interpretationem, in illis locis Moyſem & S. Paulum locutos per hyperbolen ex pio quodam affectu, quem vitio vertet nemo qui legerit Davidem in Pſalm. 115. canentem. *Ego dixi in exceſſu meo*. Et Paulum ipſum dicentem 2. ad Corint. cap. 5. *ſive mente excedimus, Deo*. Scilicet uterque loquitur ſub conditione impoſſibili ſecurus ſe propter talem actum, non delendum fore de libro vitæ, & neuter vero ſacrificio propriam ſalutem abnegabat. Audiatur ſuper ea re S. Auguſtinus quæſt. 147. in Exodum; ubi loquens de Moyſe, in illa verba, *Dele me*, hæc diſſerit, *Securus hoc dixit: ut in conſequentibus ratiocinatio concludatur, ut quia Deus Moyſen non deleret de libro ſuo, populo peccatum illud remitteret*. Et ſermone 88. de verbis Evang. num 24. *Cum Deus minaretur ſacrilego populo, pia Moyſi viſcera tremuerunt, appoſuit ſe pro illis iracundiæ Dei: Domine, inquit, ſi dimittis ei peccatum, dimitte; ſin autem, dele me de libro quem ſcripſiſti, quam paternis maternique viſceribus, quam ſecurus hoc dixit, attendens juſtitiam & miſericordiam Dei, ut quia juſtus eſt non perderet juſtum, quia miſericors eſt ignoſceret peccatoribus*. Certe ſciebat optime S. Paulus ſe non propterea futurum anathema, nec Dei ſententia periturum in æternum, qui videlicet noverat Deum non eſſe injuſtum. Hebr. 6. *Non enim injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri?* Neque vero ſtatim a Chriſto tam facile divelli optabat, qui paulo ante dixerat. *Certus ſum quod nulla creatura poterit me ſeparare a charitate Dei quæ eſt in Chriſto Jeſu*.

Neque eſt quod objiciantur hæc S. Chryſoſtomi verba ex Homil. in Ep. ad Rom. *Hæc autem dicebat Paulus, non quod vel Angeli ipſi vel reliquæ poteſtates id tentare aggredique vellent, abſit hoc, ſed quod quem amorem erga Chriſtum præferret, eum omni cum excellentia oſtentare vellet. Neque enim Chriſtus propter Chriſti opera, ſed propter illum illius opera amabat, atque ad illum unum reſpicie-*

 bat,

bat, unum tantum veritus, ne ab eo amore excideret. Hoc enim vel gehenna illi tolerabilius erat, quemadmodum & in eo amore perſiſtere vel cœlorum regno deſiderabilius.... Et illo quidem ob Chriſti amorem vel in gehennam decidere libens admittit, paratuſque eſt vel a cœlorum regno excidere, ſi utrumque hoc proponatur, nos autem ne præſentem quidem vitam deſpicimus. Tametſi enim hoc S. Pauli anathema de pœnis inferni explicet S. Chryſoſtmus, tamen nunquam exiſtimavit revera & ſincere S. Paulum ſacrificio abſoluto ſuam ſalutem & regni cœlorum poſſeſſionem abnegaſſe, ut expreſſe teſtatur Homilia ſequenti ad initium, ubi his adductis S. Pauli verbis: *Optarim enim ego ipſe anathema eſſe a Chriſto*, ſic loquitur: *Quid agis, o Paule? a Chriſto, illo inquam Chriſto, qui a te deſideratur, a quo te nec cœlorum regnum, nec gehenna ſeparabat, neque ea quæ videri, neque ea quæ cogitari poſſunt, neque alia totidem, ab hoc nunc precaris anathema eſſe? quid accidit? Num deſiderium illud excuſſiſti ac depoſuiſti? haud quaquam, inquit, ne vereare, nam & illud intendi magis.* Certe eam ſalutis indifferentiam, quam tantopere extollunt Myſtici recentiores, divo Paulo non tribuit Chryſoſtomus, quandoquidem ſupponit hunc Apoſtolum tali anathemate ſeſe devoventem, non amittere ſalutis & regni cœlorum deſiderium. Præterquamquod ſi ſupponeretur hanc revera fuiſſe Chryſoſtomi opinionem, ipſi opponeremus SS. Gregorium Nazianzenum, Hieronymum & Auguſtinum, & inſuper Caſſianum ac omnes fere Theologos & Scripturæ interpretes.

Inſtabis: Ejuſmodi abnegatio ſalutis per amorem purum non eſt niſi apparens deſperatio, quatenus anima involuntarie turbatur ad inſtar Chriſti, cum in cruce pendens dixit: *Deus, Deus meus, quare me dereliquiſti?* Igitur.

Nego ant. Ut enim oſtendimus, vera eſt deſperatio, ubi eſt formalis ſpei Chriſtianæ excluſio, ubi non licet adhibere motivum ſpei, quod ſane contingit in hoc ſtatu perfectorum juxta Myſticos. Blaſphemaret autem quicunque diceret Chriſtum involuntarie turbatum fuiſſe per aliquod deſperationis genus, ut enim docet fides: *Oblatus eſt quia ipſe voluit, & nemo poterat ejus animam tollere*, niſi lubens voluiſſet mortem oppetere.

Objicies: Non infrequenter legitur apud SS. Patres Deo adhærendum eique ſerviendum propter ipſum, non propter mercedem obventuram, S. Auguſtinus in Pſal. 55. *Nos ergo*, inquit, *Deum amemus, fratres, pure & caſte. Non eſt caſtum cor, ſi Deum ad mercedem colit, quid ergo? Mercedem de Dei cultu non habebimus? Habebimus plane, ſed ipſum Deum quem colimus, ipſe nobis merces erit*. In quem ſenſum loquuntur plerique alii Patres.

Reſponſio facilis eſt, horum enim textus legenti perſpicuum maxime eſt, Patres, cum dicunt Deum non eſſe colendum propter mercedem, id intelligere de mercede quæ omnino ſit alia ab ipſius Dei poſſeſſione, ut colligitur ex præfato S. Auguſti teſtimonio, tum ex iſto S. Leonis, ſermone 90. *Diligenti Deum ſufficit ei placere quem diligit, quia nulla major expetenda eſt remuneratio, quam ipſa dilectio. Sic enim charitas ex Deo eſt, ut Deus ipſe ſit charitas. Quo utique pius & caſtus animus ita gaudet impleri, ut nulla re extra ipſum cupiat delectari ... ſed cum multa ſint genera divitiarum, tanquam diſſimiles materiæ gaudiorum, theſaurus cuique eſt ſuæ cupiditatis affectus, qui ſi de appetitu eſt terrenorum, non beatos facit ſui participatione, ſed miſeros. Hi vero qui ea quæ ſurſum ſunt, ſapiunt, non quæ ſuper terram, nec perituris intenti ſunt, ſed æternis, in illo habent incorruptibiles reconditas facultates*. Videtur prima fronte ſanctus Leo ſentire non aliam dilectionis divinæ remuneratio-

nem

nem quærendam, quam quæ habetur ex ipſa charitate ſed addit ſtatim hanc charitatem eſſe ipſum Deum, cujus poſſeſſionem debemus cupere, quia charitas non quærit terrena, ſed cœleſtia bona.

Certe docent e contra SS. Patres omnibus & bonis & malis velut innatum eſſe cupere ſuam beatitudinem; *Quis poterit inveniri*, inquit S. Aug. in Pſ. 118. ſerm. 1. *qui nolit eſſe beatus ... beatum eſſe tam magnum eſt bonum, ut hoc & boni velint & mali.*

Objicies: Ex S. Bernardo ſerm. 83. in Cantica, mercenarius non purus eſt amor filii qui amat patrem ſuum propter venturam hæreditatem: *Amant filii*, inquit, *ſed de hæreditate cogitant, ſuſpectus eſt mihi amor, cui aliud quid adipiſci ſpes ſuffragari videtur ... purus amor mercenarius non eſt*. Igitur perfecti non amant Deum propter beatitudinem, niſi amore mercenario, & eatenus non ſunt perfecti.

Nego conſeq. & paritatem, ratio diſcriminis eſt quia quando filius amat propter hæreditatem, aliud quid a patre amat, nempe ejus divitias, unde jure dici poteſt ejuſmodi amorem eſſe mercenarium, ſed juſti qui Deum diligunt quatenus beatificum & remuneratorem, Deum amant propter ipſum, cupiunt eſſe cum illo, eo frui, ejus poſſeſſione gaudere.

Inſtabis: Saltem conſtat ſalutis deſideria haberi a Patribus velut imperfecta, quæ perfectis nec imperantur nec ſuadentur; quod quidem manifeſtum eſt ex S. Chryſoſtomo Homil. 76. in Joan. *Boni enim*, inquit, *& ſtudioſi etiam ſine præmii reſpectu, ipſius pulchritudinem intuentur, & propterea eam complectuntur, & ut Deo placeant, non propter mercedem recte agunt, & magnifaciunt continentiam, non ne puniantur, ſed ne offendant Deum. Quod ſi quis imbecillior ſit, etiam in præmium ſpectet*. Et Homil. 13. in Epiſt. ad Hebræos: *Nemo tanquam mercenarius, nemo tanquam ingratus ad virtutem accedat, nemo eam aggrediatur tanquam rem gravem & moleſtam. Ad eam ergo accedamus alacri animo & læti. Nam etiamſi merces non eſſet propoſita, oporteret eſſe bonum. Sed tamen etiam cum mercede ſimus boni. Et quomodo non eſt hoc probrum & maximum dedecus? Si mihi inquit non dederis, non ſum modeſtus & temperans. Audeo itaque aliquid dicere, nunquam fueris temperans & modeſtus etiam quando es ejuſmodi, ſi hoc facis mercede. Virtutem nihil exiſtimas, ſi eam non amas. Sed Deus propter noſtram imbellicitatem, eam etiam mercede voluit fieri.*

Idem ſentiebat S. Ambroſius qui lib. 2. de Abraham cap. 8. n. 47. ſic loquitur; *Propoſitum piæ mentis mercedem non expetit; ſed pro mercede habet boni facti conſcientiam, & juſti operis affectum. Anguſtæ mentes invitentur promiſſis, erigantur ſperatis mercedibus, bona mens quæ ſine reſponſi cœleſtis ſyngrapha certamen arripuit, geminæ laudis fructum acquirit ſibi, ut & confidentiſſimæ fortitudinis, & pleniſſimæ devotionis gratiam locet.*

Reſpondeo, ex neutro hoc teſtimonio juvari adverſariorum Syſtema.

Ac primo quidem nihil efficiunt loci a S. Chryſoſtomo laudati; ibi enim concionatoris perſonam agens, homines ad virtutum exercitium, ex ipſius virtutis amandæ propter ipſam motivo, independenter ab ulla mercede hortatur & compellit, ut patet ex iſtis verbis: *Non etiamſi merces non eſſet propoſita, oportere eſſe bonum:* ſed iſtam quæſtionem, quam verſamus, ne minimum attingit, an ſcilicet ad ſolos infirmos pertineat deſiderio ſalutis æternæ & poſſeſſionis Dei excitari ad Deum diligendum, quod dicit Deum propter infirmitatem noſtram voluiſſe virtutem exerceri ex intuitu mercedis propoſitæ, utique verum eſt, ſed inde non ſequitur juſtos etiam & perfectos non poſſe eodem

dem vitæ æternæ motivo excitari, quin eorum charitatis perfectio hoc ipſo imminuatur. Certum eſt aliunde banc conſtantem fuiſſe Chryſoſtomi doctrinam omnium etiam perfectorum eſſe ad æternæ beatitudinis adeptionem, ad Chriſti poſſeſſionem aſpirare, ut conſtat ex ipſa Homil. ſuper Joannem quæ objicitur, ubi primum docet dilectionem qua diligendus eſt Deus, poſitam in obſervatione mandatorum: *Perſeverantia a dilectione, dilectio a mandatorum obſervatione provenit*. Deinde ait Deum ut ad ſalvanda mandata obligaret homines, propoſuiſſe beatitudinis motivum: *Hic iterum eos beatitudinis admonet .... gaudete & exultate quia merces veſtra copioſa eſt in cœlis*. Et paulo poſt. *Oportet enim in rebus gravibus & moleſtis non labores ſed præmia conſiderare*. Quæ quidem omnia quæ ubique paſſim reperias in ſcriptis S. Chryſoſtomi, Myſticorum Syſtemati neutiquam favent.

Secundo appoſitus ad rem non eſt S. Ambroſii locus, ibi enim non loquitur de mercede cœleſti, de poſſeſſione Dei, quam ſi quis deſideret, contendimus eum non eſſe propterea mercenarium; putat ſolum anguſtæ mentis eſſe humana remuneratione invitari, ut ibidem ſcribit, *Dei quoque*, inquit, *in eo prædicatur juſtitia qui remunerationem piis mentibus non ex neceſſitate promiſſi, ſed ex æquitatis ſuæ contemplatione largitur, judicans dignum fore, quod hi qui militant ſine aliqua mercedis humanæ remuneratione repoſitum habeant præmium in ejus bonitate*. Legi poteſt inſuper quod ſcribit S. Ambroſius lib. de Jacob & vita beata, cap. 7. n. 30. ubi docet eam in nobis debere eſſe charitatem, ut nunquam a Chriſto ſeparemur, ſed ſemper eum deſideremus: *Bona*, inquit, *virtutum amicitia, ſummi boni charitas. Nihil itaque aliud quærit perfectus ille, niſi ſolum & præclarum bonum. Unde & dicit: Unam petii a Domino, banc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnes dies vitæ meæ, & videam delectationem Domini. N quæ vero eum tanquam anguſtum inopemque f ſtidias ... Abundat enim hujuſmodi viro ad beatitudinem & ad poſſeſſionem boni, & ideo nihil aliud deſiderat*. Hæc porro merces quam unam petebat David, non eſt imperfectorum ſed omnium Chriſtianorum.

Objicies: Perfectio eſt in charitate, quod non velimus niſi quod Deus vult: ergo ſi Deus velit ut quis pereat in æternum, is debet ſubjicere ſe voluntati divinæ.

Nego conſeq. nam eo ipſo quod tenemur velle quod Deus vult, debemus velle & ſummo affectu deſiderare noſtram ſalutem, noſtram beatitudinem; Deus enim abſolute vult omnium ſalutem, ut aliquid bonum & noſtrum ultimum finem ad quem nos ordinavit. Fictitia eſt, ut diximus, & Catholico dogmati plane contraria, hæc, ut aiunt, ſancta indifferentia ſalutis, quam tantopere commendant Myſtici, quæ videlicet ſpem Chriſtianam penitus deſtruit, deſperationem pro perfectis introducens.

Objicies: Charitas vera & perfecta debet habere Deum pro objecto: ſed actus quo diligitur Deus tanquam beatitudo, non habet pro objecto ſaltem primario Deum; quia per ejuſmodi actum referimus Deum ad nos, illum enim diligimus propter nos, quia noſtrum erit ſummum bonum, noſtra beatitudo: igitur ille amor non eſt purus, non eſt perfectorum.

Nego min. tametſi enim diligatur Deus tanquam ſummum bonum & beatitudo, tamen Deus eſt ultimus finis & primarium illius amoris objectum. Scilicet adverſarii confundunt objectum cum ſubjecto, dum putant Deum non fore amplius primarium noſtri amoris objectum, ſi Deum amemus ut nobis bonum; tunc enim non ſumus objectum, ſed ſubjectum illius amoris; ille eſt objectum primarium amoris noſtri, nec ad aliud

aliud refertur, extra quem nullum eſt aliud objectum; ſed amor is quo diligitur Deus tanquam beatitudo, non eſt aliud objectum quam Deus ipſe, & male utique hic amor dicitur referri ad nos, quia non ſumus objectum beatitudinis noſtræ: igitur illius amoris puri quidem & caſti objectum ſolus eſt Deus, non aliud extra Deum. *Ego merces tua*, inquit Deus Abrahamo, Geneſ. cap. 15. *magna nimis, ambula coram me, & eſto perfectus*. Et S. Auguſtinus lib. 10. Confeſſ. c. 22. *Ipſa eſt beata vita gaudere ad te, de te, propter te, ipſa eſt & non eſt altera*. Quibus adde S. Bernardum lib. de diligendo Deo cap. 7. *Vacua charitas eſſe non poteſt*, inquit, *nec tamen mercenaria eſt, quippe non quærit quæ ſua ſunt. Verus amor ſe ipſo contentus eſt, habet præmium, ſed id quod amatur*.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI,

Ad perpetuam rei memoriam.

CŒLESTIS Paſtor CHRISTUS Dominus, ut jacentem in tenebris mundum, variiſque Gentium erroribus involutum a poteſtate Diaboli, ſub qua miſere poſt lapſum primi Parentis tenebatur, ſua ineffabili miſeratione liberaret, carnem ſumere, & in ligno Crucis chirographo Redemptionis noſtræ affixo in teſtimonium ſuæ in nos charitatis ſeſe Hoſtiam viventem Deo pro nobis offerre dignatus eſt, mox rediturus in cœlum Eccleſiam Catholicam Sponſam ſuam tanquam novam civitatem ſanctam Hieruſalem deſcendentem de cœlo, non habentem rugam, neque maculam, unam ſanctamque in terris relinquens armis potentiæ ſuæ contra portas inferi circumvallatam, PETRO Apoſtolorum Principi, & ſucceſſoribus ejus regendam tradidit, ut Doctrinam ab ipſius ore hauſtam ſartam tectamque cuſtodirent; ne oves precioſo ſuo ſanguine redemptæ pravarum opinionum pabulo in antiquos errores recciderent, quod præcipue Beato PETRO mandaſſe ſacræ Litteræ docent; cui enim Apoſtolorum niſi PETRO dixit, Paſce oves meas; & rurſus, Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos? Quare nobis, qui non noſtris meritis, ſed inſcrutabili Dei omnipotentis conſilio in ejuſdem PETRI Cathedra pari poteſtate ſedemus, ſemper fixum in animo fuit, ut Populus Chriſtianus eam ſectaretur Fidem, quæ a CHRISTO Domino per Apoſtolos ſuos perpetua, & nunquam interrupta traditione prædicata fuit, quamque ipſe uſque ad ſæculi conſummationem permanſuram eſſe promiſit.

Cum igitur ad Apoſtolatum noſtrum relatum fuiſſet quemdam *Michaelem de Molinos* prava dogmata tum verbo, tum ſcripto docuiſſe, & in praxim deduxiſſe, quæ prætextu orationis quietis contra doctrinam, & uſum a ſanctis Patribus ab ipſis naſcentis Eccleſiæ primordiis receptum, Fideles a vera Religione, & a Chriſtianæ pietatis puritate in maximos errores, & turpiſſima quæque inducebant. Nos, cui cordi ſemper fuit, ut fidelium animæ nobis ex alto commiſſæ purgatis pravarum opinionum erroribus ad optatum ſalutis portum tuto pervenire poſſint, legitimis præcedentibus indiciis, prædictum *Michaelem de Molinos*, carceribus mancipari mandavimus, deinde coram Nobis, & Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana Generalibus Inquiſitoribus Apoſtolica auctoritate ſpecialiter deputatis, auditis pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, eorumque ſuffragiis tum voce, tum ſcripto ſuſceptis, matureque perpenſis, implorata etiam S. Spiritus aſſiſtentia, cum prædictorum Fratrum noſtrorum unanimi voto, ad damnationem infraſcriptarum Propoſitionum ejuſdem *Michaelis de Molinos*, a quo fuerunt pro ſuis recognitæ, & de quibus Propoſitionibus tanquam a ſe dictatis, ſcriptis, communicatis & creditis, ipſe convictus, & reſpective confeſſus fuerat, ut latius in proceſſu, & Decreto de mandato noſtro lato die 28. Auguſti præſentis anni 1687. devenire, ut infra, decrevimus.

PRO-

PROPOSITIONES.

I. *Oportet hominem ſuas potentias annihilare*. *Et hæc eſt Via interna*.

II. *Velle operari active*, *eſt Deum offendere*, *qui vult eſſe ipſe ſolus Agens*, *& ideo opus eſt*, *ſe ipſum in Deo totum*, *& totaliter derelinquere*, *& poſtea permanere velut corpus exanime*.

III. *Vota de aliquo faciendo ſunt perfectionis impeditiva*.

IV. *Activitas naturalis eſt Gratiæ inimica*, *impeditque Dei operationes*, *& veram perfectionem*, *quia Deus operari vult in nobis ſine nobis*.

V. *Nihil operando anima ſe annihilat*, *& ad ſuum principium redit*, *& ad ſuam originem*, *quæ eſt eſſentia Dei*, *in qua transformata remanet ac divinizata*, *& Deus tunc in ſeipſo remanet ; quia tunc non ſunt amplius duæ res unitæ*, *ſed una tantum : & hac ratione Deus vivit*, *& regnat in nobis*, *& anima ſe ipſam annihilat in eſſe operativo*.

VI. *Via interna eſt illa*, *in qua non cognoſcitur nec lumen*, *nec amor*, *nec reſignatio : & non oportet Deum cognoſcere ; & hoc modo recte proceditur*.

VII. *Non debet anima cogitare*, *nec de præmio*, *nec de punitione*, *nec de Paradiſo*, *nec de inferno*, *nec de Morte*, *nec de Æternitate*.

VIII. *Non debet velle ſcire an gradiatur cum voluntate Dei*, *an cum eadem voluntate reſignata maneat*, *necne ; nec opus eſt*, *ut velit cognoſcere ſuum ſtatum nec proprium nihil*, *ſed debet ut corpus exanime manere*.

IX. *Non debet anima reminiſci nec ſui*, *nec Dei*, *nec cujuſcunque rei*, *& in via interna omnis reflexio eſt nociva*, *etiam reflexio ad ſuas humanas actiones*, *& ad proprios defectus*.

X. *Si propriis defectibus alios ſcandalizet*, *non eſt neceſſarium reflectere*, *dummodo non adſit voluntas ſcandalizandi ; & ad proprios defectus non poſſe reflectere*, *gratia Dei eſt*.

XI. *Ad dubia*, *quæ occurrunt*, *an recte procedatur necne*, *non opus eſt reflectere*.

XII. *Qui ſuum liberum arbitrium Deo donavit de nulla re debet curam habere*, *nec de inferno*, *nec de Paradiſo ; nec debet deſiderium habere propriæ perfectionis*, *nec virtutum*, *nec propriæ ſanctitatis*, *nec propriæ ſalutis*, *cujus ſpem purgare debet*.

XIII. *Reſignato Deo libero arbitrio*, *eidem Deo relinquenda eſt cogitatio*, *& cura de omni re noſtra*, *& relinquere*, *ut faciat in nobis ſine nobis ſuam divinam voluntatem*.

XIV. *Qui divinæ voluntati reſignatus eſt*, *non convenit*, *ut a Deo rem aliquam petat ; quia petere eſt imperfectio*, *cum ſit actus propriæ voluntatis*, *& electionis*, *& eſt velle*, *quod divina voluntas noſtræ conformetur*, *& non quod noſtra divinæ*. *Et illud Evangelii* : Petite & accipietis, *non eſt dictum a Chriſto pro animabus internis*, *quæ nolunt habere voluntatem*. *Imo hujuſmodi animæ eo perveniunt*, *ut non poſſint a Deo rem aliquam petere*.

XV. *Sicut non debent a Deo rem aliquam petere*, *ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debent ; quia utrumque eſt actus propriæ voluntatis*.

XVI. *Non convenit Indulgentias quærere pro pœna propriis peccatis debita ; quia melius eſt divinæ juſtitiæ ſatisfacere*, *quam divinam miſericordiam quærere ; quoniam illud ex puro Dei amore procedit*, *& iſtud ab amore noſtri intereſſato*, *nec eſt res Deo grata nec meritoria*, *quia eſt velle Crucem fugere*.

XVII. *Tradito Deo libero arbitrio*, *& eidem relicta cura*, *& cognitione animæ noſtræ*, *non eſt amplius habenda ratio tentationum*, *nec eis alia reſiſtentia fieri debet*, *niſi negativa*, *nulla adhibita induſtria & ſi natura commovetur*, *oportet ſinere*, *ut commoveatur ; quia eſt natura*.

XVIII. *Qui in oratione utitur imaginibus*,

Digitized by Google

nibus, figuris, ſpeciebus, & propriis conceptibus, non adorat Deum in ſpiritu, & veritate.

XIX. *Qui amat Deum eo modo, quo ratio argumentatur, aut intellectus comprehendit, non amat verum Deum.*

XX. *Aſſerere, quod in oratione opus eſt ſibi per diſcurſum auxilium ferre, & per cogitationes, quando Deus animam non alloquitur, ignorantia eſt, Deus nunquam loquitur, ejus locutio eſt operatio; & ſemper in anima operatur, quando hæc ſuis diſcurſibus, cogitationibus, & operationibus eum non impedit.*

XXI. *In oratione opus eſt manere in fide obſcura, & univerſali, cum quiete, & oblivione cujuſcumque cogitationis particularis, ac diſtinctæ Attributorum Dei, ac Trinitatis, & ſic in Dei præſentia manere ad illum adorandum, & amandum, eique inſerviendum, ſed abſque productione actuum, quia Deus in his ſibi non complacet.*

XXII. *Cognitio hæc per fidem non eſt actus a creatura productus, ſed eſt cognitio a Deo creaturæ tradita, quam creatura ſe habere non cognoſcit, nec poſtea cognoſcit illam ſe habuiſſe, & idem dicitur de amore.*

XXIII. *Myſtici cum S. Bernardo in Scala Clauſtralium, diſtinguunt quatuor gradus, Lectionem, Meditationem, Orationem, & Contemplationem infuſam. Qui ſemper in primo ſiſtit, nunquam ad ſecundum pertranſit. Qui ſemper in ſecundo perſiſtit, nunquam ad tertium pervenit, qui eſt noſtra contemplatio acquiſita, in qua per totam vitam perſiſtendum eſt, dummodo Deus animam non trahat, abſque eo quod ipſa id expectet, ad contemplationem infuſam, & hac ceſſante anima regredi debet ad tertium gradum, & in ipſo permanere, abſque eo quod ipſa id expectet, ad contemplationem infuſam, & hac ceſſante anima regredi debet ad tertium gradum, & in ipſo permanere, absque eo quod amplius redeat ad ſecundum, aut primum.*

XXIV. *Qualeſcumque cogitationes in oratione occurrant, etiam impuræ, etiam contra Deum, Sanctos, Fidem, & Sacramenta, ſi voluntarie non nutriantur, nec voluntarie expellantur, ſed cum indifferentia, & reſignatione tolerentur, non impediunt orationem Fidei; imo eam perfectiorem efficiunt: quia anima tunc magis divinæ voluntati reſignata remanet.*

XXV. *Etiamſi ſuperveniat ſomnus, & dormiatur, nihilominus fit oratio & contemplatio actualis; quia oratio & reſignatio, reſignatio & oratio idem ſunt; & dum reſignatio perdurat, perdurat & oratio.*

XXVI. *Tres illæ viæ, Purgativa, Illuminativa, & Unitiva, ſunt abſurdum maximum, quod dictum fuerit in Myſtica; cum non ſit niſi unica via, ſcilicet via interna.*

XXVII. *Qui deſiderat, & amplectitur devotionem ſenſibilem, non deſiderat, nec quærit Deum, ſed ſe ipſam, & male agit, cum eam deſiderat, & eam habere conatur, qui per viam internam incedit tam in locis ſacris, quam in diebus ſolemnibus.*

XXVIII. *Tædium rerum ſpiritualium bonum eſt, ſiquidem per illud purgatur amor proprius.*

XXIX. *Dum anima interna faſtidit diſcurſus de Deo, & virtutes, & frigida remanet, nullum in ſe ipſa ſentiens fervorem, bonum ſignum eſt.*

XXX. *Totum ſenſibile, quod experimur in vita ſpirituali, eſt abominabile ſpurcum, & immundum.*

XXXI. *Nullus Meditativus veras virtutes exercet internas, quæ non debent a ſenſibus cognoſci. Opus eſt amittere virtutes.*

XXXII. *Nec ante, nec poſt Communionem alia requiritur præparatio, aut gratiarum actio (pro iſtis animabus internis) quam permanentia in ſolita reſignatione paſſiva, quia modo perfectiore ſupplet omnes actus virtutum, qui poſſunt, & fiunt in via ordinaria. Et ſi hac occaſione Communionis inſurgunt motus humiliationis, petitionis, aut gratia-*

rum

Digitized by Google

rum actionis, reprimendi ſunt, quoties non dignoſcatur, eos eſſe ex impulſu ſpeciali Dei; alias ſunt impulſus naturæ, nondum mortuæ.

XXXIII. *Male agit anima, quæ procedit per hanc viam internam, ſi in diebus ſolemnibus vult aliquo conatu particulari excitare in ſe devotum aliquem ſenſum, quoniam animæ internæ omnes dies ſunt æquales, omnes feſtivi. Et idem dicitur de locis ſacris, quia hujuſmodi animabus omnia loca æqualia ſunt.*

XXXIV. *Verbis & lingua gratias agere Deo non eſt pro animabus internis, quæ in ſilentio manere debent, nullum Deo impedimentum apponendo, quod operetur in illis: & quo magis Deo ſe reſignant, experiuntur ſe non poſſe Orationem Dominicam, ſeu* Pater noſter *recitare.*

XXXV. *Non convenit animabus hujus viæ internæ, quod faciant operationes, etiam virtuoſas, ex propria electione, & activitate, alias non eſſent mortuæ; nec debent elicere actus amoris erga B. Virginem, Sanctos, aut Humanitatem Chriſti; quia cum iſta objecta ſenſibilia ſint, talis eſt amor erga illa.*

XXXVI. *Nulla creatura, nec B. Virgo, nec Sancti ſedere debent in noſtro corde, quia ſolus Deus vult illud occupare, & poſſidere.*

XXXVII. *In occaſione tentationum, etiam furioſarum, non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppoſitarum; ſed debet in ſupradicto amore & reſignatione permanere.*

XXXVIII. *Crux voluntaria mortificationum pondus grave eſt, & infructuoſum, ideoque dimittenda.*

XXXIX. *Sanctiora opera, & pœnitentiæ, quas peregerunt Sancti, non ſufficiunt ad removendam ab anima vel unicam adhæſionem.*

XL. *Beata Virgo nullum unquam opus exterius peregit, & tamen fuit Sanctis omnibus ſanctior. Igitur ad ſanctitatem perveniri poteſt abſque opere exteriori.*

XLI. *Deus permittit, & vult, ad nos humiliandos & ad veram transformationem perducendos, quod in aliquibus animabus perfectis, etiam non arreptitiis, Dæmon violentiam inferat earum corporibus, eaſque actus carnales committere faciat, etiam in vigilia, & ſine mentis offuſcatione, movendo phyſice illorum manus, & alia membra contra earum voluntatem. Et idem dicitur quoad alios actus per ſe peccaminoſos, in quo caſu non ſunt peccata; quia in his non adeſt conſenſus.*

XLII. *Poteſt dari caſus, quod hujuſmodi violentiæ ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum perſonarum, ſcilicet maris & fœminæ, & ex parte utriuſque ſequatur actus.*

XLIII. *Deus præteritis ſæculis Sanctos efficiebat Tyrannorum miniſterio, nunc vero eos efficit Sanctos miniſterio dæmonum, qui cauſando in eis prædictas violentias, facit, ut illi ſeipſos magis deſpiciant, atque annihilent, & ſe Deo reſignent.*

XLIV. *Job blaſphemavit & tamen non peccavit labiis ſuis, quia fuit ex dæmonis violentia.*

XLV. *Sanctus Paulus hujuſmodi dæmonis violentias in ſuo corpore paſſus eſt, unde ſcripſit:* Non quod volo bonum, hoc ago; ſed quod nolo malum, hoc facio.

XLVI. *Hujuſmodi violentiæ ſunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, & ad eam ad veram transformationem, & unionem perducendam, nec alia ſupereſt via. Et hæc eſt via facilior, & tutior.*

XLVII. *Cum hujuſmodi violentiæ occurrunt, ſinere oportet, ut Satanas operetur, nullam adhibendo induſtriam, nullumque proprium conatum, ſed permanere debet homo in ſuo nihilo, & etiamſi ſequantur pollutiones, & actus obſcœni propriis manibus, & etiam pejora, non opus eſt ſe ipſum inquietare; ſed foras emittendi ſunt ſcrupuli, dubia, & timores;*

quia anima ſit magis illuminata, magis roborata, magiſque candida, & acquiritur ſancta libertas. Et præ omnibus non opus eſt hæc confiteri, & ſanctiſſime ſit, non confitendo, quia hoc pacto ſuperatur dæmon, & acquiritur theſaurus pacis.

XLVIII. *Satanas qui ejuſmodi violentias infert, ſuadet deinde, gravia eſſe delicta, ut anima ſe inquietet, ne in via æterna ulterius progrediatur; unde ad ejus vires enervandas, melius eſt ea non confiteri, quia non ſunt peccata, nec etiam venialia.*

XLIX. *Job ex violentia dæmonis ſe propriis manibus polluebat, eodem tempore, quo* mundas habebat ad Deum preces *(ſic interpretando locum ex cap. 16. Job.)*.

L. *David, Hieremias, & multi ex ſanctis Prophetis hujuſmodi violentias patiebantur harum impurarum operationum externarum.*

LI. *In ſacra Scriptura multa ſunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminoſos. Uti illud de Samſone, qui per violentiam ſepiſum occidit cum Philiſtæis, conjugium iniit cum alienigena, & cum Dalila meretrice fornicatus eſt, quæ alias erant prohibita, & peccata fuiſſent. De Juditha, quæ Holopherni mentita fuit. De Eliſeo, qui pueris maledixit. De Elia, qui combuſſit Duces cum turmis Regis Achab. An vero fuerit violentia immediate a Deo peracta, vel dæmonum miniſterio, ut in aliis animabus contingit, in dubio relinquitur.*

LII. *Cum hujuſmodi violentiæ, etiam impuræ abſque mentis offuſcatione accidunt, tunc anima Deo poteſt uniri, & de facto ſemper magis unitur.*

LIII. *Ad cognoſcendum in praxi, an aliqua operatio in aliis perſonis fuerit violentia, regula quam de hoc habeo, ne dum ſunt proteſtationes animarum illarum, quæ proteſtantur ſe dictis violentiis non conſenſiſſe, aut jurare non poſſe, quod in iis conſenſerint; & videre, quod ſint animæ, quæ proficiunt in via interna, ſed regulam ſumere a lumine quodam actuali, cognitione humana, ac Theologica ſuperiore, quod talis operatio eſt violentia, & certus ſum quod hoc lumen a Deo procedit, quia ad me pervenit conjunctum cum certitudine, quod a Deo proveniat, & mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium, eo modo quo interdum contingit, quod Deus aliquid revelando, eodem tempore animam certam reddit, quod ipſe ſit qui revelat, & anima in contrarium non poteſt dubitare.*

LIV. *Spirituales vitæ ordinariæ in hora mortis ſe deluſos invenient, & confuſos, cum omnibus paſſionibus in alio mundo purgandis.*

LV. *Per hanc viam internam pervenitur, etſi multa cum ſufferentia, ad purgandas, & extinguendas omnes paſſiones, ita quod nihil amplius ſentitur, nihil, nihil; nec ulla ſentitur inquietudo, ſicut corpus mortuum, nec anima ſe amplius commoveri ſinit.*

LVI. *Duæ leges, & duæ cupiditates; animæ una & proprii amoris altera, tandiu perdurant, quandiu perdurat amor proprius, unde quando hic purgatus eſt, & mortuus, ut ſit per viam internam, non adſunt amplius illæ duæ leges, & duæ cupiditates, nec ulterius lapſus aliquis incurritur, nec aliquid ſentitur amplius nequidem veniale peccatum.*

LVII. *Per contemplationem acquiſitam pervenitur ad ſtatum non faciendi amplius peccata, nec mortalia, nec venialia.*

LVIII. *Ad hujuſmodi ſtatum pervenitur non reflectendo amplius ad proprias operationes; quia defectus ex reflexione oriuntur.*

LIX. *Via interna ſejuncta eſt a Confeſſione, a Confeſſariis, & a Caſibus conſcientiæ, a Theologia, & Philoſophia.*

LX. *Animabus provectis, quæ reflexionibus mori incipiunt, & eo etiam perveniunt, ut ſint mortuæ, Deus confeſſionem*

Digitized by Google

nem aliquando efficit impoſſibilem, & ſupplet ipſe tanta gratia præſervante, quantum in Sacramento reciperent; & ideo hujuſmodi animabus non eſt bonum in tali caſu ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere; quia id eſt illis impoſſibile.

LXI. *Anima cum ad mortem myſticam pervenit, non poteſt amplius aliud velle, quam quod Deus vult, quia non habet amplius voluntatem, & Deus illi eam abſtulit.*

LXII. *Per viam internam pervenitur ad continuum ſtatum immobilem in pace imperturbabili.*

LXIII. *Per viam internam pervenitur etiam ad mortem ſenſuum; quinimo ſignum, quod quis in ſtatu nihilitatis maneat, id eſt mortis myſticæ, eſt ſi ſenſus exteriores non repræſentent amplius res ſenſibiles, ac ſi non eſſent; quia non perveniunt ad faciendum, quod intellectus ſe ad eas applicet.*

LXIV. *Theologus minorem diſpoſitionem habet, quam homo rudis, ad ſtatum contemplativi: Primo, quia non habet fidem adeo puram. Secundo, quia non eſt adeo humilis. Tertio, quia non adeo curat propriam ſalutem. Quarto, quia caput refertum habet phantaſmatibus, ſpeciebus, opinionibus, & ſpeculationibus, & non poteſt in illum ingredi verum lumen.*

LXV. *Præpoſitis obediendum eſt in exteriore, & latitudo voti obedientiæ Religioſorum tantummodo ad exterius pertingit. In interiore vero aliter res ſe habet, quo ſolus Deus, & Director intrant.*

LXVI. *Riſu digna eſt nova quædam doctrina in Eccleſia Dei, quod anima quoad internum gubernari debeat ab Epiſcopo: quod ſi Epiſcopus non ſit capax, anima ipſum cum ſuo directore adeat. Novam, dico, doctrinam, quia nec ſacra Scriptura, nec Concilia, nec Canones, nec Bullæ, nec Sancti, nec Autores eam unquam tradiderunt, nec tradere poſſunt; quia Eccleſia non judicat de occultis, & anima jus habet eligendi quemcumque ſibi bene viſum.*

LXVII. *Dicere quod internum manifeſtandum eſt exteriori Tribunali Præpoſitorum, & quod peccatum ſit id non facere, eſt manifeſta deceptio; quia Eccleſia non judicat de occultis; & propriis animabus præjudicant his deceptionibus, & ſimulationibus.*

LXVIII. *In mundo non eſt facultas, nec juriſdictio ad præcipiendum, ut manifeſtentur Epiſtolæ Directoris quoad internum animæ; & ideo opus eſt animadvertere, quod hoc eſt inſultus Satanæ, &c.*

Quas quidem Propoſitiones tanquam hæreticas, ſuſpectas, erroneas, ſcandaloſas, blaſphemas, piarum aurium offenſivas, temerarias, chriſtianæ diſciplinæ relaxativas, & everſivas, & ſeditioſas reſpective, ac quæcumque ſuper iis verbo, ſcripto, vel typis emiſſa, pariter, cum voto eorumdem Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, & Inquiſitorum Generalium damnavimus, circumſcripſimus & abolevimus: deque eiſdem, & ſimilibus omnibus, & ſingulis poſthac quoquo modo loquendi, ſcribendi, diſputandi, eaſque credendi, tenendi, docendi, aut in praxim reducendi facultatem quibuſcumque interdiximus & contrafacientes omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis, & officiis ipſo facto perpetuo privavimus, & inhabiles ad quæcumque decrevimus, vinculoque etiam anathematis eo ipſo innodavimus, a quo niſi a Nobis, & a Romanis Pontificibus ſucceſſoribus noſtris valeant abſolvi: præterea eodem noſtro Decreto prohibuimus, & damnavimus omnes Libros, omniaque opera quocumque loco, & idiomate, impreſſa, necnon omnia manuſcripta ejuſdem *Michaelis de Molinos*, vetuimuſque ne quis cujuſcumque gradus, conditionis, vel ſtatus, etiam ſpeciali nota dignus, audeat ſub quovis prætextu, quolibet pariter idiomate, ſive ſub eiſdem verbis, ſive ſub æqualibus, aut æquipollentibus, ſive abſque nomine, ſeu ficto, aut alie-

Digitized by Google

no nomine ea imprimere, vel imprimi facere, neque impreſſa, ſeu manuſcripta legere, vel apud ſe retinere, ſed ordinariis locorum, aut hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus ſtatim tradere, & conſignare teneantur ſub eiſdem pœnis ſuperius inflictis, qui Ordinarii & Inquiſitores ſtatim ea igni comburant, vel comburi faciant. Tandem, ut prædictus *Michael de Molinos* ob hæreſes, errores, & turpia facta prædicta debitis pœnis in aliorum exemplum, & ipſius emendationem plecteretur, lecto in eadem noſtra Congregatione toto proceſſu, & auditis dilectis filiis Conſultoribus noſtris ſanctæ Inquiſitionis Officii, in ſacra Theologia, & in Jure Pontificio Magiſtris, cum eorumdem Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium unanimi voto, dictum *Michaelem de Molinos*, tanquam reum convictum, & confeſſum reſpective, & uti hæreticum formalem, licet pœnitentem in pœnam arcti & perpetui carceris, & ad peragendas alias pœnitentias ſalutares, prævia tamen abjuratione de formali per ipſum emittenda, ſervato Juris ordine damnavimus: mandantes, ut die, & hora præfigendis in Eccleſia Sanctæ Mariæ ſupra Minervam hujus almæ Urbis præſentibus omnibus Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, & Romanæ Curiæ noſtræ Prelatis, univerſoque Populo ad id etiam per conceſſionem Indulgentiarum convocando ex alto tenore proceſſus ſtante in ſuggeſto eodem *Michaele de Molinos* una cum Sententia inde ſequuta legeretur, & poſtquam idem *de Molinos* habitu pœnitentiæ indutus prædictos errores, & hæreſes publice abjuraſſet, facultatem dedimus dilecto filio, noſtro ſancti Officii Commiſſario, ut eum a Cenſuris, quibus innodatus erat, in forma Eccleſiæ conſueta abſolveret; quæ omnia in executionem dictæ noſtræ ordinationis die 3. Septembris labentis anni ſolemniter adimpleta ſunt.

Et licet ſupra narratum Decretum de mandato noſtro latum ad majorem fidelium cautelam typis editum, publicis locis affixum, & divulgatum fuerit, nihilominus ne hujus Apoſtolicæ damnationis memoria futuris temporibus deleri poſſit, utque Populus Chriſtianus Catholica veritate inſtructior per viam ſalutis incedere valeat, Prædeceſſorum noſtrorum Summorum Pontificum veſtigiis inhærentes, hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione ſupradictum Decretum denuo approbamus, confirmamus, & debitæ executioni tradi mandamus, iterum ſupradictas Propoſitiones diffinitive damnantes & reprobantes, libroſque, & manuſcripta ejuſdem *Michaelis de Molinos* prohibentes, & interdicentes ſub eiſdem pœnis, & cenſuris contra tranſgreſſores latis & inflictis.

Decernentes inſuper præſentes litteras ſemper & perpetuo validas & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri & obtinere: ſicque per quoſcumque Judices ordinarios, & Delegatos quavis autoritate fungentes, & functuros ubique judicari, & definiri debere, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & autoritate, ac irritum & inane quicquid ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis etiam impreſſis manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides prorſus adhibeatur, quæ ipſis originalibus litteris adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, damnationis, reprobationis, punitionis, Decreti, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire: ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem,

jorem, anno Incarnat. Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo ſeptimo, duodecimo Kalend. Decemb. Pontificatus noſtri anno duodecimo.

F. DATARIUS.

I. F. ALBANUS.

Regiſtrata in Secret. Brevium.

Viſa de Curia S. de Pilaſtris.

D. Ciampinus.

Loco † Plumbi.

Anno a Nativitate Domini noſtri JESU CHRISTI milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo octavo. Indict. undecima, die vero 19. Februarii, Pontificatus autem Sanctiſs. in Chriſto Patris D. N. D. INNOCENTII divina Providentia Papæ XI. Anno ejus duodecimo, præſentes litteræ Apoſtolicæ affi æ & publicatæ fuerunt ad valvas Eccleſiæ S. Joannis Lateran. Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, & in Acie Campi Floræ, & aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis, per me Franciſcum Perinum SS. D. N. Papæ & Sanctiſs. Inquiſit. Curſ.

INNO-

Digitized by Google

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM alias ad Apoſtolatus noſtri notitiam pervenerit, in lucem prodiiſſe Librum quemdam gallico idiomate editum, cui Titulus: *Explication des Maximes des Saints ſur la vie interieure, par Meſſire François de Salignac Fenelon, Archevêque Duc de Cambray, Precepteur de Meſſeigneurs les Duc de Bourgogne, d'Anjou, & de Berry. A Paris, chez Pierre Aubouin, Pierre Emery, Charles Clouſier,* 1697. ingens vero ſubinde de non ſana libri hujusmodi doctrina excitatus in Galliis rumor, adeo percrebuerit, ut opportunam Paſtoralis vigilantiæ noſtræ opem efflagitaverit; Nos eundem librum nonnullis ex Venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, aliisque in ſacra Theologia Magiſtris, mature, ut rei gravitas poſtulare videbatur, examinandum commiſimus. Porro hi mandatis noſtris obſequentes, poſtquam in quampluribus Congregationibus varias propoſitiones ex eodem libro excerptas diuturno accuratoque examine diſcuſſerant, quid ſuper earum ſingulis ſibi videretur, tam voce quam ſcripto nobis expoſuerunt. Auditis igitur in pluribus itidem coram nobis deſuper actis Congregationibus memoratorum Cardinalium, & in ſacra Theologia Magiſtrorum Sententiis, Dominici Gregis nobis ab æterno Paſtore crediti periculis, quantum nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, motu proprio, ac ex certa ſcientia & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Librum prædictum ubicumque & quocumque alio idiomate, ſeu quavis editione, aut verſione huc uſque impreſſum, aut in poſterum imprimendum, quippe ex cujus lectione & uſu fideles ſenſim in errores ab Eccleſia Catholica jam damnatos induci poſſent, ac inſuper tanquam continentem propoſitiones, ſive in obvio earum verborum ſenſu, ſive attenta ſententiarum connexione, temerarias, ſcandaloſas, male ſonantes, piarum aurium offenſivas, in praxi pernicioſas, ac etiam erroneas, reſpective, tenore præſentium damnamus & reprobamus, ipſiusque Libri impreſſionem, deſcriptionem, lectionem, retentionem & uſum omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus etiam ſpecifica & individua mentione & expreſſione dignis, ſub pœna excommunicationis per contrafacientes ipſo facto abſque alia declaratione incurrenda, interdicimus, & prohibemus: Volentes & Apoſtolica autoritate mandantes, ut quicumque ſupradictum Librum penes ſe habuerint, illum ſtatim atque præſentes Litteræ eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus tradere ac conſignare omnino teneantur; in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Cæterum Propoſitiones in dicto libro contentæ, quas Apoſtolici Cenſura Judicii, ſicut præmittitur, configendas duximus, ex gallico idiomate in Latinum verſæ, ſunt tenoris qui ſequitur, videlicet:

I. *Datur habitualis ſtatus amoris Dei, qui eſt charitas pura, & ſine ulla admixtione motivi proprii intereſſe. Neque timor pœnarum, neque deſiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam.*

Digitized by Google

II. *In ſtatu vitæ contemplativæ, ſive unitivæ, amittitur omne motivum intereſſatum timoris & ſpei.*

III. *Id quod eſt eſſentiale in directione animæ eſt, non aliud facere, quam ſequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, præcautione & ſubtilitate. Oportet ſe intra hos limites continere, ut ſinatur Deus agere, & nunquam ad purum amorem ducere, niſi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo, quod adeo durum eſt animabus adhuc ſibimet affixis, & adeo poteſt illas ſcandalizare, aut in perturbationem conjicere.*

IV. *In ſtatu ſanctæ indifferentiæ anima non habet amplius deſideria voluntaria & deliberata propter ſuum intereſſe, exceptis iis occaſionibus, in quibus toti ſuæ gratiæ fideliter non cooperatur.*

V. *In eodem ſtatu ſanctæ indifferentiæ nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus ut ſimus perfecti & beati propter intereſſe proprium, ſed omnem perfectionem ac beatitudinem volumus in quantum Deo placet efficere ut velimus res iſtas impreſſione ſuæ gratiæ.*

VI. *In hoc ſanctæ indifferentiæ ſtatu nolumus amplius ſalutem, ut ſalutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem noſtrum meritorum, ut noſtrum intereſſe omnium maximum; ſed eam volumus voluntate plena, ut gloriam & beneplacitum Dei, ut rem quam ipſe vult, & quam nos vult velle propter ipſum.*

VII. *Derelictio non eſt niſi abnegatio, ſeu ſui ipſius renuntiatio quam Jeſus Chriſtus a nobis in Evangelio requirit poſtquam externa omnia reliquerimus. Iſta noſtri ipſorum abnegatio non eſt, niſi quoad intereſſe proprium ..... Extremæ probationes, in quibus hæc abnegatio, ſeu ſui ipſius derelictio exerceri debet, ſunt tentationes, quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei oſtendendo perfugium neque ullam ſpem quoad ſuum intereſſe proprium, etiam æternum.*

VIII. *Omnia ſacrificia, quæ fieri ſolent ab animabus quam maxime deſintereſſatis circa earum æternam beatitudinem, ſunt conditionalia ..... Sed hoc ſacrificium non poteſt eſſe abſolutum in ſtatu ordinario. In uno extremarum probationum caſu hoc ſacrificium fit aliquo modo abſolutum.*

IX. *In extremis probationibus poteſt anima invincibiliter perſuaſa eſſe perſuaſione reflexa; & quæ non eſt intimus conſcientiæ fundus, ſe juſte reprobatam eſſe a Deo.*

X. *Tunc anima diviſa a ſemetipſa expirat cum Chriſto in cruce dicens: Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me? In hac involuntaria impreſſione deſperationis conficit ſacrificium abſolutum ſui intereſſe proprii quoad æternitatem.*

XI. *In hoc ſtatu anima amittit omnem ſpem ſui proprii intereſſe, ſed nunquam amitti in parte ſuperiori, id eſt in ſuis actibus directis & intimis ſpem perfectam, quæ eſt deſiderium deſintereſſatum promiſſionum.*

XII. *Director tunc poteſt huic animæ permittere, ut ſimpliciter acquieſcat jacturæ ſui proprii intereſſe & juſtæ condemnationi, quam ſibi a Deo indictam credit.*

XIII. *Inferior Chriſti pars in Cruce non communicavit Superiori ſuas involuntarias perturbationes.*

XIV. *In extremis probationibus pro purificatione amoris fit quædam ſeparatio partis ſuperioris animæ ab inferiori..... In iſta ſeparatione actus partis inferioris manant ex omnino cæca & involuntaria perturbatione; nam totum quod eſt voluntarium & intellectuale, eſt partis ſuperioris.*

XV. *Meditatio conſtat diſcurſivis actibus, qui a ſe invicem facile diſtinguuntur..... Iſta compoſitio actuum diſcurſivorum & reflexorum eſt propria exercitatio amoris intereſſati.*

XVI. *Datur ſtatus contemplationis adeo ſublimis, adeoque perfecta, ut fiat habitualis, ita ut quoties anima actu orat, ſua oratio ſit contemplativa, non diſcurſiva. Tunc non amplius indiget redire ad*

ad meditationem , ejuſque actus methodicos .

XVII. *Animæ contemplativæ privantur intuitu diſtincto ſenſibili , & reflexo Jeſu Chriſti duobus temporibus diverſis ..... Primo in fervore naſcente earum contemplationis .... Secundo , anima amittit intuitum Jeſu Chriſti in extremis probationibus .*

XVIII. *In ſtatu paſſivo exercentur omnes virtutes diſtinctæ , non cogitando quod ſint virtutes . In quolibet momento aliud non cogitatur , quam facere , id quod Deus vult ; amplius & amor zelotypus ſimul efficit , ne quis ſibi virtutem velit , nec unquam ſit adeo virtute præditus , quam cum virtuti amplius affixus non eſt .*

XIX. *Poteſt dici in hoc ſenſu , quod anima paſſiva , & deſintereſſata nec ipſum amorem vult amplius , quatenus eſt ſua perfectio & ſua felicitas , ſed ſolum quatenus eſt id , quod Deus a nobis vult ,*

XX. *In confitendo debent animæ transformatæ ſua peccata deteſtari & condemnare ſe , & deſiderare remiſſionem ſuorum peccatorum , non ut propriam purificationem , & liberationem , ſed ut rem quam Deus vult , & vult nos velle propter ſuam gloriam .*

XXI. *Sancti Myſtici excluſerunt a ſtatu animarum transformatarum exercitationes virtutum .*

XXII. *Quamvis hæc doctrina* (de puro amore) *eſſet pura , & ſimplex perfectio Evangelica in univerſa traditione deſignata , antiqui Paſtores non proponebant paſſim multitudini juſtorum , niſi exercitia amoris intereſſati eorum gratiæ proportionata .*

XXIII. *Purus amor ipſe ſolus conſtituit totam vitam interiorem , & nunc evadit unicum principium , & unicum motivum omnium actuum , qui deliberati , & meritorii ſunt .*

Non intendimus tamen per expreſſam propoſitionum hujuſmodi reprobationem alia in eodem Libro contenta ullatenus approbare . Ut autem eædem præſentes Litteræ omnibus facilius innoteſcant , nec quiſquam illarum ignorantiam valeat allegare , volumus pariter , & autoritate præfata decernimus , ut illæ ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum , ac Cancellariæ Apoſtolicæ , nec non Curiæ generalis in Monte Citorio , & in Acie Campi Floræ de Urbe , per aliquem ex Curſoribus noſtris , ut moris eſt , publicentur , illarumque exempla ibidem affixa relinquantur , ita ut ſic publicatæ , omnes & ſingulos , quos concernunt , perinde afficiant , ac ſi unicuique illorum perſonaliter notificatæ , & intimatæ fuiſſent : Utque ipſarum præſentium Litterarum tranſumptis , ſeu exemplis etiam impreſſis , manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis , & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis , eadem prorſus fides , tam in judicio , quam extra illud , ubique locorum habeatur , quæ ipſis præſentibus haberetur , ſi forent exhibitæ , vel oſtenſæ .

Romæ , apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcator. die 12. Martii M. DC. XCIX. Pontificatus noſtri anno octavo .

J. F. Card. ALBANUS .

Anno a Nativitate D. N. J. C. *1699.* Indictione ſeptima , die vero 13. menſis Martii , Pontificatus autem ſanctiſſimi in Chriſto Patris , & D. N. D. INNOCENTII divina Providentia PAPÆ XII. Anno ejus octavo , ſupradictum Breve affixum , & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum , Magnæ Curiæ Innocentianæ , in Acie Campi Floræ , ac aliis locis ſolitis & conſuetis Urbis , per me Franciſcum Perinum ejuſdem SS. D. N. Papæ Curſorem .

Sebaſtian. Vaſellus Mag. Curſ.

INDEX

INDEX
QUÆSTIONUM ET CONCLUSIONUM
Quæ in hoc Tractatu continentur.

TRACTATUS DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

De habitibus infuſis. pag. 3
Quid & quotuplex ſit habitus. ibid.
Utrum dentur Habitus ſupernaturales in facultatibus vere permanentes. 4
Concluſio: Dantur Habitus infuſi. 5
Utrum ſit de fide dari habitus ſupernaturales infuſos. 8
Vera ſtatuitur Sententia. 12

TRACTATUS DE FIDE.

Nomen, definitio, & natura Fidei. 15
Expenditur ſententia Hæreticorum de natura Fidei Catholicæ. 17
Utrum fides ſit idem cum fiducia. 18
CONCL. Fides Chriſtiana eſt firmus aſſenſus quo creduntur veritates a Deo revelatæ, &c. ibid.
An detur fides informis. 21
CONCL. Datur vera fides ſine charitate. 22
De objecto Fidei. 36
De objecto materiali Fedei. ibid.
Quodnam ſit objectum materiale Fidei. ibid.
CONCL. Objectum materiale fidei ſunt veritates omnes a Deo revelatæ. ibid.
An objectum fidei ſit aliquid ſimplex vel complexum. 28
Utrum objectum fidei divinæ debeat eſſe obſcurum & inevidens. 29
CONCL. Objectum fidei non debet neceſſario eſſe aliquid obſcurum & inevidens. 31
Solvuntur objectiones. 35
Utrum objectum materiale Fidei ſit ſemper verum. 40.
An Deus poſſit aliquid falſum hominibus revelare. ibid.
CONCL. Deus non poteſt mentiri & falſum revelare hominibus &c. ibid.
Solvuntur objectiones. 42
Utrum fides eſſe poſſit de objecto reipſa non revelato, quod a credente putatur revelatum. 46
CONCL. Falſum ſubeſſe non poteſt fidei ex parte credentis &c. ibid.
Solvuntur objectiones. ibid.
De objecto formali fidei. Quodnam ſit objectum formale fidei. 49
CONCL. Objectum formale fidei divinæ eſt revelatio Dei. 50
Solvuntur objectiones. ibid.
De Revelatione divina. 53
De Revelatione clara. Utrum Revelatio credendorum debeat eſſe clara & evidens. ibid.
CONCLUSIO. Revelatio divina, ſumpta ex parte revelantis, clara eſt & evidens; hoc eſt, clare & evidens oſtenditur a Deo revelata eſſe quæcunque credimus. 54
Solvuntur Objectiones 56
Utrum motiva credibilitatis ſint abſolute neceſſaria ad credendum. 58
CONCL. Ut aliquis prudenter credat res revelatas a Deo, debet clare & evidenter cognoſcere Deum revelaſſe, &c. ibid.
Utrum eodem actu credantur revelatio & res revelata. 60
I. CONCL. Quando cognoſcitur & creditur

Digitized by Google

ditur revelatio Dei velut præambulum fidei, tunc revelatio &c. 61
II Concl. Quando revelatio creditur per fidem, hoc eſt quando res revelata creditur, neceſſe eſt ut eodem actu res credatur revelatio ſaltem implicite. 62
Utrum per motiva credibilitatis myſteria fidei noſtræ reddantur evidenter credibilia. ibid.
Concl. Per motiva credibilitatis ..... myſteria fidei noſtræ redduntur evidenter credibilia ſimul, & credibiliora quam oppoſitum. ibid.
De Revelatione publica & privata. 64
Utrum ad fidem revelatio debeat eſſe publica. ibid.
I. Concl. Quandoque & in caſibus extraordinariis ſufficit ad finem privatam revelatio. ibid.
II. Concl. Ordinarie loquendo ad fidem revelatio debet eſſe publica, &c. 65
De Revelatione immediata & mediata. 67
Utrum propoſitiones mediate tantum revelatæ ſint de fide. ibid.
I. Concl. Propoſitiones improprie tantum loquendo deductæ ex aliis immediate revelatis, ſed ipſis proinde quoad ſenſum æquivalentes ſunt de fide. 68
II Concl. Concluſiones Theologicæ non ſunt de fide. 70
De revelatione implicita & explicita. 72
An & quomodo Revelatio creverit per ſucceſſionem temporum. 73
Concl. A Temporibus Chriſti & Apoſtolorum, non crevit fides noſtra per novas revelationes. 74
De ſubjecto fidei. Utrum fides ſit in intellectu vel in voluntate. 76
Concl. Actus fidei proprie loquendo pertinet ad intellectum, &c. 77
Utrum fides ſit in Hæretico. 79
Concl. Non eſt vera fides in Hæreticis. ibid.
Utrum fides remaneat in Beatis. 83
Concl. Non remanet fides in Beatis. ibid.
An fides ſit in dæmonibus. ibid.
Concl. Fides non eſt in dæmonibus. ibid.
De Regulis Fidei. 84
De Traditione. ibid.
Utrum per Scripturam ſacram admittendum ſit aliquod verbum Dei traditum ſeu non ſcriptum. ibid.
Concl. Admittendæ ſunt Traditiones divinæ &c. 85
Solvuntur objectiones e Scripturis petitæ. 92
Solvuntur objectiones ex ſanctis Patribus. 94
Solvuntur objectiones e ratione petitæ. 104
De Eccleſia. 112
Utrum Eccleſia ſit Judex controverſiarum. ibid.
I. Concl. Sacra Scriptura minus bene dicitur Judex controverſiarum. 113
II. Concl. Nemo Chriſtianus debet agnoſcere privatum judicium ſuum tanquam fidei &c. 117
III. Concl. Eccleſia eſt Judex controverſiarum fidei, abſolutus ſcilicet ac infallibilis, &c. 118
Solvuntur objectiones. 121
De Reſolutione fidei 125
De Habitu fidei. ibid.
I. Concl. Datur fides habitualis, ſeu fides eſt habitus. ibid.
II. Concl. Fides eſt virtus, quod quidem intelligitur de virtute intellectuali. 126
III. Concl. Fides eſt virtus infuſa & ſupernaturalis. ibid.
IV. Concl. Fides eſt una, hoc eſt, unus ſpecie habitus. 127
De actu fidei. ibid.
De actu interno fidei. ibid.
Utrum actus fidei ſit ſupernaturalis. ibid.
Conc. Actus fidei eſt ſupernaturalis, 128
An Judicium præcedens actum fidei ſit ſupernaturale. 129
Concl. Judicium de objecti fidei credibilitate eſt temere naturale. ibid.
Utrum actus fidei ſit diſcurſivus 130
Concl. Actus fidei per ſe & precise ſpe-

ſpectans non eſt diſcurſivus. ibid.
Utrum aſſenſus fidei ſit liber & meritorius. 131
Utrum actus fidei ſit certior qualibet ſcientia naturali. 132
Utrum actus fidei ſit neceſſarius & quomodo. 134
Utrum fides explicita in Chriſtum neceſſaria ſit neceſſitate medii ad ſalutem. 135
Concl. Fides explicita Chriſti Domini Salvatoris eſt neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem. ibid.
Solvuntur objectiones ex Scripturis & ratione petitæ. 140
Solvuntur objectiones ex SS. Patribus petitæ. 143
Utrum fides in Chriſtum neceſſario ſit ad juſtificationem conſequendam. 150
Utrum ante Incarnationis tempus, fides in Chriſtum fuerit neceſſaria. 151
Concl. Fides in Chriſtum neceſſaria fuit ſingulis hominibus adultis, cujuſque forent conditionis etiam ante Incarnationis tempus, 152
Utrum alia præter Incarnationem Myſteria credere neceſſe ſit. 153
I. Concl. In ſtatu legis naturæ nonnulla credere neceſſe fuit, &c. ibid.
II. Conc. In ſtatu legis ſcriptæ fuit quoque neceſſarium multa credere, &c. 154
III. Concl. In præſenti gratiæ ſtatu fides Incarnationis & aliorum Chriſtianæ religionis Myſteriorum neceſſaria eſt ad ſalutem, ibid.
An conveniens fuerit præcipuos fidei articulos in Symbolo diſtinguere. 155
Concl. Conveniens fuit in Symbolis articulos fidei deſcribere. ibid.
De externo fidei actu. 157
Utrum externa fidei confeſſio præcepta ſit & quomodo. ibid.
An liceat fidem negare. ibid.
Concl. Nullo ſigno externo licet fidem negare. 158
Utrum liceat falſam religionem ſimulare. ibid.
Concl. Non licet idololatriam vel falſam religionem ſerio ſimulare. ibid.
An & quomodo obliget præceptum affirmativum confitendi fidem. 163
De vitiis fidei oppoſitis. 164
De infidelitate. ibid.
Utrum infidelitas ſit peccatum. ibid.
Concl. Infidelitas negativa non eſt peccatum. 165
Utrum liceat cum Infidelibus communicare. 168
An liceat cum Infidelibus diſputare. 169
Utrum tolerari debeant ritus Infidelium. 170
Utrum Principes infideles ſuum ſervent dominium in ſubditos fideles. 172
An liceat infideles cogere ad fidem amplectendam. ibid.
Concl. Infideles adulti cogi non debent ad fidem ſuſcipiendam. 173
De Hæreſi. 174
Quid ſit Hæreſis. ibid.
Utrum excommunicationem incurrant Hæretici; ubi variæ definiuntur propoſitionum qualificationes. 175
Utrum pœna temporali juſte puniantur Hæretici. 176
Concl. Juſte & licite pœnis temporalibus afficiuntur Hæretici. ibid.
De Apoſtaſia. 180
De Blaſphemia in Spiritum Sanctum. 181
APPENDIX *de veritate religionis Chriſtianæ.* 182
Concl. Vera & vere divina eſt religio Chriſtiana quam profitemur. ibid.
Primum momentum petitur ex eo quod annuntiata & prædicta fuerit longe antequam naſceretur. ibid.
Secundum argumentum ducitur a modo quo propagata fuit fides Chriſtiana. 183
Tertium momentum ducitur a præſtantia & rectitudine Doctrinæ Chriſtianæ. 185
Quartum momentum ducitur ex miraculis Chriſti. 186
Solvuntur objectiones. 190
Expenditur momentum quo ducitur ex teſtimonio Joſephi Judæi de Chriſto. 199
Concl.

Digitized by Google

Conc. Præfatum de Chriſto Joſephi Teſtimonium non eſt ipſi ſuppoſitum, ſed jure ac veriſimiliter creditur legitimus illius fœtus, ibid.
Expenditur momentum quod petitur ex carminibus Sibyllarum. 204
Conc. Quæ apud nos extant Sibyllarum carmina non ſunt genuinum illarum opus, &c. 207
Solvuntur objectiones, 211

Tractatus de Spe.

Quid ſit Spes. 224
De Objecto Spei. 225
De Subjecto Spei. 227
De Proprietatibus Spei. 228
De Neceſſitate Spei. ibid.
Di Certitudine Spei. 229
Spei Diviſio in formatam & informem. 230
De peccatis in ſpem pugnantibus. 232
De Timore. ibid.
Conc. Timor ſervilis de ſe bonus eſt. 233

Tractatus de Charitate.

Quid ſit Charitas 236
De Objecto Charitatis. 238
De Subjecto Charitatis. 239
De Proprietatibus Charitatis ibid.
Utrum Charitas ſit amicitia. ibid.
Utrum Charitas augeri poſſit & minui. ibid.
Utrum Charitas totaliter amitti poſſit. 240
Utrum Charitas ſit neceſſaria & quomodo. 241
Unde repetenda ſit Charitatis perfectio. ibid.
APPENDIX *de amore puro.* 242
Conc. Præfatum de Amore puro Syſtema rejici debet tanquam erroneum & in praxi perniciosum. 243
Solvuntur objectiones. 250
BULLA Innocentii XI. adverſus Molinos. 258
BULLA Innocentii XII. adverſus Fenelonem Archiepiſc. Camerac. 264

FINIS.

INDEX
RERUM ET MATERIARUM LOCUPLETISSIMUS
ORDINE ALPHABETICO DIGESTUS.

A

ADam antequam peccatum patraret habuit veram fidem. Pag. 84
Amor purus : Michaelis Molinos de amore puro propoſitiones damnatæ, quæ fuerint ab Innoc. XI. 242
Eamdem doctrinam de amore puro continent quamplura opuſcula Fenelonj, & quæ. ibid.
Hujus doctrina damnata ab Innocent. XII. ibid.
Bulla Pontificis cum Propoſitionibus Molinos. 256
Bulla Pontificis altera cum propoſitionibus Fenelonii. 264
Quæſtio eſt tantum de amore puro habituali, utrum detur ſtatus habitualis juſtorum, qui Deum ament, nullo unquam admixto proprii commodi, vel etiam æternæ beatitudinis motivo. 242
In ſyſtemate Molinos amor purus conſtituit totam vitam interiorem. 243
Præfatum de amore puro ſyſtema rejici debet, tanquam erroneum; & in praxi periculoſum. ibid.
Genus quoddam perfectionis plane inauditum, Scripturis & SS. Patribus, contrarium introducebat. ibid.
Hoc poſito ſyſtemate pro juſtis & perfectis inutilis eſt ſpes. 245
Theologi omnes docent charitatem tendere in Deum, quatenus eſt noſtræ beatitudinis objectum ſaltem ſecundarium. 247
In ſyſtemate amoris puri ſequitur perfectos vivere poſſe in indifferentia ſuæ ſalutis, quod certe abſurdum eſt. 249
Sequitur illos nunquam cogitare de Chriſto Salvatore, & ejus Myſteriis. ibid.
Nec Moyſes, nec Paulus abnegarunt propriam ſalutem æternam, ſed ſolum vitam corporis. 250
SS. Patres dum dicunt Deum eſſe amandum amore puro, & non propter mercedem loquuntur de mercede quæ ſit alia ab ipſius Dei poſſeſſione. 252
Falſum eſt ſalutis deſideria haberi a Patribus veluti imperfecta. 253
Fautores amoris puri confundunt objectum amoris Dei cum ſubjecto. 254
Angelus : antequam peccaret in Angelo fuit vera fides. 84
Apoſtaſia quot modis ſumatur a Theologis, & Canoniſtis. 180
Communiter ſumitur pro dejectione a fide. 181
Eſt quædam infidelitatis ſpecies. ibid.
In quo differat ab hæreſi. ibid.
Eadem pœna ſubjicitur, ac hæreſis. ibid.
Apollonius Thyanæus : falſa ſunt omnino prodigia de ipſo narrata a Philoſtrato. 196

Apo-

Apoſtoli ſi in Paſſione Domini fidem amiſerunt in Chriſtum, profecto fidem omnem quoad omnes alios articulos perdiderunt. 80
Cum Evangelium prædicarunt per Orbem non omnia fidei Myſteria ſcriptis tradere voluerunt ſingulis de plebe hominibus, ſed ſolis Eccleſiæ Paſtoribus commiſerunt. 91
Admirabilis fuit propagatio Chriſtianæ Religionis per Apoſtolos. 185
Articuli Fidei quinam dicantur. 155
Conveniens fuit in Symbolis articulos fidei deſcribere. 155
Cur in Symbolis non fiat mentio de nonnullis fidei Myſteriis. 156

B

Beatus: fides non remanet in Beatis. 83
Sed non quia repugnet cum clara eorumdem viſione. 38 83
Sed potius quia omnino ſuperflua. ibid.
Blaſphemia quid ſit. 181
Quid ſit blaſphemia in Spiritum Sanctum. ibid.
Quomodo differat ab infidelitate. ibid.
Quomodo opponatur fidei Catholicæ. ibid.

C

Centurio an habuerit fidem in Chriſtum Dominum, antequam ad eum veniſſet Petrus. 140
Certitudo quotuplex ſit. 132
An certitudo quæ convenit actui fidei, ſit major illa, quæ convenit actui ſcientiæ naturalis. 133
Actus fidei non eſt certior quolibet alio actu certitudine objectiva. ibid.
Bene vero certitudine medii. ibid.
Loquendo de certitudine ſubjectiva actus fidei divinæ eſt quandoque minus certus, quam actus ſcientiæ naturalis per accidens tantum, & ex defectu ipſius ſubjecti. ibid.
Major tamen eſt certitudo qua homo per fidem adhæret huic propoſitioni -- *Deus eſt trinus in perſonis*, quam huic: *totum eſt majus ſua parte*. 134
Charitas: quot modis hoc nomen ſumi poſſit. 236
Definitur virtus infuſa Theologica, qua Deum ut ſummum bonum in ſe & propter ſe diligimus. 237
Abſurda eſt, Scripturæ ac definitionibus Eccleſiæ contraria illa Petri Lombardi ſententia, qua docet charitatem non eſſe creatum quid, ſed ipſum ſubſtantialiter Spiritum Sanctum. 237
Objectum materiale charitatis eſt Deus. 238
Objectum vero formale eſt bonitas Dei, ſeu ſumma ejus perfectio. ibid.
Alii præter Deum ſunt vera charitate diligendi. ibid.
Subjectum remotum charitatis eſt homo, proximum voluntas. 239
Charitas qua Deum diligimus eſt vera amicitia inter Deum & hominem. 239
Augeri poteſt, & revera actu augetur, & quando. 239
Deus ſolus effective concurrit ad charitatis augmentum. 240
Charitas non imminuitur per actus bonos remiſſiores. ibid.
Amittitur per peccatum mortale. ibid.
Neceſſaria eſt charitas ſeu dilectio Dei. 241
Charitas erga Deum debet eſſe ſuper omnia appretiative. ibid.
Plu-
Digitized by Google

Plures ſunt caſus in quibus tenemur emittere actus charitatis erga Deum. ibid.
Unde repetenda ſit charitatis perfectio. (Vide amor purus) ibid.
Chriſtus Dominus: Fides explicita in Chriſtum Dominum Salvatorem eſt in præſenti ſtatu neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem. 133
Eſt quoque neceſſaria ad juſtificationem. 150
Fuit etiam neceſſaria ſingulis adultis ante incarnationis tempus. 152
Chryſoſtomus non docuerit homines ante Chriſti adventum potuiſſe ſalvari ſine ulla fide in Chriſtum. 146
Clemens Alexandrinus quo ſenſu dicat Ethnicos Philoſophos potuiſſe per Philoſophiam ſalvari. 144
Concilium Generale totam Eccleſiam ræpreſentat. 121
Eſt controverſiarum Fidei judex abſolutus, & infallibilis. 118
Quomodo priora Concilia poſterioribus emendentur. 122
Undenam innoteſcat aliquod concilium eſſe genuinum, necne. 122
Judicium Epiſcoporum in Concilio Generali congregatorum eſt judicium hominum ſed cui præeſt Spiritus Sanctus. ibid.
Reſpondetur argumento interpolationis, & corruptionis actuum Conciliorum. 123
Concluſio Thelogica non eſt de fide. 70
Sumpta nimirum formaliter prout eſt concluſio. 71
Confeſſio Fidei externa an ſit præcepta & quomodo. 157
Nullo ſigno externo licet Fidem negare. 158
Non licet Idololatriam, vel falſam religionem ferio ſimulare etiam in eo caſu, in quo non inſtat præceptum affirmativum confeſſionis fidei. 158
Præceptum affirmativum confeſſionis fidei non obligat ſemper, & pro ſemper, ſed obligat aliquando, & in certis occaſionibus. 163
Fidei confeſſio eſt neceſſaria quotieſcumque ex ejus omiſſione aliqua Deo irrogaretur injuria, vel aliquod detrimentum pateretur proximus. 169

D

Damnatus: nec in damnatis eſt vera fides. 83
Dæmon: in dæmonibus non eſt vera fides. ibid.
Deſperatio præceptum de non deſperando obligat ſemper, & omni tempore. 229
Quid ſit deſperatio. 232
Deus: Deum mentiri poſſe, & falſum annuntiare hominibus impie affirmarunt Priſcillianiſtæ. 40
Nonnulli vero Theologi eo temeritatis devenere, ut affirmarent ſaltem de potentia abſoluta poſſe Deum falſum dicere, & revelare. ibid.
Deus ita eſſentialiter verax eſt, ut nec de potentia abſoluta poſſit vel per ſe, vel per alium, vel directe, vel indirecte mentiri, & falſum revelare hominibus. ibid.
Explicantur multa Scripturæ loca, quæ falſa videntur & ſibi contradicentia. 42
Explicantur alia in quibus futura prædixerat Deus, & nunquam evenerunt. 43
Mendacia Patriarcharum non objiciunt veritati Scripturæ. ibid.
Quomodo Deus in Scripturis ſe hominem decepturum profiteatur errorem, & mendacium Prophetis inſpirando. 44

 Nun-

Digitized by Google

Nunquam Deus uſus eſt æquivocatione in ſuis ſermonibus. ibid.
Falſum revelare Deò utpote ſumme veraci per eſſentiam repugnat. 45
De certitudine revelationis Dei. (Vide revelatio divina.)

E

Eccleſia: Objectum materiale fidei noſtræ, ſunt veritates a Deo revelatæ prout nobis proponuntur ab Eccleſia credendæ. 27
Ad fidem revelatio debet eſſe ordinarie loquendo per proportionem, & auctoritatem Eccleſiæ teſtificantis. 65
Nobis certo conſtat Eccleſiam, cujus teſtimonio adhæremus veram eſſe Chriſti Eccleſiam infallibilis auctoritatis. 66
Perpetua fuit Eccleſiæ praxis nihil unquam in Conciliis generalibus definire, niſi quod in Scripturis, & traditione continebatur. 74
Eccleſia non condit novos fidei articulos. ibid.
De Eccleſia honorifice ſenſit quiſquis credit, ei definienti veritates fidei aſſiſtere Spiritum Sanctum. 76
Variæ Eccleſiæ conſuetudines confundi non debent cum conſtitutionibus Apoſtolicis. 108
Eccleſia ſumitur dupliciter, & late pro cætu univerſo Fidelium, & minus late pro ſolis Paſtoribus. 112
An Eccleſia ſit Judex controverſiarum. ibid.
De quo judicio hic agatur. 113
Quodnam negent Novatores. ibid.
Eccleſia eſt Judex controverſiarum fidei abſolutus, & infallibilis. 118
Talem regiminis Eccleſiaſtici formam præſcripſit Jeſus Chriſtus. ibid.
Et olim demandaverat Deus Judæis. ibid.
Probatur etiam ex conſtanti, & perpetua Eccleſiæ praxi. ibid.
Nec non ex Patrum unanimi conſenſu. 119
Eccleſia eſt infallibilis, & numquam erravit. 122
Non formatur circulus vitioſus probando Scripturam per Eccleſiam & viciſſim. 123
Fides noſtra ultimo reſolvitur in auctoritatem Eccleſiæ. 125
Hæretici per caracterem Baptiſmi manent aliquo modo ſubjecti Eccleſiæ. 180
Æquivocatio: Chriſtus Dominus uſus non eſt æquivocatione cum ſuis diſcipulis. 44
Propoſitiones damnatæ ab Innocentio XI. circa uſum æquivocationis. 45
Evangelia, quæ apud nos hodie extant ſunt Evangeliſtarum opera, nec ab aliquo impoſtore primis Eccleſiæ temporibus fabricata. 191
Evangeliſtæ decepti non fuere in narrandis Chriſti miraculis. 193
Nec ipſi alios decipere voluerunt. ibid.
Evidentia triplex diſtinguitur. 33
Plures ſunt veritates, quæ non ſunt præambula fidei, ſed totidem fidei noſtræ articuli, & non ſunt evidentes evidentia teſtimonii etiam reſpectu noſtri, qui nunc vivimus. 33
Revelatio divina ſumpta ex parte revelantis clara eſt, & evidens. 54
Excommunicatio eſt pœna Canonica. 175
Jure & de facto inflicta in hæreticos. ibid.
Eam tamen non incurrunt hæretici occulti, qui nimirum exterius hæreſim ſuam non manifeſtarunt. 176

Fe-

F

Fenelonius in variis ſuis Operibus fanaticum amorem Dei purum extollit ut ſolam vitæ interioris perfectionem. 242
Variæ ejuſdem propoſitiones exceptæ ex ejus Opuſculo, damnatæ ab Innoc. XII. 242
Bulla ejuſdem Pontificj ſuper hoc. 264
Fuga ex perſecutione non eſt argumentum negationis fidei, nec eſt mala & illicita. 163
Paſtoribus tamen quandoque non eſt licita. ibid.
Fides: multis modis ſumitur nomen fidei. 15
Sumitur hic pro aſſenſu dato veritatibus ab aliquo reſervatis. 16
An definitio fidei tradita ab Apoſtolo ſit accurata. ibid.
Calvinus fidem Chriſtianam, quæ in Scripturis commendatur non aliud eſſe vult, quam certam in promiſſiones Dei fiduciam. 18
Triplicem diſtinguit fidem hiſtoricam, miraculoſam, & promiſſionum. ibid.
Verum fides Chriſtiana, quæ paſſim commendatur in Scripturis tamquam juſtificans, & ad ſalutem neceſſaria, male dicitur poſita in quadam fiducia hominum in divinas promiſſiones, ſed dici debet firmus aſſenſus, quo creduntur veritates a Deo revelatæ. 19
Quid ſit fides informis, quid fides formata. 21
Calvinus docuit nullam dari fidem informem. ibid.
Non eſt hic Quæſtio de nomine ut nonnulli contendunt etiam Catholici. 22
Contra Novatores probatur dari veram fidem ſine Charitate. ibid.
Definitum hoc fuit a Tridentino. 23
Amiſſa gratia amittuntur omnes virtutes morales, ſeu non intellectuales, qualis eſt fides Theologica. 25
Per ſolam infidelitatem amittitur fides. ibid.
Fides informis remanens in peccatoribus ſine charitate eſt virtus, ac donum Dei. ibid.

De Fide Objecto.

Objectum Fidei aliud materiale, aliud formale. 26
Objectum materiale fidei ſunt veritates omnes a Deo revelatæ. 26
Quæ continentur in verbo Dei ſcripto, vel tradito. 27
Fidei objectum non eſt ſolus Deus. ibid.
Neque omne, & quodlibet a Deo revelabile. ibid.
Neque eſt actus meritorius. 27
Objectum fidei proprie loquendo non ſunt res ſimplices, aut ſimplicia vocabula, ſed enunciationes, aut potius res per enuntiationes ſignificatas. 28
Opinio Ariminenſis de complexo enuntiabili, quod ſit fidei noſtræ objectum eſt omnino abſurda ac plane inintelligibilis. 29
An Objectum fidei divinæ debeat eſſe obſcurum & inevidens. ib.
Deceptio Theologorum circa hanc quæſtionem. 30
Objectum fidei non debet neceſſario eſſe aliquid obſcurum & inevidens. 31
Multæ ſunt veritates claræ & evidenter cognitæ vel beneficio ſenſuum, vel per demonſtrationes Philoſophicas, quæ tamen ſunt a Deo revelatæ, & credendæ omnibus fidelibus præcipiuntur ab

ab Eccleſia. 31
Valde temeraria eſt eorum opinio qui aſſerunt Philoſophos & doctores non teneri fide divina credere Deum exiſtere, unum eſſe, quia per ſcientiam clare, & evidenter norunt. 32
Probatur etiam adverſus D. Thomam plures eſſe veritates, quæ non ſunt præambula fidei, ſed vere & proprie articuli fidei, & tantum ſunt evidentes evidentia teſtimonii. 33
In Thomiſtarum opinione ſequeretur Philoſophum qui clare novit exiſtentiam Dei, nunquam poſſe de eadem elicere actum fidei. 34
Solvuntur Objectiones. 35
Ex Scripturis & Patribus conſtat fidem eſſe plerumque de obſcuris, non vero ſimpliciter & quoad ſingula ſui obiecti capita. 36
Meritum habetur etiam credendo veritates per ſcientiam clare cognitas. ibid.
Liberum tamen ſemper manet homini credere veritates propoſitas, etſi ſint evidentes. 37
Cur fides dicatur non eſſe in Beatis. 38
Ex noſtra ſententia non ſequitur intellectum clare ſimul & obſcure cognoſcere eamdem veritatem. 39
Objectum materiale fidei eſt ſemper verum. 40
Deus enim non poteſt aliquod falſum revelare hominibus. ibid.
Falſum ſubeſſe non poteſt fidei ex pacto credentis, hoc eſt fide divina non creditur, quod reipſa non eſt a Deo revelatum, tametſi errore facti hoc ipſum a credente putetur revelatum. 46
Diſcrimen inter virtutes intellectus & voluntatis relate ad excludendum falſum a ſuis objectis. 47
Certum eſt aſſenſum fidei divinæ numquam poſſe eſſe falſum. 48
Habitus fidei numquam poteſt inclinare ad falſum. 49
Objectum Formale Fidei quid ſit. ibid.
Non eſt confundendum cum motivo aſſentiendi. ibid.
Objectum formale fidei divinæ eſt revelatio Dei 50
In fidei reſolutione, & Analyſi nullus ſit proceſſus in infinitum, etſi revelatio ſit ratio formalis ſub qua fides ſuum attingit objectum. 52
Veracitas Dei non eſt objectum formale fidei. 52
De revelatione divina quæ eſt objectum formale fidei. 50
Objectum fidei in Judæis crevie non modo per majorem in dies explicationem, ſed per novas etiam revelationes. 73
Adeoque ab Adamo ad Chriſtum non eadem fuit fides in Judæis fidelibus. 73
Quo ſenſu dicat Apoſtolus Patriarchas habuiſſe eumdem fidei ſpiritum. 74
A temporibus Chriſti & Apoſtolorum non crevit fidei noſtræ objectum, ſeu fides noſtra per novas revelationes. ibid.

De Subjecto Fidei.

Actus fidei proprie loquendo pertinet ad intellectum. 77
Eſt ab intellectu elicitus non a voluntate. ib.
Pertinet ad voluntatem ut imperantem. ibid.
Durandus putat reperiri poſſe veram fidem in hæreticis reſpectu articulorum in quibus non errant. 79

Com-

Communis tamen Theologorum eſt ſententia duce D. Thoma non eſſe veram fidem in hæreticis. ibid.
Nec in Beatis remanere. ibid.
Nec eſſe in Dæmonibus, & Damnatis. ibid.
In Angelis autem, & primo homine, antequam peccarent fuit vera fides. ibid.
Regulæ fidei quotnam enumerandæ. 84
Fides noſtra reſolvitur ultimo in auctoritatem Eccleſiæ. 125
Et aliquo modo ulterius in motiva credibilitatis. ibid.

De Fide Habituali.

Datur fides habitualis. ibid.
Neque certe inutilis eſt dicendus habitus fidei; licet actus abſolute elici poſſit ab homine fidei habitum non habente. 126
Eſt virtus intellectualis. ibid.
Et quidem infuſa ac ſupernaturalis. ibid.
Eſt unus ſpecie habitus fidei, & in ſingulis fidelibus. 127

De Fide Actuali.

Quid ſit actus Fidei internus. ibid.
Per ſe, & præciſe conſideratus eſt ſupernaturalis. ib.
Actus voluntatis aſſenſum intellectui præcipientis ad actum fidei maxime pertinet. 128
Qui pariter voluntatis actus eſt ſupernaturalis. ibid.
Judicium præcedens actum fidei, quod verſatur circa motiva credibilitatis eſt mere naturale. 129
Actus fidei per ſe, & præciſe ſpectatus non eſt diſcurſivus. 130
Eſt liber. 131
Eſt meritorius. 132
Actus fidei formatæ eſt meritorius de condigno, actus fidei informis non eſt meritorius de condigno, bene vero de congruo. 132
Actus fidei non eſt certior quolibet alio ſcientiæ naturalis, ſi ſermo ſit de certitudine objectiva. 133
Bene vero eſt certior certitudine medii. ibid.
Quandoque autem per accidens, & ex defectu ſubjecti, actus fidei divinæ eſt minus certus certitudine ſubjectiva quam actus ſcientiæ naturalis. 133
Certius tamen & firmius per fidem ad hæret huic propoſitioni: *Deus eſt trinus in perſonis*; quam huic ratiocinio omnibus noto *Totum eſt majus ſua parte*. 132

De Necessitate actûs Fidei.

Quotuplex ſit neceſſitas actus fidei. 134
Quid ſit fides explicita, & implicita. ibid.
Hæc diviſio vanum non eſt & ſubtile Theologorum commentum. ibid.
Fides explicita Chriſti Domini Salvatoris in præſenti ſtatu eſt neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem. 133
An Centurio habuerit fidem in Chriſtum 140
Solvuntur objectiones ex Patribus deductæ. 143
Quo ſenſu Juſtinus. Clem. Alex: & Chriſoſtomus aſſerant Gentiles potuiſſe ſalvari. ibid.
Fides in Chriſtum neceſſaria eſt ad juſtificationem conſequendam. 150
Tenetur homo quam ſæpiſſime elicere actus fidei, ſed præcipue eam urget præceptum aliquod, quod

quod ſine aliquo fidei actu impleri non poteſt. 151
Fides in Chriſtum neceſſaria fuit ſingulis hominibus adultis cujuſcumque forent conditionis ante Incarnationis tempus. 152
In ſtatu Legis naturæ nonnulla credere neceſſe fuit, quænam illa, determinari difficilius poteſt. 153
In ſtatu legis Moyſis fuit quoque neceſſarium multa credere, quæ ad ſalutem ordinabantur. 154
In præſenti ſtatu gratiæ ſupponendo Evangelium ſufficienter promulgatum ad ſalutem conſequendam non modo neceſſaria eſt fides Incarnationis, ſed & aliorum etiam multorum Chriſtianæ Religionis Myſteriorum. 154
Quid ſit externus fidei actus. 157
Eſt de ſe bonus & honeſtus, & eſt actus virtutis fidei pertinens ad fidem. ibid.
Quid intelligatur, ſi ſit conjunctus cum actu interno Fidei. ibid.
Vitia oppoſita Fidei quænam ſint. (vide Infidelitas, Hæreſis &c.) 164

G

Gentilis, qui non habet fidem in Chriſto eſt ab æterna ſalute excluſus. 141
Neque id repugnat divinæ juſtitiæ. 142
Neque temerarium eſt id aſſerere. 143
Juſtinus ſolum affirmavit Gentiles Philoſophos fuiſſe Chriſtianos, ſecundum quid & improprie. 144
Clemens Alexandrinus aſſerit tantum Philoſophiam in nonnullis Gentilibus Philoſophis fuiſſe viam ad ſalutem. 144
Chriſoſtomus contendit ante Incarnationis tempora fidem in Chriſtum claram, & explicitam non fuiſſe neceſſariam adeoque Gentiles, qui bene vixerunt potuiſſe conſequi vitam æternam. 147

H

Hæreticus materialiter talis in aliquo articulo non amittit fidem in aliis. 79
Bene vero qui formaliter negat aliquem fidei articulum. ib.
Contrarium aſſeruit Durandus. ib.
Hæretici non habent niſi ſpeciem, & apparentiam fidei. 81
Quomodo habitus ſupernaturalis fidei in hæretico deſtruatur per unum actum vitii contrarii. ib.
Hæreticus non poteſt ex motivo teſtimonii Eccleſiæ aliquem articulum credere. 82
Decretalis de vitandis hæreticis non ſemper, & eodem modo viguit in Eccleſia. 168
Licitum non videtur Laicis diſputare de rebus fidei cum hæreticis. 169
Bene vero licet Paſtoribus ſi ſint docti, & prudentes. 170
Quid ſit hæreſis. ibid.
Una ex pœnis canonicis, quibus puniuntur hæretici eſt excomunicatio. 175
Hæc eſt de jure lata in hæreticos. 175
Non inde tamen colligitur hæreticos eſſe jure divino excommunicatos. 176
Pœnam excommunicationis non incurrunt hæretici occulti, qui nimirum exterius hæreſim ſuam non manifeſtant. ibid.
Quid ſit propoſitio hæretica. (vide Propoſitio) ibid.
Juſte & licite pœnis temporalibus afficiuntur hæretici pervicaces, qui

qui falſam doctrinam ubique diſſeminant. ibid.
Solvuntur objectiones olim factæ a Donatiſtis. 179
Hæretici ſunt membra Eccleſiæ licet putrida, & amputata. 180
Manent aliquo modo Eccleſiæ ſubjecti per characterem Baptiſmi. ibid.
Pia & laudabilis eſt praxis Eccleſiæ comburendi libros hæreticorum. ibid.
Habitus quid ſit, & quotuplex. 3
Alius naturalis, alius ſupernaturalis, alius acquiſitus, alius infuſus. 4
Calvinus & Novatores rejiciunt habitus ſupernaturales infuſos. ibid.
Hos ſequutus eſt Albertus Pighius, cæteroquin vir Catholicus. 5
Dantur revera habitus ſupernaturales infuſi, hoc eſt qualitates vere permanentes ab actibus diſtinctæ. ibid.
Probatur aſſertio ex Scripturis & Patribus. ibid.
Nec non ex Concilio Viennenſi. 6
Sed potiſſimum ex Tridentino. 7
Ac demum nonnullis rationibus Theologicis. ibid.
Vaſqueſii opinio circa quæſtionem an de fide ſit dari habitus ſupernaturales infuſos. 8
Alii volunt id non fuiſſe de fide ante Concilium Tridentinum. 11
Suarez contendit id fuiſſe ſemper de fide, ſed non fuiſſe definitum niſi a Tridentino. 12
Negari nequit hanc fuiſſe Conciliorum Viennenſis & Tridentini doctrinam, gratiam ſanctificantem in juſtificatis, uti & alias virtutes eſſe quamdam qualitatem permanentem & infuſam. ibid.
Sed a neutro Concilio fuit expreſſis verbis definitum gratiam & virtutes, quæ conferuntur in juſtificatione eſſe habitus, ſtricte ſumpto nomine habitus. ib.
Solvuntur argumenta Vaſqueſii volentis non eſſe neceſſe admittere habitum ad explicandum hominum juſtorum ſanctitatem. 13
De quo hac in re dubitavit Innoc. III. 13
Utrumque Concilium abſtinuit a voce habitus. 14
Aliud eſt dari gratiam ſanctificantem, quæ ſit permanens & in infantibus, aliud quod illa gratia ſit habitus proprie dictus inclinans ad actus ſibi proprios. 14
Fides eſt habitus & quidem infuſus & ſupernaturalis. 125
Ac unus ſpecie in omnibus. 127

I

INcarnatio: Incarnationis Myſterium debet explicite credi ad ſalutem. 133
Infidelitas: Per infidelitatem amittitur fides. 79
Quid ſit infidelitas. 164
Alia poſitiva, alia negativa. ibid.
Infidelitas negativa in iis omnibus univerſim, qui de fide Chriſtiana, & de Chriſto nihil unquam audiverunt non eſt peccatum. 165
In multis infidelibus ignorantia myſteriorum Fidei eſt invincibilis. 166
Licitum eſt communicare cum Infidelibus in his quæ ad Religionem non pertinent. 168
Id tamen non eſſe licitum, ſi quid inde ſcandali proveniat. ibid.
Non licet tamen cum his communicare in iis quæ Religionem eorum ſpectant. 169
Si res quæ ſuppeditantur Infidelibus

bus ſint de ſe inidifferentes ad hunc vel illum uſum, Chriſtiani non peccant eas ſubminiſtrando. 169
Licitum non videtur Laicis diſputare de rebus Fidei cum Infidelibus. ibid.
Bene vero Paſtoribus ſi ſint docti & prudentes. ibid.
Tolerandi ſunt ritus eorum Infidelium qui Chriſtianorum Principum poteſtati non ſunt ſubjecti. 170
Tolerandi etiam aliquando poſſunt a Principibus Chriſtianis ritus Infidelium ſubditorum, ſi nimirum id poſtulet Eccleſiæ utilitas. ibid.
Infidelis: Non licet Principibus Chriſtianis Infidelium terras invadere aperto Marte eo ſolum quod Infideles ſint. 171
Principes Infideles ſuum ſervant dominium in ſubditos fideles. 172
Infideles adulti, qui fidem Chriſtianam nunquam profeſſi ſunt, cogi non debent ad fidem ſuſcipiendam. 173
Apoſtaſia eſt quædam Infidelitatis ſpecies. 181
Quomodo differat a blaſphemia in Spiritum Sanctum. 181
Intellectus: ad ipſum proprie loquendo pertinet actus fidei. 77
Joſephus Judæus: ejus teſtimonium de Chriſto Domino non eſt ipſi ſuppoſitum, ſed creditur legittimus illius fœtus. 195
Textus ille non interrumpit narrationem hiſtoricam Joſephi. 201
Solvuntur objectiones Tanaquilli Fabri. ibid.
Cur veteres Chriſtianæ Religionis Apologiſtæ nullam fecerint mentionem de teſtimonio Joſephi. 202
Expenduntur auctoritates Origenis & Phothij contra allatum Joſephi teſtimonium. 204
Judæi: horum fides ab Adamo uſque ad Chriſtum erevit non modo per majorem in dies explicationem, ſed quia objectum fidei eorum crevit per novas revelationes. 73
Quando in Chriſtum Meſſiam credere noluerunt, fidem amiſerunt. 82
Cur Judæi omnes non fuerint converſi videndo miracula Chriſti. 194
Judex controverſiarum Fidei non bene dicitur Scriptura. 113
Quænam conditiones requirantur in Judice controverſiarum Fidei. ibid.
Nemo Chriſtianus debet agnoſcere privatum judicium ſuum tamquam Fidei controverſiarum Judicem. 117
Eccleſia eſt controverſiarum Fidei judex abſolutus ac infallibilis. 118
Judicium duplex eſt aliud diſcretionis, aliud juriſdictionis. 112
An hoc ſecundum competat Eccleſiæ. ibid.
Judicium privatum uniuſcujuſque nequit eſſe judex controverſiarum fidei. 117
Judicium de objecti fidei credibilitate eſt mere naturale. 129
Juſtinus: quo ſenſu Gentiles Philoſophos in primis vero Socratem, & Heraclitum dicat quodammodo Chriſtianos eſſe. 143

M

Mahometes: falſa ſunt omnia miracula, quæ ipſi tribuuntur ab ejus ſectatoribus. 197
Mendacium Deo utpote ſumme veraci per eſſentiam repugnat. 40
Ex mendaciis Patriarcharum, quæ leguntur in Scripturis nihil colligi-

ligitur adverſus Dei veracitatem. 43
Nullum mendacium eſt licitum in materia Religionis. 160
Miracula Chriſti, certum ex iis argumentum eruitur ad aſſerendam Chriſtianæ Religionis veritatem. 186
Probatur ea quæ narrantur a ſacris ſcriptoribus verè fuiſſe a Chriſto Domino edita, nec falſo ipſi a ſacris hiſtoricis adſcripta. 187
Solvuntur argumenta adverſus Chriſti miracula. 190
Oſtenditur Evangeliorum authenticitas. 191
Cur Chriſti miracula a nullo alio hiſtorico præter ejus diſcipulos & ſectatores reperiantur ſcripta. 192
Evangeliſtæ decepti non fuere in narrandis Chriſti miraculis. ib.
Cur omnes Judæi per Chriſti miracula ejus ſectam amplexi non fuerint. 194
Inſania manifeſta eſt comparare miracula Chriſti cum prodigiis quæ referuntur patrata a Veſpaſiano, Apollonio, & Mahomete. 195
Miracula a Chriſto patrata, non magica arte, aut naturali virtute aut humana induſtria ſed divina facta fuere. 198
Diſcrimen quod interfuit inter miracula Moyſis & ea quæ a Magis fieri viſa ſunt. ib.

Molinos Michael Quietiſmi fuit renovator. 242
Ejus propoſitiones de Amore puro quæ. ibid.
Bulla Innocentii XI. has propoſitiones damnans. 256

Motivum credibilitatis noſtræ eſt revelatio divina. 55
Extraordinarie fieri poteſt, ut quis ad credendum duceretur nullo coactus argumento & motivo credibilitatis, ſed non ordinarie loquendo. 59
Quænam ſint motiva credibilitatis reſpectu hominum de plebe & Illiteratorum. ib.
An fidem eſſe ex auditu excludat motivum credibilitatis. 60
Per motiva credibilitatis, quibus oſtenditur Deum revelaſſe quicquid a nobis credendum proponitur, myſteria fidei non redduntur evidenter credibilia, ſimul & credibiliora, quam oppoſitum. 63
Fides Catholica aliquo modo reſolvitur in motiva credibilitatis. 125
Judicium de motivis credibilitatis fidei, quicquid præcedit actum fidei eſt mere naturale. 129

Myſteria Fidei: per motiva credibilitatis, quibus evidenter oſtenditur Deum revelaſſe quicquid a nobis credendum proponitur Myſteria Fidei noſtræ redduntur evidenter credibilia, ſimul & credibiliora, quam oppoſitum. 63
Quænam Myſteria Fidei non ſunt evidenter vera, ſed ſunt evidenter credibilia. ibid.
Etſi myſteria fidei noſtræ ſint evidenter credibilia non requiritur quod omnes illa credant, & illorum evidentem credibilitatem percipiant. 64
Non omnia Fidei Myſteria ſcriptis tradere voluerunt Apoſtoli. 91
Neceſſarium eſt neceſſitate medii ad ſalutem in præſenti ſtatu habere fidem explicitam Myſterii Incarnationis. 133
Sed & aliorum etiam multorum Chriſtianæ Religionis myſteriorum. 134
Et quidem non tantum doctos, ſed & rudes homines. 134
Conveniens fuit in Symbolis præ-

cipua Myſteria Fidei diſtinguere. 155
In multis Infidelibus ignorantia Myſteriorum fidei eſt invincibilis. 166

N

NEgatio Fidei aliquo ſigno externo nullo unquam tempore licita. 158
Fuga in perſecutione non eſt argumentum negationis fidei, nec de ſe mala & illicita. 163

P

PHiloſtratus: ipſi fides non eſt habenda in iis quæ narrat de Apollonio Thianæo. 196
Præſumptio quomodo pugnet cum ſpe. 232
Quid ſit præſumptio. ibid.
Principes Chriſtiani tolerare debent ritus eorum Infidelium, qui ipſorum poteſtati non ſunt ſubjecti. 170
Tolerare etiam aliquando poſſunt ritus Infidelium ſubditorum, ſi nimirum id poſtulet Eccleſiæ utilitas. ibid.
Eos autem impedire merito poſſunt ſublata Eccleſiæ utilitate. ibid.
Licitum non eſt Principibus Chriſtianis terras Infidelium aperto marte invadere, & præciſe quod infideles ſunt. 171
Principes Chriſtiani pœnas ſeveriſſimas, vel etiam mortis decreverunt in hæreticos, idque juſte & licite. 177
SS. Patres horum unanimis conſenſus in recenſendis Fidei Catholicæ dogmatibus errori obnoxius eſſe non poteſt. 109
Solvuntur Dallæi ratiocinia contra Patrum auctoritatem. 110
Quidam ex SS. Patribus, & Auctoribus Eccleſiaſticis decepti fuere circa Sybillarum carmina. 221
Non tamen adeo plures ut contendunt nonnulli. (vide Sybilla). 217
Philoſophus cognoſcens clare, & evidenter Dei exiſtentiam, adhuc tamen tenetur illam credere fide divina. 32
Poteſt de eadem exiſtentia elicere actum fidei. 34
Qui eſſet ſpecie diſtinctus ab actu ſcientiæ quam haberet. 39
Et quidem verus Fidei actus, quicquid contendat Gonetus. ibid.
Priſcillianiſtæ docuere Deum poſſe mentiri, & falſum nuntiare hominibus. 40
Propoſitio: Propoſitiones immediate revelatæ eæ ſunt, quæ continentur formaliter in Scriptura & traditione, & fuerunt vere a Deo revelatæ. 67
Mediate vero revelatæ, quæ per diſcurſum ex immediate revelatis eruuntur. ibid.
Iſtæ dicuntur etiam propoſitiones Theologicæ. 67
Duo ſunt genera propoſitionum, quæ cenſeri non debent mediate revelatæ & concluſiones Theologicæ, tametſi ex aliis revelatis immediate eruantur. 67
Quæ improprie & in ſpeciem ſunt mediate revelatæ ſunt de fide. 68
Quæ vero improprie & per diſcurſum ex aliis revelatis eruuntur non ſunt de fide. 70
Quot ſint qualificationes propoſitionum hæreticarum, aliorumque in fide errantium. 176
Quid ſit propoſitio erronea, & quid hæretica. ibid.
Quid temeraria, quid ſcandaloſa, quid ſeditioſa. ibid.

Re-

R

Regulæ Fidei quotnam ſint. 84
Quænam ſint regulæ ad diſcernendas veras traditiones a falſis, & divinas ab humanis. 105
Religio nullo unquam tempore licet falſam Religionem ſimulare. 158
An Æliſeus id permiſerit Naaman Syro. 161
Simulatio falſa religionis eſt lege divina & naturali prohibita. 162
Non licet communicare directe cum Infidelibus in iis quæ ad Religionem pertinent eorum. 169
Licitum non videtur Laicis diſputare de Religione cum Infidelibus. ibid.
Bene vero Paſtoribus ſi ſint docti, & prudentes. ibid.
Tolerari aliquando poſſunt falſæ Infidelium Religiones a Principibus Chriſtianis in ſuis ſtatibus, ſi nimirum id poſtulet Eccleſiæ utilitas. 170
Non licet Principibus ſolo Religionis prætextu terras Infidelium aperto Marte invadere. 171
Religio Chriſtiana eſt vera, & divina. 182
Primum momentum ducitur ex vaticiniis veteris Teſtamenti quæ in Chriſto ſunt impleta. 182
Quomodo hoc argumentum vim habeat etiam contraGentiles. 183
Alterum ducitur a modo quo propagata fuit fides Chriſtiana. 184
Tertium a præſtantia & rectitudine doctrinæ Chriſtianæ. 185
Quartum ex miraculis Chriſti. 186
Solvuntur objectiones adverſus miracula Chriſti. 190
Demonſtratur ex teſtimonio Joſephi, quod probatur eſſe legitimum illius fœtum. 195
Sybillina carmina conſiderari non debent validum Eccleſiæ præſidium. 227
Revelatio Dei: virtutes omnes a Deo revelatæ ſunt materiale objectum fidei divinæ. 27
Objectum formale ejuſdem fidei eſt revelatio Dei. 50
Poſita hac ſententia non ſequitur in Fidei reſolutione & Analyſi fieri proceſſum in infinitum. 52
De quo ſit quæſtio dum quæritur utrum revelatio ſit evidens. 54
Revelatio divina ſumpta ex parte revelantis clara eſt & evidens, hoc eſt evidenter, & clare oſtenditur a Deo revelata eſſe quæcumque credimus. 54
Revelatio credendorum hominibus innoteſcere non poteſt per aliam revelationem quæ ipſa eſſet de Fide. 56
Adeoque debet innoteſcere per evidentiam quorumdam argumentorum. 56
Revelatio divina redditur evidens, & conſequenter certa per Chriſti miracula & alia credibilitatis motiva. 54
Non ſequitur tamen inde ad credendum nullam requiri gratiam Dei. 57
Ex eo quod evidens ſit Deum aliquas veritates revelaſſe, non ſequitur veritates revelatas eſſe in ſeipſis evidentes. ibid.
Extraordinarie fieri poteſt, ut aliquis crederet nullo ductus argumento & motivo credibilitatis, ſed ordinarie loquendo, ut aliquis prudenter credat res revelatas a Deo debet & clare & evidenter cognoſcere Deum revelaſſe. 59
Quodnam motivum reſpectu rudium ſit ſufficiens ad fundandam certitudinem revelationis a Deo factæ. ibid.
Apoſtolus dum docet eſſe ſimpliciter

ter credendum non excludit omnem inquiſitionem, qua expendatur num revera ſit a Deo revelatum quod credendum proponitur. 60
Quando cognoſcitur & creditur revelatio Dei, veluti preambulum Fidei tunc revelatio non creditur, eodem actu quo creduntur res a Deo revelatæ. 61
Quando autem revelatio creditur per fidem, hoc eſt quando res revelata creditur neceſſe eſt ut eodem actu res credatur revelata ſaltem implicite. 62
Per motiva credibilitatis, quibus oſtenditur divina revelatio, Myſteria Fidei noſtræ redduntur credibilia evidenter ſimul, & credibiliora quam oppoſitum. 63
Revelatio duplex publica, & privata. 64
Privata non eſt confundenda cum privato cujuſcumque hominis Spiritu ad ſenſum Novatorum. ibid.
Quandoque & in caſibus extraordinariis ſufficit ad fidem privata revelatio. ib.
Scripturæ ſæpe laudant fidem aliquorum, qui privatis revelationibus crediderunt. ibid.
Ordinarie tamen loquendo ad fidem revelatio debet eſſe publica, videlicet per propoſitionem & auctoritatem Eccleſiæ teſtificantis. 65
Quænam dicantur propoſitiones immediate revelatæ, quæ vero mediate. 67
Propoſitiones improprie tamen loquendo deductæ ex aliis immediate revelatis, ſed ipſis proinde quoad ſenſum æquivalentes ſunt de Fide. (Vide Propoſitiones.) 68
Revelatio alia implicita, alia explicita, & utraque explicatur. 72
Ab Adam uſque ad Chriſtum non eadem fuit in fidelibus fides, non modo quia crevit per majorem in dies explicationem, ſed etiam quia objectum fidei crevit per novas revelationes. 73
A temporibus Chriſti & Apoſtolorum non crevit fides noſtra per novas revelationes. 74
Quamvis creverit per majorem explicationem. ibid.

S

Scriptura Sacra eſt prima fidei regula. 84
Præter Scripturam admittendæ ſunt traditiones divinæ. 86
Quo ſenſu Scriptura ſacra dicatur perfecta, & ſufficiens 98
Ex eo quod admittantur traditiones non ſequitur Scripturam non eſſe Fidei regulam. 104
Veritas Sacræ Scripturæ nonniſi traditione probari poteſt, & probatur reapſe ab ipſis etiam hæreticis. 107
Scriptura Sacra minus bene dicitur Judex controverſiarum, quæ identidem emergunt in Eccleſia. 113
Scripturæ veri Judicis dotes non competunt. ibid.
Eſt in multis locis obſcura. ibid.
Ipſa eſt lex & regula Judicii, quæ debet cognoſci, & applicari a Judice. 114
Solum eſt Judex controverſiarum quando ipſa clara eſt, ut de illius ſenſu nemo dubitare poſſit. 116
Non committitur Circulus vitioſus probando Scripturam per Eccleſiam, & viciſſim. 123
Simulatio non eſt licita in materia Religionis. 160
An Eliſæus permiſerit Naamen perſimu-

ſimulationem adorare Idolum. 161
Simulatio falſæ Religionis eſt lege naturali, & divina prohibita. 162
Spes quid ſit, & quomodo definiatur. 224
Objectum materiale Spei eſt Deus. 225
Et quidem primarium. ibid.
Multa alia præter Deum ſunt Spei objecta, ſed ſecundaria. ibid.
Subjectum Spei duplex remotum, & proximum, & proximum eſt voluntas, remotum eſt homo. 227
Objectum vero formale Spei eſt noſtra beatitudo, ſeu vita æterna. 226
In Chriſto Domino non fuit virtus Spei. 227
Nec eſt ſpes in Sanctis, qui Deum vident. ibid.
Spes proprie dicta eſt in animabus Juſtorum, qui detinentur in Purgatorio. 228
Nec in damnatis, nec in Dæmonibus manet Spes. ibid.
Manet tamen in peccatoribus. ib.
Non eſt in hæreticis. ib.
Manet tamen & ſufficit ſpes habitualis in Infantibus. ib.
Spes actualis adultis eſt neceſſaria neceſſitate præcepti. ib.
Præceptum negativum de non amittenda ſpe, ſeu de non deſperando obligat in omni tempore & occaſione. 229
Præceptum autem affirmativum exercendi actus Spei non obligat in omni temporis inſtanti. ib.
Spes noſtra de futura beatitudine non eſt certa certitudine abſoluta. ibid.
Sed tantum certitudine conditionata. 230
Spes Chriſtiana alia eſt formata, alia informis. 231
Spes vera eſt in Peccatoribus, licet informis, & a charitate ſejuncta. ibid.
Vitia oppoſita Spei quænam ſint. 232
Spiritus privatus uniuſcujuſque fidelis nequit eſſe judex controverſiarum Fidei. 117
Sybilla: Sybillarum nomen, conditio, & numerus ex Lactantio. 204
A quo tamen diſcrepant plerique Scriptores. 205
Sybillarum exiſtentiam negat Socinus contra Wiechum. 206
Socino contradicit univerſa Scriptorum totius antiquitatis turba. ibid.
Quænam fuerit Sybilla, quæ Regi Tarquinio vaticinia obtulit. ib.
Sybillini Libri apud Romanos, quomodo conſervati. ibid.
Sybillis maximi delati honores. ibid.
Quæ apud nos extant Sybillarum carmina octo libris diviſa non ſunt genuinum Sybillarum opus, hoc eſt conſcripta non ſunt a fœminis divino Spiritu afflatis, ante Chriſti adventum ſcribentibus. 207
Sybillæ in his carminibus inducuntur prophetaſſe, veluti inſanæ rabie & furiis correptæ, neſcientes omnino quid dicerent. 208
In his Sybillarum carminibus multi paſſim deprehenduntur errores, multa mendacia. 209
An oracula Sybillarum, quæ laudantur a SS. Patribus, & auctoribus Eccleſiaſticis ſint figmenta Chriſtianorum, necne. 215
Carmina Sybillarum, quæ nunc extant laudata non fuere adverſus Ethnicos a Juſtino, Theophilo, Origene, Auguſtino, & Hieronymo. 217
Quid de teſtimoniis Conſtantini Impera-

pera-

peratoris dicendum circa Sybillina carmina. 221
Negari nequit plures ex SS. Patribus, & auctoribus Eccleſiaſticis deceptos fuiſſe circa Sybillina oracula. ibid.
Ethnici Chriſtianis objecerunt ſuppoſitionem carminum Sybillinorum. 225
Symbolum Fidei quid ſignificet. 155
Tria vulgo agnoſcuntur Symbola. ibid.
Conveniens fuit in Symbolis articulos Fidei deſcribere. ibid.
Cur in Symbolis non fiat mentio de nonnullis Fidei Myſteriis. 156

T

Timor triplex eſt filialis, ſervilis, & mundanus. 232
Lutherus docuit omnem timorem ſervilem, quo pœnæ a Deo conſtitutæ ab aliquo Chriſtiano refugiuntur malum eſſe, non donum Spiritus Sancti. 233
Contra hunc Novatorem certa & indubitata eſt Catholica doctrina timorem ſervilem de ſe bonum eſſe aſſerens. ibid.
Quo ſenſu dicat Scriptura timorem non eſſe in Charitate. 235
In ſyſtemate amoris puri inutilis redditur ſpes Chriſtiana. 245
Traditio ſumitur apud Theologos pro verbo non ſcripto. 84
Hæc multiplex eſt vel Divina, vel Apoſtolica, vel Eccleſiaſtica. 85
Novatores contendunt nullum eſſe Fidei dogma, quod non contineatur in Scripturis, adeoque negant dari dogmata viva voce a Chriſto, & ab Apoſtolis tradita, & non ſcripta. 85
Admittendæ ſunt traditiones Divinæ, hoc eſt præter Scripturam ſacram alia ſunt Fidei Catholicæ dogmata, quæ non ſunt minus verbum Dei, quam verbum ſcriptum. 86
Probatur id ex Scripturis, & ex D. Paulo 2. ad Theſſal. ib.
Aſſeritur eamdem veritas Patrum teſtimoniis. 87
Aſſeruntur variæ rationes, cur præter Scripturam admittendæ ſint Divinæ Traditiones. 91
Solvuntur Objectiones ex Scriptura deductæ. 92
Chriſtus Dominus damnat eas falſas & pure humanas non divinas. 93
Solvuntur Objectiones ex SS. Patribus. 95
Patres omnes rejiciunt traditiones tantum falſas, vel contrarias Scripturæ, & dicunt Scripturam eſſe ſufficientem abſque excluſione Traditionum. ib.
Ex eo quod admittantur Traditiones non ſequitur Scripturam ſacram non eſſe fidei regulam. 104
Regulæ quædam traduntur ad ſecernendas veras traditiones a falſis, Divinas ab humanis. 105
Nonniſi Traditione veritas Scripturarum probari poteſt, & probatur etiam ab hæreticis. 104
Falſum quod dicunt hæretici mutatas plerumque fuiſſe traditiones Apoſtolicas in Eccleſia. 108
Conſuetudines Eccleſiarum confundi non debent cum traditionibus. ibid.
Quo pacto hæc diſcerni queant ab iis ritibus, quæ ad fidem pertinent. 109
Traditiones divinæ non ſunt teſtimonium mere humanum. ib.
Fruſtra Dallæus colligit varios Patrum errores ad enervandam Traditionnm vim. ibid.
Ejuſdem ratiocinia contra Patrum auctoritatem. 110
Tri-

Tridentinum Concilium, ejus fuit doctrina gratiam ſanctificantem in juſtificatis, uti & alias virtutes eſſe quaſdam qualitates permanentes & infuſas. 12
Hujus verba neutiquam poſſunt explicari in ſententia eorum, qui contendunt Deum operari juſtitiam, & ſanctitatem in juſtis per ſolam gratiam actualem. ibid.
Sed neutiquam definivit eſſe habitus proprie dictos. 14
Jure conſulto abſtinuit in ſuis definitionibus a voce habitus. 14

V

VAſquez aliter vult eſſe diſcurrendum de juſtificatione parvulorum, & eorum qui virtute Sacramenti cum ſola attritione juſtificantur, ac de adultis, qui per contritionem juſtificantur. 9
Relate ad primos vult certa fide credendum juſtificari per gratiam habitualem permanentem. ib.
Relate ad adultos non adhuc eſſe definitum eos formaliter juſtificari per habitum quemdam. ib.
Pluribus contendit probare adultos extra Sacramentum juſtificari per actum contritionis, & dilectionis Dei. 9
Veracitas Dei non eſt objectum formale Fidei. 50
Emendate loquendo non conſtituit formaliter actum fidei in ratione actus fidei, ſed in ejus certitudinem influit. 51
Verax Deus eſt eſſentialiter & ſumme verax. (Vide Deus.) 40
Veſpaſianus ea non edidit prodigia, quæ de eo narrat Tacitus. 195
Viennenſe Concilium exiſtimavit gratiam ſanctificantem in juſtificatis, uti & alias virtutes eſſe qualitates permanentes, & infuſas. 12
Sed non definivit eſſe habitus ſumpto ſtricte nomine habitus, prout eſt qualitas inclinans ad actus ſibi proprios. 14
Virtus in genere quid ſit. 3
Quid ſit virtus Theologica, & Moralis. ibid.
Quot ſint virtutes Theologicæ. ibid.
An ſint habitus infuſi. ibid.
Diſcrimen inter virtutes intellectus, & voluntatis relate ad excludendum falſum. 47
Fides eſt virtus intellectualis. 126

F I N I S.

Hoc opus completum fuit Menſe Octobri MDCCLXI.
& venditur pretio Lib. Venet. 38.

MG. 2017128
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

5-2

Digitized by Google